DETERMINATIONES Quæstionum quarundam Theologicarum,

Per Reverendissimum Virum

JOANN. DAVENANTIUM,

nunc Episcopum Sarisburiensem, ante aliquot annos in celeberrima Academia *Cantabrigiensi* Theologiæ Professorem pro Domina MARGARETA, publicè disputatarum.

Editio secunda priori aliquantulùm correctior, & unâ Determinatione auctior.

Διακρίτεον τῇ καταληπτικῇ θεωρίᾳ καὶ τῷ κυριωτάτῳ λογισμῷ τὸ ἀληθὲς ἀπὸ τοῦ φαινομένου, Clemens Alexandr. *Strom. lib.* 7.

CANTABRIGIÆ,
Apud THOMAM BUCK, unum ex Academiæ celeberrimæ Typographis, 1639.

DETERMINATIONES
Quæstionum quarundam
Theologicarum,

Per Reverendissimum Virum
JOANN. PAPEBROCHIUM,
nunc Episcopum Sarisburiensem, ante
aliquot annos in celeberrima Academia Cæsa-
reâque Theologiæ Professorem
Dominum MARCANTONIUM
publicè disputatarum.

BIBLIOTHECA REGIA BELGICA

Apud Thomam Bruce, typum ex Academiæ celeberrimæ
Typographis, 1679.

Lectoribus benevolis ſalutem.

SOlent Profeſſores Theologici poſt finitas diſputationes, ſuam de quæſtionibus agitatis ſententiam proferre. Quo munere Profeſſorio nos olim functi apud Cantabrigienſes, multas theſes (prout occaſio tulit) quandoque ſuccinctiùs quandoque copioſiùs explicavimus. Coacti ſumus plerunque hoc facere operâ planè tumultuariâ: adeò ut fruſtrà ſit qui in hiſce commentatiunculis noſtris aut methodum expectet aliquam, aut accurationem. Satìs habui in hiſce ſingulis, veræ ſententiæ fundamenta aperuiſſe, ac aliquot præcipuas adverſariorum rationes enervaſſe. Mihi quidem tanti non fuerunt, ut è tenebris in lucem viderentur evocanda; nec tantilli, ut amicis hoc flagitantibus in lumen proferre pigeret. Si hoc opus levidenſe tyronum judiciis formandis aliquantulùm inſerviat, ſatìs ſupérque habeo. Talibus non ità pridem nata hæc omnia, talibus jam deſtinata ſunt. Hoc te, Lector benevole, quiſquis es, præmonitum volui. Valete in Chriſto, mêque eidem Domino noſtro in precibus veſtris commendatum habete.

Index Quæstionum.

Quæst.		Pag.
1	*Concupiscentia in renatis est peccatum*	1
2	*Papistarum preces pro defunctis sunt inanes*	8
3	*Verè credentes certi esse possunt de sua salute*	15
4	*Nulla est temporalis Papæ potestas super Reges in ordine ad bonum spirituale*	21
5	*Infallibilis determinatio fidei non est annexa cathedræ Papali*	27
6	*Cæca Jesuitarum obedientia est illicita*	33
7	*Non licet Protestanti salvâ conscientiâ Missæ interesse*	39
8	*Opera pœnalia non sunt Divinæ justitiæ satisfactoria*	42
9	*Non datur liberum arbitrium in non-renatis, ad bonum spirituale*	45
10	*Opera renatorum labe peccati sunt inquinata*	50
11	*Civilis jurisdictio jure conceditur personis Ecclesiasticis*	53
12	*Renuente Magistratu, non licet populo reformationem Ecclesiæ moliri*	57
13	*Missa Pontificia non est sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis*	60
14	*Antiqui Patres non meruerunt Christi incarnationem, nec aliquas ejus circumstantias*	66
15	*Tota potestas Sacerdotum est spiritualis*	70
16	*Pronitas ad malum non fluit ex principiis naturæ integræ*	75
17	*Jesuitici Pontificii non possunt esse boni subditi*	81
18	*Cultus religiosus creaturæ est idololatria*	84
19	*Rex in regno suo est minor solo Deo*	95
20	*Ecclesia Anglicana justissimè obligat ad cæremonias*	99
21	*Ecclesia Romana est apostatica*	102
22	*Decretum non tollet libertatem*	105
23	*Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato*	108
24	*In essentia Divina nec aliud nec accidens*	111
25	*Præscientia Divina non erat causa lapsûs humani*	115
26	*Subjectum Divinæ prædestinationis est homo lapsus*	119
27	*Papistæ tenentur interesse sacris Protestantium*	124
28	*Papæ jurisdictio non est universalis*	128
29	*Fides implicita non est salutifera*	132
30	*Dominium temporale non fundatur in gratia*	136
31	*Omne peccatum est suâ naturâ mortiferum*	142
32	*Consilia quæ vocantur Evangelica habent quandoque vim præcepti*	146
33	*Remissâ culpâ remittitur pœna*	149

34 *Nemo potest de congruo mereri primam gratiam Divinam* 151
35 *Ecclesia invisibilis non est Idea Platonica* 156
36 *Christi victima sola verè expiatoria* 160
37 *Fides justificans est fiducia in Christum Mediatorem* 163
38 *Fides justificans non potest à charitate disjungi* 169
39 *Laici non sunt arcendi à lectione Scripturarum* 175
40 *Superbia fuit primum peccatum Angelorum* 180
41 *Publica religionis exercitia sunt linguâ vulgari peragenda* 183
42 *Diversitas graduum in Ministris Evangelicis, verbo Dei non repugnat* 187
43 *Cælibatus non est necessariò sacris ordinibus annexus* 197
44 *Sancti non sunt invocandi* 202
45 *Ignorantia non excusat peccatum* 210
46 *Sancta Ecclesia Catholica quam credimus, ex solis constat Electis* 214
47 *Nec Petrus nec Pontifex Romanus constitutus fuit à Christo Ecclesiæ totius Monarcha* 219
48 *Censura Ecclesiastica non tollit vincula officiorum* 225
49 *Non datur omnibus auxilium sufficiens ad salutem* 234
50 *Ecclesia Romana injustè calicem Laicis ademit** 241

* Postremam hanc Determinationem, quæ serius in Typographi manus venit quàm ut unà cum cæteris in lucem antea exiret, huic saltem Editioni adjiciendam curavit, nè hâc parte literati ulteriùs fraudarentur.

Quæstio I.

Concupiſcentia in renatis eſt peccatum.

VT hujus quæſtionis veritas eluceſcat, tria facienda ſunt. Primò, oſtendemus quid illud ſit, quod ſub vocabulo *Concupiſcentiæ* deſignamus. Secundò, rationibus evincemus illud eſſe verè & propriè peccatum. Ultimò, occurremus objectionibus adverſariorum.

Quod ad primum: Cùm dicimus concupiſcentiam eſſe peccatum, non intelligimus ipſam potentiam, vel actum concupiſcendi in ſe & abſolutè conſideratum; ſed deordinationem hujus potentiæ, & actum deordinatum, ſive rebellem, ab eadem dimanantem. Deordinatio potentiæ ſita eſt in habituali quadam pronitate ad malum, & dicitur *concupiſcentia inhabitans*; deordinatio actûs eſt motus tendens ad illicitum, & vocatur *concupiſcentia actualis*. Peccati labem in utraque agnoſcimus; & utramque, non in ſenſualitate tantùm, ſed in tota anima, & maximè in ipſa voluntate collocatum affirmamus. Non me latet, Scholaſticos quoſdam ſtatuere concupiſcentiam nil aliud eſſe, quàm ingeniti peccati *materiale*; averſionem verò voluntatis à Deo, eſſe ejuſdem peccati *formale*: ſed ſaniores hinc commento refragantur. Nam ſub nomine *Concupiſcentiæ*, non ſenſitivæ tantùm partis effrænem motum, ſed voluntatis (ut ità dicam) turpem libidinem complectuntur. Sic Altiſſiodorenſis, lib. 3. fol. 330. b. *Concupiſcentia dicitur voluntas improba, ſive libido, quâ anima appetit fornicari in creatura.* Sic Aquinas, quæſt. diſput. de vitiis capitalibus, *Cupiditas quædam generalis, quæ eſt inordinatus appetitus proprii boni, principium eſt omnium peccatorum.* Nec ipſe Bellarminus diffitetur, Voluntatem noſtram hac ægritudine afflictam & proſtratam eſſe. Fruſtra igitur obtendunt, Concupiſcentiam eſſe nudum Materiale peccati originalis, eò quòd ad brutam animi partem pertineat; cùm pervaſerit etiam ſuperiorem animæ

De amiſſ. grat. lib. 6. cap. 10. & 5. 13.

partem, & in ipſa voluntate ſedem occupaverit. Ad hæc; nè intelligi quidem poteſt, quomodo indebita concupiſcibilis potentiæ converſio ad creaturam ſit materiale peccati, & averſio voluntatis à Creatore ſit ejus formale; cùm hæc duo ſint *re* eadem, in eodem ſubjecto reperiantur, & differant tantùm *ratione*. Nam (ut in Phyſicis edocti ſumus) *Unica motio eſt, & ab eodem principio, quâ mobile recedit ab uno termino, & accedit ad oppoſitum.* Sic etiam unicâ & eâdem perversâ motione, voluntas recedit à Creatore, & accedit ſive convertit ſe per fœdum amorem ad creaturam. Sit igitur fixum & ſtabilitum, hanc inordinatam concupiſcentiam, de qua diſputamus, vitium ſive morbum eſſe, non *ſenſitivæ* tantùm parti inhærentem, ſed *rationali*, ídque in ipſis renatis. Unde Auguſtinus apud Bedam in 5. ad Galat. *Adverſus mentem caro concupiſcit, id eſt, Ipſa anima ſibimetipſi, ex ea parte quâ in carne infirmata eſt, repugnat.* Et ibidem, *Ægritudo animi rationalis eſt, cùm bonis inferioribus delectatus, ſuperiora ex parte appetit, ex parte non appetit. Idcóque in duas dividitur voluntates.* Quid multa? inquirat unuſquiſq; renatorum, aut in Scripturam, aut in conſcientiam propriam; atque facilè inveniet voluntatem ſuam perverſæ concupiſcentiæ morbo laborare.

3 Jam, quod in ſecundo loco faciendum eſt, oſtendamus hanc concupiſcentiam renatis inhærentem, atque motus omnes inordinatos ab eadem fluentes, habere rationem peccati; ſi vim & naturam hujus vocabuli ex uſu & ſenſu Scripturarum, non ex Grammaticorum aut Philoſophorum, æſtimemus.

1. Quod ad inhabitantem concupiſcentiam attinet; doctiſſimus Apoſtolorum, ubi ex profeſſo hanc materiam tractat, non ſemel, ſed quatuordecies concupiſcentiam in renatis manentem *peccatum* appellavit. Quis credat Apoſtolum de induſtria toties impropriè loqui voluiſſe; Papiſtas autem, qui negant hanc concupiſcentiam eſſe peccatum, propriè & magis Theologicè loquutos?

Capitibus 6, 7, 8, ad Romanos.

2. Peccato contaminatus eſt, quiſquis aut non habet quod debet habere, aut habet quod non debet habere; ſi talis defectus aut morbus cadat in ſubjectum culpæ ſuſceptivum. Jam verò nihil certius, quàm non debere nos effrænem hanc concupiſcentiam habere in animis noſtris; nihil manifeſtius, quàm hunc morbum ineſſe animæ rationali, quæ peccato inficí poteſt. Quo igitur acumine hanc concupiſcentiam à peccati labe Papiſtæ vindicabunt? Non vindicavit Auguſtinus, ſed ingenuè faſſus eſt, *Tale ac tantum malum, tantùm quia ineſt, teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, niſi ejus vinculum in Baptiſmo ſolveretur.* Quinetiam Doctor Angelicus tantùm abeſt ut eat inficias concupiſcentiam voluntati inhærentem habere naturam peccati, ut ultro largiatur, Concupiſcentiam illam per

Vide Aquin. de peccat. origin. art. 2.

Lib. 6. in Julian. cap. 5.

Quæſt. diſput. de peccat. orig. art. 2.

quam

quam prona est vis concupiscibilis ut feratur in delectabile sensûs, præter ordinem rationis, esse contra naturam hominis in quantum est homo, & ità pertinere ad peccatum originale. In renatis à reatu solutum confitemur; sed hoc ipso peccatum esse evincimus. Nam naturam peccati habeat est necesse, quod animæ reatum potest inducere, nisi remittatur.

3. Huc etiam accedat, Veterem hominem cum membris suis omnibus ad originalis peccati massam pertinere; ac proinde corpus illud peccati constituere, quod in dies à nobis crucifigendum, ac magis magisque mortificandum est. Quis autem dubitaverit concupiscentiam in renatis inhabitantem, aut idem prorsus esse cum Vetere Adamo, aut ejus partem præcipuam? Peccati igitur naturam habere qui negat, eâdem operâ Novum hominem in habituali quadam justitia & sanctitate constitutum negare potest. Sed Apostolus in utroq; nobis adstipulatur. De vetere homine sic loquitur ad Rom. 6. 6. *Vetus noster homo cum Christo crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, nè posthac nos serviamus peccato, &c.* Et versu 12. *Nè regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, &c.* De novo homine idem Apostolus testatur, eum creatum esse in supernaturali quadam *justitia & sanctitate.* Si quantum novi hominis nobis insit, tantum infusæ & inhærentis justitiæ inesse nobis agnoscamus: tum è contra, quantum veteris hominis in nobis remanet, tantum innatæ injustitiæ & inhabitantis peccati in nobis remanere agnoscendum est. Ephes. 4. 24.

4. Denique, utcunque multa ingrata & molesta sunt hominibus, ut dolores & morbi corporis; nihil tamen renatis hominibus & Deo ipsi odiosum propriè dicitur, nisi quod propriam habet peccati rationem. At hanc concupiscentiam Deus odit in ipsis renatis, quamvis odio in personam minimè redundante: quod declarat dum virtute Spiritûs sui eandem concupiscentiam oppugnat, & tandem expugnat, atque penitus evellit ex animis regeneratorum. Ipsi etiam renati eandem oderunt, teste Apostolo, ad Rom. 7. Nec satisfacit huic argumento Bellarminus, dum respondet, Concupiscentiam odio haberi à Deo, & bonis hominibus, non ut peccatum propriè dictum, sed ut morbum. Si peccati nomen cum Grammaticis, aut Philosophis, ad actum illicitum solummodo restringat, nugas agit: si de habitu malo peccati nomen usurpari posse agnoscat, edoceat nos quid morbus animo insitus & infixus à peccato insito & inhabitante differat. Morbus hic concupiscentiæ non est *pœnalis* tantùm, uti sunt morbi corporis; sed *damnabilis*, nisi medicus cœlestis suo sanguine reatum ejus dignetur expiare. Sive morbum animi dixeris concupiscentiam, sive peccatum, perinde est; modò in confesso sit, esse ejusmodi morbum, qui naturâ suâ possit ægrotum damnabili

reatu involvere. Audite Auguſtinum de hiſce animi vitiis rectiùs philoſophantem. *Iſta*, inquit, *vitia non medicos corporum quærunt, ſed gratiâ Chriſti medicante curantur, priùs ut reatu non teneant, deinde ut conflictu non vincant, poſtremò ut nulla omnino remaneant.* Peccati rationem habet proeuldubio quod ſuâ naturâ reum facit, & poſt expiationem reatûs, cum ſpiritu tamen confligit.

Contr. Julian. Pelagian. lib. 5. cap. 5.

Hactenus de habitu, ſive inhærente concupiſcentia diſputatum eſt; jam de primis ejuſdem motibus videamus, an peccata verè appellentur nécne.

1. Quòd peccato minimè vacent hi primi motus inordinatæ concupiſcentiæ, indè perſpicuum eſſe poteſt, quòd lege divinâ prohibentur. Quid enim aliud eſt peccatum actuale, quàm Dictum, Factum, aut Concupitum contra legem Dei? Præclarè Tertullianus, *Lex non concupiſcendi, origines delictorum, id eſt, concupiſcentias & voluntates, non minùs quàm facta condemnat.* Nemo concupiſcit niſi quod placet animo ſuo; quævis autem complacentia ſive delectatio in re illicita, quantumvis brevis & evanida, quantumvis repulſa & nè in actum externum erumperet cohibita, interni peccati nihilominus labeculam ipſo motu contraxit. Atque hinc Auguſtinus, Pauli doctrinam ſecutus, affirmat, Concupiſcentiam carnis adverſus quam bonus ſpiritus concupiſcit, peccatum eſſe, *quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis.* Potuiſſet etiam dicere, Quia ineſt illi inobedientia contra præſcriptum legis. Nam ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, 1. Joan. 3. 4.

De pudicitia.

Contr. Julian. lib. 5. cap. 3.

2. Peccat qui concupiſcit, quamvis poſt concupiſcentias ſuas non eat, quamvis non apud ſe deliberet de implendis illis opere aliquo externo; quia tales motus non ſunt puræ paſſiones, ſed involvunt negationes actionum debitarum. Tenetur enim unuſquiſque ad exquiſitiſſimam & diligentiſſimam cuſtodiam cordis ſui: tenetur ratio eſſe pervigil in concupiſcentiis refrænandis: quod nè ipſos quidem Scholaſticos latuit, qui hanc ob cauſam primos concupiſcentiæ partus *peccati* nomine inſignire non verentur. Princeps Scholaſticorum Halenſis ſic habet, *Inordinata delectatio quæ ex ſenſualitate procedit, in quantum corrupta, dicitur Primus motus, & eſt peccatum, quia debebat eſſe ſubdita rationi, & movetur indebito modo præter rationem, & attingitur aliquo modo à ratione, non faciente, ſed permittente, & radicem ejus non opprimente.* In eandem ſententiam Alniſſiodorenſis, *Motus concupiſcibilis humanæ eſt voluntarius, & peccatum, etiam quando movetur ante judicium rationis. Dicitur autem peccatum, quia eſt ad illicitum.* Addo, ad extremum, graviſſimi & doctiſſimi Theologi teſtimonium, Joannis ſcilicet Gerſonis, qui in Regulis moralibus ſic ſcribit, *Omnes primi motus, quia apti ſunt inſequi rationem, & per eam regulari,*

Prov. 4. 23.

Part. 2. quæſt. 108. memb. 2.

Lib. 2. tract. 28.

regulari, si eâm prævenerint, dici possunt peccata etiam in parvulis & fatuis, quia sunt præter ordinem naturæ primitus institutæ.

Jam id unicum restat, ut adversariorum præcipuis objectionibus occurramus. 3

Ex Scripturis solent ea loca afferre, quæ docent renatos morte Christi absolutos, & Spiritu Christi purgatos à peccatis suis: unde effici putant, concupiscentiam in renatis manentem peccati naturam non retinere. Hujusmodi sunt. *Nihil damnationis iis qui sunt in Christo Jesu,* Rom. 8. 1. *Semel oblatus est Christus in consummatione seculorum* εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, Heb. 9. 26. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis, &c.* 1. Cor. 6. 11. Mitto reliqua.

Respondeo; Idem Apostolus, qui nihil damnationis iis metuendum esse affirmat qui sunt in Christo, docuit tamen multum veteris hominis in iisdem residere; docuit hasce reliquias quas *concupiscentiæ* nomine designamus, inhabitantis peccati reliquias esse; Uno verbo, non negavit hanc concupiscentiam esse inhærens peccatum, sed negavit vim ejus damnatoriam ad renatos pertingere. Augustinus passim docuit, *Reatum* originalis peccati posse tolli, manente *actu* ejusdem. *Concupiscentia tanquam lex peccati in parvulis baptizatis à reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nullâ damnatione persequitur.* Multò pleniùs & apertiùs de Nupt. & Conc. lib. 1. cap. 26. quem locum inspicite. Tanta vis est tam claræ veritatis, ut extorserit Jesuitæ hanc confessionem, *Fatemur ingenuè peccatum originale posse à Deo remitti, sine ulla peccatoris mutatione:* quod multò durius est, quàm id quod nos defendimus. Quod attinet ad illam ἀθέτησιν, sive destructionem peccati, quam urgent ex Epist. ad Hebræos; admittimus Christi morte omnia omnium salvandorum peccata destruenda, & prorsus abolenda, sed eo modo & ordine quo Christus voluit ea aboleri. Voluit autem peccatum originale quoad vim *damnandi* & *dominandi* illico post applicatam virtutem mortis suæ abrogari: sed quoad actum *inhærendi*, & vim *inficiendi*, voluit paulatim illud absumi, nec priùs omnino absorberi, quàm mortale hoc induerit immortalitatem. Denique ablutio, sanctificatio, justificatio, quæ ab Apostolo commemorantur, non probant nihil quod peccati naturam habet manere in justificatis; sed eos à reatu peccatorum præteritorum omnium esse absolutos: *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est,* 1. Joan. 1. 8. *Deus etenim gratiâ suâ hoc agit in nobis, ut peccatum consumatur, homo liberetur. Sed, Quando consumitur, inquies? Si minuitur, quare non consumitur? Minuitur in vita proficientium, quod in vita consumitur perfectorum,* ut verè Augustinus in Evang. Joan. Tract. 41.

De peccat. mer. & rem. 2. 4.

Vasques, in 1. 2. disp. 206. cap. 4.

1. Cor. 15. 54.

Non solis Scripturarum testimoniis agunt Papistæ, sed qui-

buſdam ratiunculis conantur evincere, hanc concupiſcentiam quæ renatis inhæret peccati naturam non habere. Ex hiſce paucula ventilabimus.

Object. 1. *Suares, in 3. quæſt. 69. art. 4.* Sic agunt, Peccatum originale eſt vera mors animæ, & hominem inimicum Deo conſtituit: at concupiſcentia in renatis manens minimè mortifera eſt, nec ponit eos in ſtatu inimicitiæ cum Deo: ergò &c.

Solutio. Peccatum originale non inducit mortem ſpiritualem, niſi quatenus cum reatu colligatum intelligitur: at remiſſione in Baptiſmo obtentâ, reatus aufertur. Neque diutiùs facit quenquam iræ ſubjectum, quàm in vetere Adamo cenſetur, ſimulac quivis noſtrûm in renatorum numero ponitur, in novo Adamo, hoc eſt, in Chriſto cenſetur.

Object. 2. Baptiſmus liberat ab omni peccato: ſed non liberat à concupiſcentia: ergò &c.

Solutio. Liberat perſonam à reatu omnium peccatorum, non liberat naturam à corruptione peccati originalis. Doctè Aquinas, *In 4 Sentent. diſt. 4. quæſt. 2.* *Sacramenta perſonis adhibentur. Ideo Baptiſmus hoc ab homine tollit, quod ex corruptione naturæ in perſonam redundat: & propter hoc ipſam infectionem culpæ, prout afficit perſonam, & pœnam illam quæ actum perſonæ privabat*, ſcilicet carentiam viſionis divinæ, *Baptiſmus aufert; ſed non aufert actu infectionem, prout afficit naturam.* Hæc ille.

Object. 3. *Bellarm. de amiſſ. grat. lib. 5. cap. 9.* Si concupiſcentia eſt peccatum, cum Chriſtus non *verè*, ſed *imputativè* redemit nos à peccatis: & diabolus eſt Chriſto potentior; cùm ille nos verè *inquinaverit*, Chriſtus non verè *mundaverit.*

Solutio. Chriſtus verè & efficaciter nos redemit à reatu peccatorum, iràDei, & morte æternâ; etſi dum in hac carne vivimus haud plenè & perfectè nos liberavit à contagione peccati originalis. Imputatio enim meritorum Chriſti non *imputativam*, id eſt, *fictam* & imaginariam (ut Bellarminus intelligit;) ſed *veram & ſolidam* procurat nobis peccatorum remiſſionem. Quod de diabolo objicit, frivolum eſt: Nam majoris potentiæ eſt, ab uno peccato liberare hominem, quàm mille peccatis conſpurcare. Neque eſt impotentiæ, ſed ſapientiæ divinæ tribuendum, quòd non protinus ab imis radicibus evellat concupiſcentiam.

Object. 4. Concupiſcentia eſt pœna peccati originalis: ergò non eſt peccatum originale: nihil enim eſt effectus ſuiipſius.

Solutio. Sub *originalis peccati* nomine duo ſolent deſignari: Voluntaria tranſgreſſio Adami omnibus ejus poſteris imputata, quatenus ille perſonam ſuſtinebat humani generis; & contagio hæreditaria propagata ad poſteros per generationem. Concupiſcentia eſt effectus, ſive pœna conſequens originale peccatum priore modo intellectum: ſed eſt ipſiſſimum originale

peccatum

peccatum in ſecunda acceptione. Neque hoc novum aut mirum videri debet Pontificiis, cùm ipſe Magiſter ſententiarum apertè ſcripſerit, Originale peccatum eſſe vitium concupiſcentiæ, lib. 2. diſtinct. 32. Et ante eum Hugo de ſancto Victore, *Si quaritur*, inquit, *quid ſit originale peccatum in nobis, intelligitur corruptio, ſive vitium quod naſcendo trahimus per ignorantiam in mente, & per concupiſcentiam in carne.* Quinetiam ipſe Auguſtinus contra Julianum clarè demonſtravit, concupiſcentiam hanc eſſe peccatum, pœnam peccati, & cauſam peccati, lib. 5. cap. 3.

De Sacram. lib. 1. pag. 7. cap. 28. pag. 249.

Non opus eſt orare pro remiſſione primorum motuum qui fluunt ab inhabitante concupiſcentia, ſi voluntas illis non conſentiat. Non ſunt ergò peccata: nam omne peccatum indiget remiſſione. Si autem actualis hæc concupiſcentia pro peccato non habetur, tum multò minùs habitualis. Citantur in hanc ſententiam teſtimonia Auguſtini, ex lib. 1. ad Bonifac. cap. 13. & de perfecta juſtitia, prope finem.

Object. 5.

Fatendum eſt Auguſtinum ſenſiſſe, Renatos, cùm dicunt in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita noſtra*, non reſpicere ad inhabitantem concupiſcentiam, ſed ad peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Non id tamen voluit, Concupiſcentiam hanc non habere in ſe naturam peccati originalis; ſed reatum ejus in regeneratione ſemel dimiſſum, quotidianâ remiſſione haud indigere. Quod etiam de primis motibus dubitanter ait, *Non opus eſt (ni fallor) ut diceremus,* DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, *ſi deſideriis peccati aliquantulùm non conſentiremus:* id facit eodem nixus fundamento, nimirum, quòd opinetur, unà cum originalis peccati reatu, omnes involuntarios motus ejuſdem, utpote à ſolo Adamo vetere, id eſt, natura corrupta, fluentes, non imputari illis qui in novi Adami proſapiam inſeruntur. Fruſtra igitur Bellarminus, ex eo quòd poſt condonationem ſive non imputationem minimè egeant novâ remiſſione, probare conatur hoſce indeliberatos motus concupiſcentiæ, atque matrem eorundem, peccati naturam, ſi in ſe & ex ſe ſpectentur, non habere.

Solutio.

De perfect. juſtit.

Quæſtio II.

Quæſtio II.

Papiſtarum preces pro defunctis ſunt inanes.

IN hac theſi preces illas intelligimus, quæ funduntur vel pro liberatione fidelium à pœnis Purgatorii; vel pro mitigatione, ſive mitiori cruciatu damnatorum in carcere infernali. Quod ad damnatos attinet, negari non poteſt, nonnullos ex antiquis Patribus autumâſſe, etiam iſtos poſſe juvari precibus viventium. Hinc illa Auguſtini diſtributio mortuorum in tres claſſes; In *bonos*, pro quibus dicit orationes Eccleſiæ nil aliud eſſe quàm *gratiarum actiones*; In *non valde malos*, pro quibus concedit eſſe *propitiationes*; In *valde malos*, pro quibus non negat ad hoc prodeſſe, *ut tolerabilior ſit eorum damnatio*. Imò nonnulli hunc errorem auxerunt, & precibus vivorum ex ipſo Inferno poſſe mortuos liberari ſomniârunt. Hanc ſententiam ſequitur Damaſcenus; quam ineptiſſimis aliquot fabellis conatur ſtabilire. Sed quia ipſi Papiſtæ non audent hunc errorem tueri, verbo perſtrinxiſſe ſufficiat. Accedo ad preces Papiſticas pro defunctis, & in Purgatorio (ut ſuſpicantur) laborantibus; quas certum eſt non modò minimè niti Scripturarum fundamento, ſed utì inanes (nè dicam impias) rationibus ex Scriptura petitis poſſe refutari.

Vide Ench. cap. 110. Et de Civ. lib. 21. cap. 24.

Serm. de defunctis

Argum. 1. Qui defunctos hiſce precibus juvare contendebant, ultro fatebantur, id ſe facere voluntario potiùs motu ſuorum animorum, quàm mandato ullo ſacrarum Scripturarum: in quibus, ſi à capite ad calcem evolvantur, nullum mandatum, nullum exemplum, nulla promiſſio reperietur, in quibus hæc conſuetudo fundata obtendatur. Macchabæi factum nullius ponderis eſt, quod ipſe apud ſe perperam διαλογιζόμενος, non ex lege rite inſtitutus, inceptabat; nullo poſtmodum (quod ſcimus) in Eccleſia Judaica illud imitante. Sancti Patres, qui haſce preces non improbant, eas tamen à conſuetudine arceſſunt, non à verbo Dei. Tertullianus oblationes pro defunctis (orationum eadem ratio) inter ea numerat, quæ nullius Scripturæ teſtimonio, ſed

2. Macch. 12.

De corona Militis

ſed ſolius traditionis titulo, & conſuetudinis exinde patrocinio vindicantur. Auguſtinus, qui tandem conceſſit preces Eccleſiæ pro mortuis omnino non vacare, nunquam tamen ut dogma fidei admiſit, fidelem aliquem poſt mortem pœnas ſubire, à quibus harum precum ſuffragio eximatur: ſed tanquam de re dubia loquitur, Ench. cap. 67. *Tale aliquid poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt; utrum ità ſit quari poteſt, &c.* Et de Civ. 21. 26. *Non vedarguo; forſitan verum eſt.* Qui de fidei dogmate in Scripturis fundato ità loqueretur, ob ipſam fluctuationem infidelis meritò haberetur. *De octo Dulcit. Queſtion. queſt. 2.*

Argum. 2. Non deſtituuntur ſolummodo preces iſtiuſmodi autoritate Scripturarum, ſed inanes & inutiles convincuntur perſpicuis rationibus. Nam poſt hujus vitæ finem, duo tantùm ſtatus defunctorum in Scripturis commemorantur: Unus Beatorum cum Chriſto, alter Damnatorum cum Diabolo. Beati non indigent precibus ut eximantur à pœnis: Damnati non juvantur precibus; utpote à pœnis nunquam eximendi. Fidelium ſtatus poſt mortem in Apocalypſi paſſim deſcribitur, proferant indè Papiſtæ (ſi poſſunt) vel unam ſyllabam, quæ leviter innuat quenquam ex hoc numero apud inferos excruciandum. [a] Requiem à laboribus, [b] domum æternam, ac [c] manſiones à Chriſto paratas omnibus piis in Chriſto morientibus novimus; omnibus impiis & infidelibus [d] vermem & ignem æternum intentatum. Quis fructus igitur orationum pro defunctis; qui aut in cœleſtibus manſionibus locati, gaudiis fruuntur; aut tormentis adjudicati, ab iiſdem nunquam liberantur? Quicquid de loco ſive ſtatu tertio dubitantes Patres ſuſpicati ſunt, tamen quotiès dogmaticè rem definiunt, nobiscum planè ſentiunt. *In requie ſunt animæ piorum à corpore ſeparatæ: impiorum autem pœnas luunt; donec iſtarum ad æternam vitam, illarum ad æternam mortem, corpora reviviſcant.* Eſt etiam receptiſſima & ſanorum Theologorum calculis approbata diſtributio fidelium membrorum Chriſti, in Eccleſiam *militantem in terris, & triumphantem in cœlis*; tertiam autem illam piorum defunctorum conditionem, *æſtuantium* ſcilicet & *gementium in flammis*, ſoli Poëtæ, Platonici, ac Papiſtæ, pro certo dogmate agnoverunt.

[a] Apoc. 14. 13.
[b] 2. Cor. 5. 1.
[c] Joan. 14. 2.
[d] Mar. 9. 44.

Aug. de Civ. lib. 13. cap. 8.

Argum. 3. Porrò, & illud evincit haſce Papiſtarum preces eſſe inanes, quòd ipſi fateantur ſe orare tantùm pro illis, qui aut venialibus culpis implicati, ob eaſdem pœnis purgatoriis adjudicantur; aut qui ob commiſſa mortalia, poſt remiſſam culpam, & pœnæ æternæ in temporalem commutationem, moriuntur, ſatisfactione plenariâ Deo nondum exhibitâ. Quod ad venialia (quæ vocant) attinet, falſò præſumunt, fidelem quenquam poſt mortem talibus aut maculatum, aut obligatum permanere. Nam vera fides & pœnitentia ſemper pacem obtinent

apud Deum, & indubiam peccatorum remiſſionem: nemo autem ex filiis Dei, & membris Chriſti, moritur abſque contritione & fide in Chriſtum. Monuerunt ipſi Scholaſtici, haſce veniales culpas in ipſo exitu animæ unà cum fomite concupiſcentiæ per gratiam finalem extingui; pœnam autem (ſi qua luenda maneret) per contritionem abſorberi. De culpa ſive macula, ex communiore Scholæ placito ſic ſtatuit Autor Compendii, quod Alberto tribuitur, *In ſalvandis omne peccatum veniale deletur à gratia finali, quantum ad culpam.* Jam quod attinet ad pœnam; gravis Theologus Gerſon Pariſienſis confidenter aſſerit, *Quiſquis in ipſo articulo mortis petit hîc puniri in curia gratiæ, liberabitur à pœna futura, & volabit liber in cœlum.* Quis verò inter fideles cenſetur, qui hoc toto corde enixè non petit à Deo, præſertim morte imminente? A culpis igitur venialibus & pœnis immunes moriuntur pii, quamvis peccati expertes eſſe nequeant in hoc corpore mortali. Sic Auguſtinus, *Non hîc ſumus ſine peccato, ſed exibimus ſine peccato.* Et Nazianzenus, *Ex morte lucramur peccati abſciſſionem, ſitque pœna miſericordia.* Quorſum ergò oblationes aut orationes pro illis liberandis profundantur, quos, ſi in Chriſto mortuos credimus, cum Chriſto à pœnis & doloribus liberatos, fide catholicâ credere debemus? Nam quod ſomniant Papiſtæ, Deum credentibus & pœnitentibus mortalium peccatorum culpam remittere, pœnam tamen exigere temporalem, aut hîc, aut in vita futura tolerandam, id nullâ ratione nititur. Quid (quæſo) aliud eſt, peccatum remittere, quàm nolle id ad pœnam imputare? Pugnantia ergò loquuntur, qui culpam remitti & pœham exigi, ſimul & eodem ſpiritu affirmant: Inania meditantur, qui ſuis precibus ſatagunt eos à pœnis vindicatoriis eximere, quos Chriſti ſanguine à culpis omnibus expiatos profitentur. Quinetiam, *Divinæ juſtitiæ apertè repugnat, ut aliquis obligetur ad pœnam, qui culpam non habet;* ut verè Aquinas. Nec reclamare audet Vaſques Jeſuita; imò ingenuè agnoſcit, *Sublatâ maculâ nullam pœnam condignè poſſe infligi, quæ habeat veram rationem pœnæ.* Deo igitur injuriam facit, qui rogat eum, ut pœnam inflictam ab illis removeat, quibus talis pœna condignè infligi non potuit. Ad extremum, & illud addo; Licèt poſt remiſſam in hoc ſeculo & deletam culpam divina juſtitia pœnam exigeret in altero; nullus tamen locus relinqueretur precibus hiſce aut oblationibus quas Pontificii celebrant pro defunctis. Nam utcunque ſententiæ latæ in peccatores, dum hîc vivitur, eſſe poſſunt ambulatoriæ; ſententiæ tamen, quæ poſt hanc vitam in animas defunctorum coram tribunali divino apparentium proferuntur, ſunt peremptoriæ. Fac igitur juſtè Deum decreviſſe ab hoc aut ab illo defuncto tantas ac tales pœnas expoſcere; quis ſperet ſe hoc

Vide Alenſ. lib. 4. quæſt. 15. memb. 3. pag. 274.

Lib. 3. cap. 13.

Serm. in die Circumciſ. pag. 51.

In Natal. Salvat.

Vide Durand. lib. 2. diſt. 32. quæſt. 1.

In 2. Sent. Diſt. 30. quæſt 2.

In 1. 2. quæſt. 114. Diſp. 131. cap. 4.

decretum

decretum ſive precationibus ſive miſſificationibus ſuis poſſe infringere? *Ipſa incommutabilitas divinæ ſententiæ* (ut cum Auguſtino loquar) *non patitur poſt hanc vitam miſericordiæ auxilium præberi illis qui ad juſtas pœnas condemnantur; ſed ſolvunt operæ, uſque ad noviſſimum quadrantem.* Nunquid veriſimile eſt, Chriſtum advocatum noſtrum ſuâ interceſſione ac morte fidelium animas aut nolle aut non poſſe eximere à pœnis poſt mortem tolerandis; ſacrificulos autem (Chriſto ſcilicet magis miſericordes) velle in id laborare, ac poſſe illud à Deo impetrare? Sed de hiſce aptior erit diſputandi locus, cùm ex inſtituto Purgatorii commentum refutabimus. Jam pauculas adverſariorum objectiones diſſipemus.

Queſt. Evan. lib. 2. cap. 28.

Object. 1. Univerſa Eccleſia orationes pro defunctis frequentavit; Non poteſt autem eſſe vacuum aut ſuperfluum, quod ab univerſa Eccleſia fieri conſuevit: Concedendum ergò eſt, hiſce precibus animas mortuorum relevari, & à pœnis Purgatoriis liberari. Hoc argumento, ab Eccleſiæ catholicæ traditione petito, uſi ſunt olim Dulcitius & Paulinus in ſuis quæſtionibus ad Auguſtinum miſſis. Atque ipſe Auguſtinus hoc argumento potiſſimùm permotus, (non tanquam dogma fidei, uti apud Pontificios habetur, ſed tanquam opinionem non omnino improbabilem) conceſſit haſce preces quibuſdam defunctis prodeſſe, nimirum iis nec valde bonis, nec valde malis, quos poſt mortem temporalibus quibuſdam pœnis adjudicatos ſuſpicatur.

Vide Auguſt. de 8. Dulcitii quæſtion. quæſt. 2. De Cura pro mort. cap. 1.

Solutio. Non impugnamus quicquam quod univerſa Eccleſia unquam tenuit aut fecit, ſed quod hic aut ille ex facto catholicæ Eccleſiæ malè intulit. Commemorationem ſive honorariam nominationem Sanctorum defunctorum non rejicimus, uti nec ſolennem gratiarum actionem pro illis qui in fide Chriſti obierunt: Quinetiam agnoſcimus pro beata reſurrectione, pro abſolutione publica in die judicii ac perfecta conſummatione fidelium defunctorum abſque ulla ſuperſtitione orare nos poſſe. Hinc illa ſolennis oratio in Eccleſia noſtra Anglicana, quando mortui mandantur ſepulturæ, *Gratias tibi agimus, Omnipotens Deus, quòd hunc fratrem noſtrum ab impii hujus mundi miſeriis liberâſti: oramus inſuper ut citò numerum electorum tuorum compleas, atque regnum tuum acceleres; ut nos unà cum hoc fratre noſtro, & omnibus in vera fide defunctis, perfectam conſummationem & beatitudinem tum in corpore quàm in anima aſſequamur, &c.* Illud denique adjicimus, Antiquam Eccleſiam in funere mortuorum conſideraſſe recens defunctos tanquam in itinere, aut tranſitu ad portum beatitudinis; atque hanc ob cauſam piis votis, & quaſi bonis ominationibus eos proſequi ſolitam. Deſcribitur apud Areopagitam ritus ſepeliendi mortuos; quo in loco commemorat ſolennem

De Eccleſ. Hierarch. cap. 7.

precationem, ſed gratulatoriam, quâ Deo gratiæ aguntur, ob fratrem in ſpe beatæ reſurrectionis defunctum: quâ ipſe defunctus Sanctorum ſocius & particeps prædicatur, ſed illud fortaſſe arripient Papiſtæ, quòd ſubjungit Dionyſius, *Sacerdotem à Deo petere ſolitum, ut omnia peccata quæ humanâ fragilitate admiſſa ſunt, ei qui vitâ exceſſit remittat, & eum in lucem ac regionem vivorum deducat.* Hæc ea ſunt quæ (ut modò dictum eſt) reſpiciunt animam nuperrimè ſeparatam, & conſideratam quaſi in motu aut via ad regionem vivorum, non quaſi in perpeſſione tormentorum. Preces itaque Papiſtarum pro animabus è Purgatorio liberandis nihil commune habent cum precibus catholicæ Eccleſiæ, quæ petebat, *ut defunctus illico in ſinum Abrahæ deduceretur, in locum ſcilicet, à quo fugit dolor, triſtitia, & gemitus*; non, ut educeretur ex aliquo loco tormentorum, in quem nullum ex iis qui ſanctè vixerunt incidiſſe præſupponit idem Dionyſius. Hanc Eccleſiæ praxin ritè intellectam non damnamus, ſed illorum infirmas ratiocinationes, qui ab hac praxi pœnas purgatorias, & fidelium quorundam à talibus pœnis liberationes deducere fatagunt; in quem finem fuſas preces prorſus inanes judicamus.

Ibid.

Object. 2. Illud etiam urgeri poteſt, Per aliquot ſecula in uſu fuiſſe, non modò ut animæ defunctorum in ipſo funere Deo commendarentur, ſed ut in anniverſariis eorundem ſolennitatibus hujuſmodi preces adhiberentur; *Abſolve animam famuli tui: Da animabus ſervorum tuorum refrigerii ſedem, &c.* Videntur hæ precationum formulæ innuere, animas defunctorum manere peccatorum reatu diu ligatas, & à ſedibus beatis exules, atque harum precum efficaciâ tandem abſolvi, & in conſortium beatorum admitti: quod ſi fateamur, magnam utilitatem mortuis apportabant.

Brev. Rom. in Offic. Def.

Solutio. Irrepſit in Eccleſiam Dei conſuetudo, (quam nemo prudens laudaverit) ut preces illæ quæ uſurpari aptè poterant, quando in ipſo mortis agone moribundi anima divinæ miſericordiæ commendabatur, etiam in funere repeterentur. Neque id ſolùm, ſed quoties anniverſarium Depoſitionis diem commemorabant (quaſi animæ defunctorum adhuc in eodem periculo conſtitutæ eſſent) eaſdem preces iterabant. Ex Breviario Romano promptum eſt hæc ſingula animadvertere. Nam cùm in agone ſui exitûs anima anxia luctatur cum horrore peccatorum ſuorum, & iræ divinæ, haſce preces à ſacerdote præſcribunt adhibendas; *Libera (Domine) animam ſervi tui ex omnibus periculis Inferni, & de laqueis pœnarum: Patriarcharum tuorum ſinubus eam inſinuare non renuas: — Quacunque per fragilitatem humanam peccata commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge.* Jam in ipſo funere orationem eodem prorſus tenore adhibitam fuiſſe oſtendimus ex Dionyſio, recurrente etiam

Vide Brev. Rom. Commendat. Ani. pag. 232.

Pag. 233.

Pag. 234.

etiam anniversariâ defunctorum solemnitate, easdem preces subindè ingeminabant; *Requiem æternam dona eis Domine: Absolve animas eorum. De illis refrigerii sedem, &c.* Si totum officium Defunctorum percurras in Psalmis, in lectionibus, in orationibus, nihil invenies nisi quod animæ è corpore jamjam migraturæ, & ad beatam requiem transituræ, conveniat. Preces igitur ejusmodi non confirmant errorem Papistarum orantium pro liberatione animarum è Purgatorio. Primò, quia hæc ipsa consuetudo transferendi preces illas ad Defunctos, quæ propriè pertinebant ad vivos, & in ipso agone mortis constitutos, à ratione prorsus aliena est. Ab eo autem quod fit contrà rationem rectè instituendi, petere rationem ad dogmata fidei stabilienda, delirum est. Secundò, quia in his ipsis precibus, quæ pro moribundis aut defunctis usurpantur, de animis à Purgatorio vel è Purgatorio liberandis, nulla mentio. Eò tendunt omnes, ut in regnum gloriæ transferantur, ut à Satanæ & Inferni potestate eripiantur; uno verbo, nè ad tormenta æterna damnentur; non ut è loco tormentorum eruantur. Quod ipse Bellarminus agnoscit, cùm fatetur Ecclesiam Romanam precibus pro defunctis uti eo modo loquendi, quasi animæ jam migrarent è corpore. Denique, quod animadversione dignissimum est, in omnibus Missis quæ extant sub Apostolorum aut Patrum nomine (quales sunt Jacobi, Petri, Chrysostomi, Basilii, &c.) in ipsa precatione quæ defunctos respicit, de Purgatorio, aut de animarum à Purgatorii pœnis liberatione, altum silentium.

Officium Defunct. pag. 190. & 194. &c.

De Purg. lib. 2. cap. 5.

Si dicamus publicas Ecclesiæ preces respexisse animas tanquam in ipso articulo separationis positas, aut tanquam in transitu ad aliud seculum, & Tribunal justitiæ divinæ; quid tamen respondebimus Patribus, qui oblationes & orationes pro mortuis frequentabant? Quorsum hoc facerent, nisi ut hisce oblationibus expiarent peccata defunctorum, atque impetrarent illis à pœnis immunitatem? Non sunt igitur inanes hæ orationes quæ funduntur pro mortuis.

Object. 3.

Quod attinet ad oblationes & orationes pro mortuis; concedo Augustini ætate invaluisse apud vulgus & privatos quosdam doctores incertam quandam opinionem de quibusdam fidelibus, nec valde bonis, nec valde malis, qui post mortem temporalibus pœnis cruciantur: & (quod huic connexum putabant) de liberatione eorundem ab hisce pœnis virtute orationum & oblationum, quas illorum nomine frequentabat Ecclesia. Sed hoc totum ab incerta conjectura pendebat, non à Scriptura, fatentibus iisdem Patribus, uti antea monuimus. Catholica autem Ecclesia, in celebratione Eucharistiæ, offerebat pro defunctis; sed sacrificium *Eucharisticum*, non *Expiatorium*. Unde in Missa, quæ fert nomen Beati Chrysostomi, sic

Solutio.

Missa Chrys. Tom. 5. pag. 353.

ſe habent verba, quæ hanc oblationem exprimunt, *Offerimus tibi rationalem hunc cultum pro majoribus noſtris in fide requieſcentibus, pro Patriarchis, Apoſtolis, & præcipuè pro ſanctiſſima Domina noſtra Deipara, &c.* Quicunque tali oblatione, aut Purgatorium, aut liberationem fidelium à pœnis purgatoriis deducere conatur, Ad Anticyram relegandus eſt. Sed occurrunt etiam orationes & oblationes privatarum perſonarum pro defunctis amicis; Nunquid iſtæ non ſupponunt eos fuiſſe in tormentis, & talium oblationum ſubſidiis ab eiſdem liberandos? Non auſim de omnibus ſpondere. Nam ſcio fuiſſe duos errores pervagatos in Eccleſia: unum eorum, qui animas ſolutas putabant in abditis quibuſdam receptaculis extrà cœlum quaſi in communi cuſtodia detentas uſque ad diem Judicii: alterum eorum, qui ſomniabant omnes Chriſtianam fidem amplexos, quantumvis impios, tandem ſervatos iri. Veriſimile eſt hiſce erroribus implicatos, etiam in orationibus & oblationibus ſuis alium ſcopum habuiſſe, quàm habuit catholica Eccleſia, aut Patres ſaniores. Et quibus Cyprianus, Epiſt. lib. 3. epiſt. 6. ſcribit, ſe oblationes & ſacrificia ob commemorationes Martyrum celebratarum. Et lib. 4. epiſt. 5. ait, ſe ſacrificia pro Martyribus offerre, *qui coronas illuſtri paſſione meruerunt*: unde conſtat haſce oblationes pro defunctis non eo animo ſuſceptas, ut à pœnis eximerentur. Sed neque Patrum orationes eò tendebant, quod ex Nazianzeno, Ambroſio, Auguſtino, facile eſt oſtendere: qui omnes pro amicis defunctis illud verbo tenus videntur poſtulare, quod jam factum eſſe profitentur. Ex unius Auguſtini oratione pro matre ſua, diſcere licet quid ſibi velint hujuſmodi orationes. Sic ille, *Pro peccatis matris mea deprecor te: Nè intres cum ea in judicium. Non ſi interponat nec vi nec inſidiis Leo & Draco, &c.* Videtur pertimeſcere nè mater ſua fortaſſe ardeat in flammis Purgatorii. Audi quæ habentur eodem loco; *Crede quòd jam feceris quod te rogo, ſed voluntaria oris mei approba Domine.* Cæteta quæ à Papiſtis afferri ſolent, lubens omitto: illud unum clauſulæ loco addam, Utcunque mortuis nullam utilitatem afferant hæ preces de quibus diſputatum eſt, vivis tamen afferunt longè maximam. Nam pro hiſce ſuffragiis coëmendis totius ferè orbis divitiæ ad Monachos & ſacrificulos devenerunt. Dum ſeculares hunc errorem errant, nemo perſuaſerit Pontificiis, preces pro defunctis eſſe inanes.

Vide Sixt. Senenſ. lib. 6. annot. 345. Vide Auguſt. Ench. cap. 112. Et de Civit. lib. 21. cap. 24, 25.

Confeſſ. lib. 9. cap. 13.

Quæstio III.

Verè credentes certi eſſe poſſunt de ſua ſalute.

POntificii fidem ità arctare ſolent ad univerſales & conditionatas de ſalute obtinenda propoſitiones, ut interim inficias eant quenquam fidelium aut debere aut poſſe certò credere, ſibi in particulari peccata eſſe remiſſa, ſibi vitam in Chriſto eſſe repoſitam, ſe denique factum eſſe filium Dei, & conſtitutum hæredem regni æterni. Nos è contrà defendimus, verè credentes non modò apprehendere per actum fidei hæc univerſalia pronunciata; *Quiſquis crediderit & perſeveraverit, ſalvus erit; Quiſquis verè pœnituerit, obtinebit remiſſionem peccatorum*, & conſimilia: ſed etiam hæc particularia & applicata; *Ego ſum filius Dei adoptatus; Mihi remiſſa ſunt peccata; Deus me perducet ad vitam æternam*, & id genus alia. Ut hoc meliùs conſtet, inprimis illud tenendum eſt, Nos in hac theſi, *Verè credentium* nomine eos inſignire, non qui nudum tantummodo aſſenſum præbuerunt doctrinæ Evangelicæ, ſed qui nacti ſunt fidem in Chriſtum recumbentem, ad Deum Patrem eos deducentem, corda ipſorum purificantem, eos denique in numero filiorum adoptatorum collocantem; quæ omnia fidei juſtificanti competere ex Scripturis liquet. Si quis neget talem fidem in ullius hominis corde vigere, is negat Chriſtum habere Eccleſiam in terris, & prodit ſe nec verè fidelem eſſe, nec verè Chriſtianum. Porrò, non ſicco pede tranſeundum eſt, quod in theſi ponitur, prædictos fideles poſſe certos eſſe de ſua ſalute. Nam pro qualibet conditione, aut quovis temporis articulo eſſe certos, aut habere actualem hujus certitudinis apprehenſionem, non aſſeveramus. Imò, lubenter agnoſcimus hanc perſuaſionem fidei non exire in actum quolibet momento; nec id ſolùm, ſed contrariam formidinem ſæpe invadere & concutere animos ipſorum renatorum; præſertim cùm reatu gravioris alicujus criminis ſeſe implicatos, & iræ divinæ ob illud obnoxios animadvertunt. Illud igitur

Rom. 5. 1.
Epheſ. 3. 12.
Heb. 10. 22.
Act. 15. 9.
Joann. 1. 12.

igitur ſolummodò tuemur, Quemlibet verè fidelem, ſive renatum, ſemper in ſe habere unde certò ſibi perſuadeat, ſe divinâ miſericordiâ ad æternam ſalutem fore perducendum. Verum igitur eſt (quod omnes pii ſentiunt & dolent) actum fidei ſic intercipi aliquando, & jactari variarum tentationum fluctibus, ut non poſſint ſine magno negotio ad pacatum divinæ gratiæ portum appellere. Sed non minùs verum & hoc, Diſcuſſâ hac nube, & ſole reducto, hominem fidelem ſeſe recolligere, gratuitas Dei promiſſiones apprehendere, & ſalutem ſibi propter Chriſtum donandam: idque non actu incertæ opinationis aut ſpei, cui falſum ſubeſſe poteſt; ſed veræ, vivæ, & infallibilis fidei, per Spiritum Dei in ejus corde excitatæ.

Argum. 1. Huic ſententiæ noſtræ firmandæ, primo in loco afferemus argumentum à natura fidei petitum, & ipſo fine credendi. Fides in corde concepta, & in Chriſtum redemptorem directa, eâdem operâ, quâ Chriſtum apprehendit, vitam æternam ipſi credenti propter Chriſtum donandam apprehendit: nec alio fine fertur in Chriſtum, quàm ut credendo in eum vitæ æternæ particeps fiat. Qui hoc neſcit, fateatur ſe Evangelium neſcire. Joann. 3. 16. *Sic dilexit Deus mundum, &c. ut quiſquis credat in Filium, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et Joann. 5. 24. *Qui credit, habet vitam æternam, & in judicium non venit, &c.* Joann. 20. verſ. ult. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis--, & ut credentes vitam æternam habeatis per nomen ejus.* Fatetur ipſe Caſſander, hanc certitudinem fidei naturâ ſequi juſtificationem; & omnes juſtificatos indè certos reddi de remiſſione peccatorum ſuorum, & gratuita Patris erga ſe benevolentia. Sed objiciunt adverſarii; *Utcunque in genere certum ſit, eſſe aliquos verè credentes, & verè juſtificatos; nemo tamen per fidem certò ſtatuere poteſt ſe eſſe in illorum numero, aut ſe habere hanc fidem.* Longè aliter Apoſtolus; *Spiritum qui ex Deo eſt accepimus, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis*, 1. Cor. 2. 12. *Juſtificati fide pacem habemus apud Deum*, Rom. 5. 1. Quomodo per fidem pacem obtinebit, qui, an ipſam fidem habeat nécne, incertus eſt? Longè aliter Auguſtinus; *Nos ipſam fidem, quando ineſt in nobis, videmus in nobis.* Nec aliter fieri poteſt: nam fides eſt inſtar luminis, quod tam ſeipſum viſibile facit, quàm alia. Paulo & Auguſtino adſtipulantur ipſi Scholaſtici. Aquinas; *Quicunque habet ſcientiam vel fidem, certus eſt ſe habere; quia de ratione fidei eſt, ut homo ſit certus de his, quorum habet fidem.* Nec refragatur Durandus; *Habens fidem, ità certus eſt ſe habere fidem, ſicut certus eſt de quocunque alio: credens enim experitur ſe credere.* Reperit aliam rimam Bellarminus, quâ opinatur ſe poſſe elabi. Reſpondet enim, nos certos eſſe poſſe de ipſo credendi actu, quando credimus; ſed ignorare utrùm actus ille proficiſcatur ex habitu, gratuito ſcilicet & infuſo. Sed Apoſtolus de infuſis donis loquitur; quando ait, nos per ſpiritum ſcire *quæ à Deo donata ſunt*

Conſultat. artic. 4.

Bellar. de Juſtif. 3. 9.

De Trin. 13. 1.

1. 2. quæſt. 112. art. 5.

Lib. 3. d. 23. quæſt. 7.

De Juſtif. lib. 3. cap. 10.

ſunt nobis: &, quando jubet nos tentare utrùm ſimus in fide nécne; quando in hunc modum urget, *Annon cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis?* Si nolit Apoſtolo cedere, at cedat Cardinali. Sic igitur Cajetanus; *Certitudine fidei quilibet ſcit ſe habere donum infuſum fidei, & hoc credit ſicut credit alia credita.* Reſtat ultimum effugium Papiſtarum, nempe fidem juſtificantem non poſſe afferre certitudinem ſalutis ipſi credenti, quia non poteſt eſſe certus, ſe in hac fide perſeveraturum. Corona autem non datur niſi perſeverantibus. Sed neque hoc valet ad enervandam ſalutis certitudinem; quia idem Deus, qui fidem inſpiravit cordibus filiorum ſuorum, conſervabit eandem nè prorſus extinguatur. *Cuſtodimini virtute Dei per fidem ad ſalutem paratam tempore noviſſimo.* Qui per fidem cuſtodit filios ſuos ad ſalutem, proculdubio ipſam fidem cuſtodiet, quâ amiſſâ excideremt à ſalute.

2. Cor. 13. 5.

In 1. 2. quæſt. 112. art. 5.

1. Pet. 1. 5.

Secundò, licet nobis argumentari ab aliis Spiritûs ſancti donis, quæ ſunt certiſſima τεκμήρια obtentæ adoptionis, & hæreditatis obtinendæ; qualia ſunt charitas in Deum & proximum, ſtudium mortificationis, gaudium ſpirituale in Domino, pax conſcientiæ, & conſimilia. De charitate ſcribit Apoſtolus, *Scimus quòd tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Idem dici poteſt de reliquis omnibus; Scimus quòd tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam odimus peccatum, & carnis concupiſcentiis crucifigendis ſeriò ſtudemus. Scimus, &c. quoniam in Domino, non in mundanis hiſce rebus gaudemus. Scimus quòd tranſlati ſumus, &c. quoniam pacem Dei, quæ ſuperat omnem intellectum, obtinuimus. Neque dicere poſſunt adverſarii, eos, qui prædicti ſunt talibus donis, neſcire an ea habeant nécne; nam, autore Auguſtino, *Qui diligit fratrem, magis novit dilectionem quâ diligit, quàm fratrem quem diligit.* Et ſanè perabſurdum eſt, pacem conſcientiæ, aut gaudium ſpirituale illi ineſſe, qui non vividè ſentit hæc eximia dona in anima ſua vigere. Ad gaudium enim ſive ſpiritualem delectationem tria concurrant oportet, *objectum delectabile, applicatio ad appetentem, & cognitio applicationis*, ut rectè Gerſon, part. 2. Comp. Theo. de delectat. pag. 161. Certi igitur ſunt Renati de hiſce rebus obtentis, certi etiam de ſalute obtinenda. Neque hîc contenti eſſe debemus tali certitudine, quæ ex fallacibus conjecturis oriri poteſt: nam hoc dato, ipſa pax noſtra ſubindè eſſet infida, gaudium inane, ſalus evanida. Scio Pontificios concedere nobis certitudinem *ſpei*, de remiſſione peccatorum, de ſtatu gratiæ in præſenti, & ſtatu gloriæ in futuro; ſed negare certitudinem *fidei*. Sed ſi ſpem ex fallacibus conjecturis & diſcurſu humanæ rationis ortam intelligunt; quid fidelibus concedunt, quod impiis & hypocritis ineſſe non poterit? Si verò ſpem infuſam & Theologicam, audiant reſolutum Doctorem, *Quod ſubeſt ſpei infuſæ, non poteſt non evenire;*

Argum. 2.

1. Joan. 3. 14.

De Trin. lib. 8. cap. 8.

Durand.

evenire; vel Apoſtolum potiùs, qui hanc ſpem eandem cum fide certitudinem habere paſſim docet: Rom. 8. 24. dicit nos hac ſpe jam *ſervatos eſſe:* vocat eam *animæ anchoram*, ad Hebr. 6. 19. Denique, pro menſura fidei eſſe in unoquoque fidelium menſuram immotæ & inconcuſſæ ſpei judicavit Apoſtolus, ad Rom. 15. 13. hiſce verbis, *Deus ſpei impleat vos omni gaudio & pace in fide, ut exuberetis in ſpe per virtutem Spiritûs ſancti.* Sanctus Hilarius Scripturæ phraſin ſecutus, ſpem hanc cum fide ità copulavit, ut utrique eandem firmitatem & certitudinem, ſive fluctuationem & incertitudinem, adſcribat. Sic enim loquitur, *Dominus vult regnum cœlorum ſine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate ſperari; alioqui juſtificatio ex fide nulla eſt, ſi fides ipſa fiat ambigua.* Fruſtra igitur diſtinguit inter certitudinem *ſpei*, & certitudinem *fidei*; cùm in homine renato & juſtificato ſpes de ſalute ſua fluctuare non poſſit, niſi fide in Chriſtum ſimul fluctuante: nec fides certa permanere, niſi ſpe eandem certitudinem obtinente. Unde Clemens Alexandrinus non minùs verè, quàm eleganter, Αἷμα τῆς πίστεως ἡ ἐλπίς, *Sanguis fidei eſt ſpes, in qua continetur, quemadmodum fides ab anima. Cùm autem ſpes expiraverit, perinde ac ſi ſanguis effluxerit,* τὸ ζωτικὸν τῆς πίστεως ἀποβάλλεται, *vitalis fidei facultas diſſolvitur.*

Comment. in Matt. pag. 261.

Pædag. lib. 1. cap. 6.

Argum. 3. Accedat ratio tertia ab arcana Spiritûs teſtificatione deſumpta; cujus teſtimonii fidem elevare, ſacrilegæ impudentiæ eſt. Audiamus igitur quid Spiritus atteſtari ſoleat in cordibus renatorum, qui eum acceperunt: *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei. Si filii, etiam hæredes, &c.* Eadem penè verba habentur ad Gal. 4. 5, &c. Quid ad hæc Bellarminus? Reſpondet, Spiritum hoc quidem atteſtari, *non per Revelationem, ſed per Experimentum cujuſdam ſuavitatis, quæ non gignit certitudinem niſi conjecturalem, quæ fallere poteſt; ſicuti videmus in multis, qui Deum Patrem vocant, neque tamen ſunt ejus filii.* Inepta (nè dicam impia) reſponſio. Quid enim refert, quo modo Spiritus hoc atteſtetur, cùm de *fide teſtimonii*, non de *modo teſtandi* quæritur? Sic enim ſonant hæc verba Jeſuitæ, quaſi Spiritûs teſtimonium uno modo exhibitum, eſſet tantùm *conjecturale*, & quod *poſſit decipere* credentem; alio modo exhibitum, eſſet *ratum* & *infallibile*. At nos cum Chryſoſtomo ſtatuimus, de veritate ejus rei, cui Spiritus teſtimonium reddidit, nullam relinqui ambiguitatem. Sed inſtat Bellarminus, Non omnes qui dicunt Abba Pater, id dicere impulſos à Spiritu ſancto; multi enim impii & hæretici præſumunt ſe à Spiritu ſancto didiciſſe, quod à fallacibus ſuis conjecturis acceperunt. Non ſolvit nodum hæc reſponſio. Quæritur enim de verè Renatis & Fidelibus, an habeant in ſe Spiritum teſtantem quòd jam ſint filii, & quòd futuri ſint hæredes Dei: An hoc teſtimonium

De Juſtif. lib. 3. cap. 9.

Rom. 8. 15, 16, 17.

Hom. 14. in Epiſt. ad Rom.

nium Spiritûs qualicunque modo exhibitum ſit aut ità obſcurum, ut percipi non poſſit; aut ità incertum & fallax, ut per illud quivis decipi poſſit. Reſpondetur ab adverſario, Impios & hæreticos, qui Spiritum adoptionis nunquam habuerunt, ſomniare aliquando ſe tale teſtimonium audiviſſe, atque indè deceptos fuiſſe. Ridicula & aliena à ſcopo controverſiæ reſponſio. Nam interrogatus de *regenitis & verè fidelibus*, reſpondet de *impiis & hæreticis*. At ſacra Scriptura hoc diſcrimen ponit inter mundum & verè fideles, quòd mundus non poteſt accipere Spiritum Dei, nec ſcire eum; at verè regeniti cognoſcent eum, quia apud eos manebit, & in illis erit. Perinde igitur facit Bellarminus, ac ſi contenderet, Homines vigilantes & ſobrios non poſſe certò ſtatuere ſe vigilare & ſobrios eſſe, quia ebrii & ſomniantes idem putant, & falluntur. Jam hoc fixo & ſtabilito, quòd filii Dei, ipſo Spiritu teſtimonium illorum cordibus exhibente, certò & infallibiliter cognoſcere poſſunt ſe eſſe filios Dei; ſequitur, Eoſdem certos etiam eſſe poſſe de ſua ſalute. Quid enim impedit, quin cum Apoſtolo confidenter concludant, *Si filii, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti?* Nam *Deus nunquam reſcindit donum adoptionis*; ut verè Ambroſius, lib. 3. diſt. 10. quæſt. 1. art. 1. Quod Biel, ſcriptor Pontificius, apertè agnovit, quando ſcripſit, Eos omnes qui à ſalute excidunt, nunquam fuiſſe Dei filios per adoptionem.

Joan. 14. 17.

Rom. 8. 17.

Ultimo in loco diſputare licet à natura & ſcopo promiſſionum Evangelicarum de remiſſione peccatorum, & de conſecutione vitæ æternæ. Nam harum ea vis eſt, ut ſimulac quis per vivam fidem eas acceptaverit, & ad ſe pertraxerit, illico *firmam & ſolidam* indè *conſolationem* percipiat. At quî poteſt promiſſio de remiſſione peccatorum, aut donatione vitæ æternæ, ſolidum & verum ſolatium afferre credenti, ſi ipſe fidelis incertus maneat utrùm fidem habeat nécne? ſi, dato quòd habeat juſtificantem, non poſſit tamen adhuc certitudine fidei cognoſcere ſibi peccata eſſe remiſſa, aut ſe fore hæredem vitæ æternæ, ſed de hiſce rebus cogatur opinari & quaſi ariolari per ſigna quædam quæ plurimos fallunt? Perpendite igitur quàm frigida & languida ſit illa conſolatio, quam fides Papiſtarum affert credentibus. Nam tendit ſolummodo in hanc univerſalem propoſitionem, *Quiſquis pœnituerit, crediderit, & perſeveraverit, obtinebit remiſſionem peccatorum, & vitam æternam:* aut in hanc conditionatam, *Si ego credidero, & perſeveravero, ſervabor.* At hoc certò ſciunt impii & hæretici, hoc credere poſſunt etiam qui de ſua ſalute deſperant. Malignè igitur agunt cum fidelibus Dei filiis, qui aliam illis fidem non concedunt de remiſſione peccatorum, & ſalute ſua, quàm quæ ineſſe poteſt perditis & deſperatis. At nos affirmamus, Unumquemque fidelium credere & dicere poſſe cum Apoſtolo, *Vivo ego per fidem filii Dei, qui dilexit me, & tradidit*

Argum. 4.

Hebr. 6. 18.

ſemetipſum pro me, Galat. 2. 20. Et 2. ad Timoth. 4. 18. *Eripiet me Dominus ab omni opere malo, ſervabitque regno ſuo cæleſti.*

Objiciunt Papiſtæ, Hanc fidei certitudinem, quam nos ponimus, reddere homines ſecuros, & efficere ut impuris concupiſcentiis audaciùs fræna laxare præſumant; ac proinde ſatius eſſe *ſpem moralem*, ſive *conjecturalem* de hiſce rebus concedere fidelibus & renatis, quàm *fidem Theologicam* & *infallibilem*. Sed ipſi hanc ſuam objectionem elidunt. Nam inter ipſos Pontificios, qui negant renatis hanc fidei divinæ certitudinem, reperiuntur qui docent poſſe eos, imò ſolere, præſertim homines perfectos, ad eam ſecuritatem venire, ut nullam habeant de ſua juſtificatione formidinem: planè ad eum modum quo credimus, ſine ulla hæſitatione & formidine deceptionis, Cæſarem imperâſſe in Italia, Alexandrum in Græcia, Ciceronem oratorem, Virgilium poëtam fuiſſe. Profectò hoc plus eſt quàm nos poſtulamus, aut docemus. Nos enim fidem de remiſſione peccatorum & propria juſtificatione non talem concedimus renatis, quæ perpetuò excludat omnem formidinem contrarii; ſed quæ in omni luctâ & tentatione ad extremum vincat. Nam fides poteſt habere aliquem modum dubitationis, ſalvâ fide: juxta illud Salvatoris, *O modicæ fidei, cur dubitâſti?* Matth. 14. 31. Et illud Mar. 9. 24. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Si igitur noſtra ſententia ſecuritatem pariat, tum illa Papiſtarum, quæ omnem hæſitationem & formidinem excludit, multò magis. Ad hæc, Ex communi ſententia Pontificiorum, illi qui maximam habuerunt certitudinem de propria juſtificatione & ſalute, ſemper maximè incubuerunt ſanctitati, & carni mortificandæ. Inſto in ſanctiſſimis Patriarchis, in Apoſtolis, præſertim beato Paulo, ac in Deipara virgine; qui omnes, quò certiores fuerunt cæteris mortalibus de ſua ſalute, eò erant ſanctiores, & in coërcendis concupiſcentiis ſtrenuiores. Denique, utcunque defendimus, fidem per Spiritum excitatam apprehendere remiſſionem peccatorum, & paternam Dei erga nos benevolentiam; tamen non affirmamus hunc actum fidei aut eſſe aut eſſe poſſe perpetuum; ſed tantummodo exerere ſemet, dum pœnitentiæ & pietati ſtudemus; lumen autem ſuum quaſi retrahere & abſcondere, dum peccato ſervimus. Actus igitur fidei apprehendentis Dei gratuitam in nos benevolentiam, & hæreditatem regni cœleſtis nobis deſtinatam, non facit homines impuros aut ſecuros; ſed hujus perſuaſionis defectus in cauſa eſt, quòd homines in terrenis cupiditatibus volutentur: Nam *quiſquis habet hanc ſpem, purificat ſeipſum, ſicut Deus purus eſt.* Bernardi aureum dictum imponet clauſulam huic quæſtioni. Sic igitur ille; *Deo amanti homines vicem amoris non rependunt, niſi revelante eis Spiritu per fidem æternum Dei propoſitum ſuper ſalute illorum futura.*

Vide Bellarm. de Juſtif. lib. 3. cap. 11.

1. Joann. 3. 3.

Epiſt. 107.

Quæſtio

Quæstio IIII.

Nulla eſt temporalis Papæ poteſtas ſuper Reges in ordine ad bonum ſpirituale.

TEmporalem poteſtatem illam voco, quæ rerum temporalium privatione coërcet peccantes; quocunque tandem boni ſpiritualis prætextu id fiat, vel ad Dei gloriam, vel ad hominum ſalutem pertinentis. Uſurpatam autem hanc omnem à Papa Romano poteſtatem, atque ipſo jure Nullam, tribus propoſitis Theſibus demonſtrabo.

Prima hæc eſt, *Pontifex non debet talem poteſtatem exercere.* *Theſis 1.* Atque hîc nè reſtrictè nimis agere videar cum adverſariis, fruantur in hunc diem, per me licet, jucundiſſimo ſuo inſomnio: Sit Papa Romanus ipſius Chriſti in terris vicarius generalis; hac tamen auguſtiſſimâ perſonâ indutus, temporalem hanc poteſtatem non obtinebit. Nam in confeſſo eſt apud ipſos Papiſtas, quibus aut mentis aliquid ineſt aut frontis, hunc vicarium repræſentare nobis Chriſtum ſolummodo qualis erat dum hîc inter homines viveret, non autem qualis jam eſt poſtquam conſedit glorioſus ad dextram Dei. Sic ipſe Bellarminus. Sic ante eum Occhamus; *Chriſtus vicario ſuo illam ſolummodo poteſtatem commiſit, quam homo mortalis exercuit; non illam quam glorificatus accepit.* *De Pont. Rom. l. 4. De poteſt. Eccl. & Secul.* Si ergò Chriſtus in ſtatu humilitatis nec acceperit nec exercuerit temporalem aut coactivam ſuper Reges poteſtatem, manifeſtum eſt, hunc vicarium nec poſſe nec debere illam vendicare. Quid autem Chriſtus fecerit, planum eſt; Primò, ex confeſſione ejus, qui ultro agnovit, non Cæſaris modò, ſed Cæſariani præſidis temporalem poteſtatem ab ipſo Deo ſupra ſe fuiſſe conſtitutam. *Joann. 19. 11.* Secundò, ab apertâ Judiciariæ poteſtatis rejectione; *O homo, quis me judicem conſtituit ſuper vos?* quaſi diceret, Nec humanâ, nec divinâ ordinatione exerceo judiciariam poteſtatem ſuper privatos, nedum ſuper reges. *Luc. 12. 14.* Denique, ab ipſa praxi ejus: nam qui opus totum conſummavit, quod illi Pater dedit *Joann. 17. 4.*

dedit perficiendum, hoc opus coërcendi Reges, ſpirituali bono obſtantes, nè tentavit quidem. *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia*; ut verè Sedulius. Quâ igitur fronte ſubdititius iſte vicarius eam vendicet poteſtatem, quam verus Dominus repudiavit? Quo ore Leo iſte Cumanus exerceat imperium temporale in Reges, quod Leo de tribu Judæ, dum in terris vixit, non accepit? Tantum eſt de Perſona uſurpantis, qui nullo jure poteſt talem poteſtatem exercere.

Theſis 2. Venio ad ſecundam theſin, quæ reſpicit qualitatem Perſonæ contra quam ea uſurpatur; atque hæc eſt hujuſmodi; *In Reges poteſtas hæc temporalis nec poteſt, nec debet exerceri.* Nam ipſum nomen *Regis*, ac ſuprema Majeſtas, hoc ſubjectionis jugum repellit, atque temporale imperium in cæteros omnes, etiam ſacerdotes, etiam Principem ſacerdotum, (ſi quis talis ſit) jure ſuo ſibi vendicat. Potuerunt reliqui Pontifices à Gregorio Magno hoc didiciſſe, qui Imperatorem *Dominum ſuum* agnoſcit, atque eidem poteſtatem ſuper omnes homines datam confitetur. Atque Innocentius tertius, qui nè tantillum quidem detractum voluit de legitima ſua poteſtate, ſive directa, ſive indirecta, clarè tamen fatetur, Regem in Temporalibus ſuperiorem non recognoſcere. Cùm itaque à ſenſu communi abhorreat, Superiorem, in eo ipſo in quo ſupremas partes tenet, inferiori ſuo eſſe ſubjectum; ſuprematus Regius in temporalibus ab ipſo Papa agnitus, haud patietur, ut rerum temporalium ablatione à Pontifice puniatur. Sed illud etiam ſecundo in loco accedat, Temporalem poteſtatem, aut punitionem, exerceri non poſſe niſi autoritate gladii temporalis; gladium autem temporalem in proprio ejus regno diſtringi non oportere, niſi juſſu Regis. Sic docuit olim Bernardus, Hunc gladium *nutu*, id eſt, *directione ſacerdotis* ex Dei verbo petitâ, ſed *juſſu* tamen *Imperatoris* eſſe ſemper exercendum. Et ipſe Chriſtus multò clariùs, *Qui accipiunt gladium, gladio peribunt:* accipit autem, id eſt, uſurpat, qui illum exercet, non permittente Rege, qui divinâ ordinatione gladium geſtat. Ut ergò Pontifex Regem peccantem temporali pœnâ coërceat, ipſius nocentis juſſum expectare oportet, & (quod ridiculum eſt) tum demum juriſdictionem hanc exercere, quando potuerit ab ipſo reo eam facultatem impetrare. Quòd ſi Regem aliquem nactus fuerit tam mollem, tam mitem, ut ultro gladium illi in manum det, ac ſemetipſum feriri jubeat; tamen vel obtentâ hac temporali poteſtate, non *judex Regum* evaſerit, ſed *carnifex*.

Poſtremò & illud addam, Cæteros omnes manus ab iis abſtinere oportere, quorum coërtionem ſpeciali quodam privilegio ipſe Deus ſibi reſervavit. Nam ſi Papa iniquo animo ferre ſoleat, quoties inferiores epiſcopi caſus ſuæ curiæ reſervatos ſibi arripiunt: ipſe Deus proculdubio indignè ferret, ſi Pontificulus

Lib. 2. Epiſt. 61. ad Maur. In Decretal. Extr. Qui filii legitimi.

De conſid. ad Eug. 5. 3.

Matth. 26. 52.

Rom. 13. 4.

culus Romanus Regum punitionem, cœleſti foro reſervatam, ad ſe conetur pertrahere. Non latuit hoc ſapientem Prophetam; qui hanc ipſam ob cauſam agnovit neminem poſſe, abſque ſummo ſcelere, in Saulem, quantumvis injuſtum, manus injicere: *Quis extendet manum in chriſtum Domini, & innocens erit?* — *Niſi Dominus percuſſerit eum, &c.* Nec aliter ſenſerunt ſacerdotes, quos Hildebrandi hæreſis nondum infecerat. Ambroſius ad illud Pſalmiſtæ, TIBI SOLI PECCAVI, *Rex utique erat, homini ergò non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Cui ſuffragatur Gregorius Turonicus, qui ſic Regem alloquitur, *Si quis de nobis juſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te damnabit, niſi is qui ſe pronunciavit eſſe Juſtitiam?* Si igitur Reges damnare ac punire cupiat Pontifex Romanus, non illi ſatis erit neſcio quam indirectam poteſtatem ſibi vendicare; ſed Dei ipſius titulos directè ad ſe rapiat oportet, ac ſeſe ipſam eſſe Juſtitiam, audaciâ pluſquam Antichriſtianâ, pronunciet. Hæc videntur ſufficere ad aſſerendos Reges à temporali Papæ imperio: ſed quia, quod directè non audent Pontifici tribuere, ſub prætextu boni ſpiritualis Jeſuitæ conantur eidem deferre; hoc ultimum Papiſtarum refugium hac ultimâ noſtrâ theſi expugnabimus.

1. Sam. 26. 9, 10.

Apolog. Dav. cap. 10.

Lib. 5. cap. 17.

Bonum ſpirituale non poſtulat, ut ulla temporalis poteſtas à Pontifice Romano exerceatur. Non eſt enim in ordine ad hunc finem, aut neceſſarium medium, aut accommodatum, aut licitum, aut denique cum ſpirituali cenſura excommunicationis ullo jure connexum. Notum eſt ſatis quantâ confidentiâ Bellarminus aſſerat neceſſitatem hujus uſurpatæ poteſtatis; quaſi Eccleſiæ bonum ſpirituale non poſſet conſiſtere, niſi Papa, ſaltem indirectè, Reges ac Imperatores poſſit deponere. Sed res ipſa indicat, hoc eſſe vaniſſimum commentum: nam per multas annorum centurias ſub peſſimis & crudeliſſimis Imperatoribus ſtetit Eccleſia, viguit cura boni ſpiritualis, cùm interim Romanorum Epiſcoporum nemini, ſive vigilanti, ſive ſomnianti, de hoc neceſſario indirectæ poteſtatis medio quicquam in mentem venit. Nunquid ergò veriſimile eſt, nuperos Pontifices è ſchola Hildebrandi ortos, intellexiſſe meliùs quid ſit neceſſarium in ordine ad bonum ſpirituale, quàm illos antiquos in ſchola Chriſti enutritos, qui graviſſimis vexati perſecutionibus, ad hoc medium indirectum nunquam confugerunt; ſed directis & à Deo ordinatis, precibus ſcilicet Chriſtianorum, prædicationibus Miniſtrorum, atque paſſionibus Martyrum, rem Chriſtianam, atque bonum hoc ſpirituale defenderunt, ornârunt, auxerunt? Quod Suares igitur contendit, *Non opus eſſe aliquâ ſuperiore poteſtate, quæ Pontificem Romanum in officio contineat, quia Chriſtus altiori quodam modo, quoad hanc partem, providebit Eccleſiæ ſuæ*, id ego rectiùs dixerim de Regibus & Imperatoribus;

Theſis 3.

Oth. Friſn. lib. 6. cap. 35.

Vide Auguſt. epiſt. 42.

De Legib. lib. 4. cap. 9.

bus; Non opus esse ad eos compescendos hac Papæ temporali potestate, quia Christus ipse altiori modo tuebitur Ecclesiam suam, non modò contra sævitiam persecutorum, sed contra ipsas portas inferorum. De Juliano Apostata Christianos vexante scitè dixit Athanasius, Illum nil aliud esse quàm *nubeculam citò transituram*. Idem de Ecclesiæ hostibus potentissimis dici potest; Eos nil aliud esse quàm nubeculas, quas Christus spiritu oris sui dissipabit quandocunque voluerit: volet autem quandocunque necessarium Ecclesiæ bonum id postulaverit. Non ergò necessitas Ecclesiæ, aut cura spiritualis boni, sed ambitio Pontificum, & sitis temporalis dominii, hanc indirectam potestatem invexerunt.

Vide Theod. lib. 3. cap. 9.

Diutius hæsi quàm par fuit in re perspicua: Pergo jam, atque affero hanc temporalem potestatem nè accommodatum quidem aut idoneum medium esse ad promovendum bonum spirituale; ac proinde nunquam vel à Christo sapientissimo ad talem finem ordinatam, vel à quovis sapiente Pontifice in eum finem ordinandam. Matthæi decimo prævidit ac prædixit Christus, multos fore qui persequantur ipsos Apostolos, atque bonum spirituale animarum (quantum in illis fuit) remorentur. Nunquid ergò in ordine ad Deum concedit Apostolis, ut, temporali potestate sibi vendicatâ, Reges Ecclesiæ infestos armis coërceant & conterant? Nunquid ipsi Petro permittit ut gladium distringat, quem antea in vaginam jussus est recondere? Imò è contrà, gladium *verbi* illis promittit, non *ferri: fugam* suadet, non *pugnam:* Denique, monet non *timere* eos qui corpus occidunt; sed *bello aggredi*, aut *de solio imperii deturbare*, non jubet. Quòd si Christo ipsi credere nolint Pontifices, at experientiæ credant, quæ satis docuit, Reges temporalibus armis à Pontifice oppugnatos vindictam sæpius quàm resipiscentiam meditari. Non sum vacuus historiis narrandis, sed suum Platinam inspiciant Pontificii, atque discant exemplo Gregorii & Bonifacii, quàm pulchrè hisce Papæ temporalibus armis bonum spirituale promoveatur. Tentârunt hanc viam insani isti Pontifices, sed eâdem operâ Rempublicam bello, Ecclesiam schismate, orbem terrarum scandalis infinitis perturbârunt. Quo tandem boni spiritualis emolumento? Hoc unico, quòd tam apertè super Reges sese extollendo, Antichristianam suam superbiam produnt, & nostros omnes in Evangelica veritate reddunt firmiores.

Matth. 10. 19, 23, 28.

In vita Greg. 7. & Bonifac. 8.

Propero; atque jam, tertio in loco, medium hoc temporalis potestatis, quo uti gestiunt Pontifices Romani, affirmo illicitum esse, & divinæ ordinationi contrarium. Nam ipsi Paulo malum habetur, idque damnatione dignum, resistere potestatibus à Deo ordinatis: atque cuivis pio & prudenti illicitum videtur, egredi fines propriæ vocationis, & alienos invadere, absque expresso Dei dispensantis mandato. Cùm igitur *actus malus*, autore ipso Aquinate,

Rom. 13. 2.

Aquilate, *non ſit ad Deum ordinabilis*, haud excuſabit Pontificem, in Reges arma inhoyentem, prætextu boni ſpiritualis, aut ordinis ad Deum, niſi prius diploma illud proferat, quo illi conceſſum ſit, ut, quoties periclitetur bonum ſpirituale, ex *Sueſdute* fiat *Reo*, & *clandeſtino* abjectis, ad *gladios* rem deducat. Sed quis credat, *Ordinem à Deo*, & *Ordinem ad Deum*, poſſe unquam adverſis frontibus inter ſe concurrere? Nihil certius, quam Ordinem à Deo conſtitutum jubere ut Reges geſtent gladium temporalem, ad ſuprema autoritate coactivâ illacuant de rebus mere omnibus temporalibus. Nihil novius, quam ordinem hunc ad Deum, à Jeſuitis introductum, extorquere Regibus hunc gladium, ac Sacerdotio ſuprema poteſtatem temporalem committere. Quid incertius igitur Chriſtianis, dum ex utraque parte Ordo divinus obtenditur? Quod certum eſt illud teneant; quod incertum eſt tantiſper repudient, donec evicerint Papicolæ, ordinem à Deo conſtitutum poſſe in ordine ad Deum licitè violari.

Quæſt. diſp. de in. Eccl. art. 2. num. 3

Rom. 13.

Reſtat illud unicum, Poteſtatem hanc temporalem, quam ſibi aſſumunt Pontifices in ordine ad bonum ſpirituale, non eſſe cum ſpirituali excommunicationis cenſura ulla in re connexum aut colligatum. Solitum eſt Papæ, poſtquam diſploſerit fulmen excommunicationis in Regem aliquem, pronunciare illico, eum dominio ſuo temporali eſſe privatum, atque ſubditos ejus à vinculo fidelitatis & obſequio civilis communicationis eſſe liberatos. Sed hoc eſſe falſiſſimum indè patet, quòd ex ſententia ipſorum Pontificiorum excommunicatio ſecundum ſe non habet hunc effectum, ut privet quemvis dominio ſuarum rerum temporalium. Unde igitur novam hanc & ſupernaturalem vim in ſolos Reges acquirit? Reſpondet Suares, *Quando talis effectus adjungitur, non eſt effectus ipſius excommunicationis, ſed ſpecialis pœna ſimul cum excommunicatione ab ipſo Judice impoſita.* At dic nobis, nugivendule Jeſuita, quâ autoritate, quo jure Pontifex Romanus hanc ſpecialem pœnam temporalem cum excommunicationis cenſura ſpirituali poſſit conjungere. Judex ſiquidem miniſterialis non poteſt pro ſua libidine quaſlibet pœnas peccanti imponere, ſed in iis infligendis tenetur legis regulam, ac Legiſlatoris ſupremi voluntatem obſervare. Chriſti autem lex & voluntas hæc eſt, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus:* hoc eſt, arceatur à liminibus & ſacris Eccleſiæ, non privetur bonis ſuis, aut deturbetur à clavo Reipublicæ. Nec obſtat illud Apoſtoli, ad Theſſalonicenſes, ubi jubet eos vitare, atque nullum cum illis commercium habere, quibus Eccleſia excommunicationis ſtigma inuſſit: Nam hoc valet ſolummodo, ubi liberum & in noſtro arbitrio poſitum eſt, velimus necne cum illis civilem communicationem retinere: quando autem neceſſarii officii ratio intercedit, ſuperveniens excommunicatio

Vide gloſſ. in Cauſ. 11. quæſt. 3. Cauſ. 15. quæſt. 7. Nos ſanctorum. Vide etiam Aquin. 2. 2. quæſt. 13. artic. 2. & Cajet. ibid.

De cenſuris diſp. 15. ſect. 6. pag. 201

Matth. 18. 17.

2. Theſſ. 3. 14.

Hostien. de senten. Excom.

municatio non dissolvit vinculum debiti illius, seu naturalis, seu civilis. Tritum est inter Canonistas, Hanc ipsam ob causam oportere uxores maritis, filios parentibus, servos dominis, non obstante excommunicationis censurâ, obsequium debitum solitâ fidelitate persolvere. Quantò igitur magis oportet subditos manere in officio erga Reges suos fulmine Pontificio tactos, cùm triplicem personam, si ad Rempublicam referantur, simul sustineant; Maritorum, Patrum, Dominorum: Verbo absolvam; Quamvis Ecclesia possit suis filiis præscribere, nè voluntarium commercium habeant cum privato quovis extra Ecclesiam ejecto, tamen non potest subditis imperare ut secessionem faciant à Regibus excommunicatis; quia ad obsequia illis præstanda, naturali, civili, atque divinâ lege obligantur.

Quæstio

Quæstio V.

Infallibilis determinatio fidei non eſt annexa cathedræ Papali.

POntificii opinantur, in Eccleſia Chriſtiana ſemper extare oportere Judicem aliquem externum, qui de omnibus fidei controverſiis infallibiliter poſſit pronunciare, cui omnes Chriſtiani abſque dubitatione aut examine fidem ſuam poſſint ſubmittere. Ab hac autem judiciaria poteſtate ipſum Deum, ſive Spiritum ſanctum in Scripturis loquentem, diſertis verbis excludunt; atque ad hominem aliquem pertinere docent, qui omnibus ſeculis præſens viget apud ipſos fideles, qui conſpiciendus ſedet in externo & noto aliquo tribunali, qui denique perſpicuè & palàm vivâ voce poſſit res in quæſtionem vocatas definire & determinare. Hiſce poſitis, tandem eò impudentiæ deveniunt, ut Pontificem ſuum Romanum, qualemcunque, ipſiſſimum hunc Judicem eſſe afferant, cui hæc autoritas determinandi, atque hoc privilegium non errandi alligetur. Noſtra autem ſententia eſt, Singulis Eccleſiis concedi oportere Miniſteriales ſuos judices, ad quos ſpectat ex officio lites omnes ſuborta dirimere, atque fidei cauſas juxta regulam verbi divini definire: ſed non tribuimus hiſce Judicibus ſubordinatis divinum infallibilitatis privilegium, quod ſoli Chriſto, atque divinitus inſpiratis Prophetis & Apoſtolis concedendum eſt. Nam ordinarii Paſtores dum adhæreſcunt regulæ infallibili, dogmata certiſſima, & quæ nullo modo fallere poſſunt, populo Dei proponunt: quando verò ab hac recedunt (quod & facere poſſunt, & nimis ſæpe faciunt) in errorum præcipitia & ipſi ruunt, atque alios poſt ſe trahunt. Sed accedamus ad Pontificem Romanum, cui oſtendemus hoc privilegium judicii infallibilis non competere.

Greg. de Valent. Anal. Fidei lib. 3. & lib. 8. cap. 6. Jeſuitæ in Colloq. Ratisb. ſeſſ. 9. pag. 110.

Greg. de Valent. lib. 7.

Malach. 2. 7.

Nam primò, non potuit hanc univerſalem autoritatem judiciariam ſuper totam Eccleſiam, eandémque prorſus infallibilem, niſi Deo donante, obtinere: Deus autem nec Chriſtianos uni-

verſos huic Romano tribunali ſubjecit, neque privilegium hoc infallibilitatis Pontificibus Romanis alligavit. Nam ſi Deus voluiſſet Eccleſiam in dubiis fidei controverſiis Pontificis Romani oraculum adire, declarâſſet proculdubio in ſacris Scripturis talem Judicem à ſe conſtitutum, deſignâſſet nobis nominatim hunc Epiſcopum Romanum, juſſiſſet denique ut ejus ſententiæ omnes, tanquam voci divinæ, acquieſcerent. Eſt enim prorſus incredibile, Deum voluiſſe fidem totius Eccleſiæ ex reſponſis Pontificum Romanorum ſuſpendere, & de hiſce Pontificibus, de illorum ſucceſſione aut ſede, uno ſaltem verbulo, Chriſtianos monere noluiſſe. Scrutentur igitur Scripturas Papiſtæ, proferant indè vel unam ſyllabam, ubi Chriſtus, Paulus, aut ipſe Petrus hunc Romanum Judicem, & controverſiarum definitorem, Eccleſiæ ſuæ indicaverit; atque nos illico eum tanquam unicum & infallibilem fidei Judicem agnoſcemus & venerabimur.

Ad hæc, Si propter privilegium divinitus Romanæ cathedræ alligatum, ejus ſedis Epiſcopi eſſent quaſi perpetui Dictatores Eccleſiæ univerſæ, quid cauſari poſſunt adverſarii, cur non, ut olim, ſic etiam nunc, ipſe Deus immediatâ & extraordinariâ vocatione ſuâ hunc novum Apoſtolum, & ſupremum fidei Judicem deſignaret? Æquúmne eſt, nuperum & æquivocum Clericorum genus, voluntariâ & temerariâ præſumptione, orbi terrarum dare Judicem ſuum ſupremum & infallibilem, de cujus decretis nefas ſit vel dubitare? Æquúmne eſt, paucos Cardinales Deo homuncionem obtrudere, cui ipſe teneatur è veſtigio Spiritum infallibilitatis infundere? Si extraordinario, hoc eſt, Apoſtolico non errandi privilegio Pontificem ſuum munitum volunt, ídque Deo autore: debuerunt Deo permittere, ut extraordinario modo hunc Judicem ipſe deſignaret, & Eccleſiæ præficeret. Spiritus enim ſpirat ubi ipſe vult, non ubi volunt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

Denique vel indè apparet, Pontificem Romanum non eſſe à Deo conſtitutum Eccleſiæ univerſalis ſupremum & infallibilem Judicem, quòd non acceperit omnia neceſſaria ad hanc infallibilitatem judicii exercendam. Sunt enim ad veritatem conſpiciendam & inveniendam neceſſaria, mens ſanctificata, illuminata, humilis, divinæ legis ſtudioſa: nam *animalis homo non percipit quæ ſunt Dei:* atque *Deus ipſe ſuperbis reſiſtit, & humilibus gratiam infundit.* Jam verò apud omnes in confeſſo eſt, Pontifices quoſdam Romanos poſt adeptam cathedram manere animales, occæcatos, impuros, ſuperbos, verbi divini contemptores, quibus multò rectiùs dicamus ſpiritum *vertiginis* & *erroris*, quàm *veritatis* aut *infallibilitatis*, eſſe alligatum. Sed quia fingunt hunc Judicem neceſſarium, ut Eccleſia Dei in dubiis & controverſis fidei quæſtionibus habeat ſemper aliquid certi cui innitatur; ſecundo

1. Cor. 2. 14.
Jacob. 4. 6.

cundo in loco oſtendam, hoc Judice admiſſo, Eccleſiam Dei omnem fidei certitudinem amittere. Atque hîc imprimis quæro, quid ſtatuendum de remotis Chriſtianis, ad quos nec decreta Papalia, nec Legati à latere, nec nomen fortaſſe Pontificis Romani, aut fama pervenit. Extare enim Chriſtianos, qui cum Pontifice Romano nec habuerunt nec habere potuerunt ullum commercium, qui canones ab illo ſtabilitos nunquam cognoverunt, eſt apertiſſimum. Si ergò Pontifex Romanus ſit Judex ille unicus, qui totam Eccleſiam infallibiliter dirigit in fidei negotiis; planum eſt, gentes longè diſſitas, atque incognitas regiones incolentes, nullum ex hoc Judice fructum poſſe capere; ac proinde Deum illorum fidei & ſaluti non ſatis proſpexiſſe: quod divinæ providentiæ minimè conſentaneum eſt. Sed mittamus nationes longinquas, & in ultimis terris locatas: ſi Papæ deferamus ſupremam fidei determinationem, ſæpenumero ipſa hæc Eccleſia, quæ Europæ finibus continetur, caruit ſuo Judice infallibili; aut ſaltem, quis, aut ubi fuerit, non cognovit. Nam in hac ipſa Eccleſia Romana ſchiſmata triginta numerantur ab Onuphrio, quorum unum quinquaginta annos perduravit. Hoc autem tanto temporis ſpatio Eccleſia Romana biceps fuit: Uterque Pontifex ſuos habuit Cardinales ac fautores: uterque ſe geſſit pro Petri ſucceſſore: ad tantam denique ambiguitatem univerſalis Eccleſia devenit, ut ignoraret prorſus uter è duobus Petri ſedem obtineret. Ubi tum erat viſibilis ille Judex? ubi certum tribunal? ubi infallibilis controverſiarum definitor? Si Deus ex Pontifice Romano certam fidei determinationem pendere voluiſſet, illud imprimis curâſſet, nè Eccleſia de hoc ipſo Pontifice Romano tam incerta eſſet. Verùm enimvero, ut ſine rivali Pontifex hanc ſuam cathedram obtineat, tamen adhuc nihil certi erit in fide noſtra, ſi ejus infallibilitate nitatur. Privilegium ſiquidem non errandi haud competit illi ex ſententia Papiſtarum, niſi in quantum eſt legitimus Petri ſucceſſor. Unde, quòd hic vel ille Papa non poteſt errare, ſupponit iſtam propoſitionem, *Talis ritè ſucceſſit Petro.* At quàm lubricum & fragile hoc fundamentum eſt! quàm parùm idoneum, cui certitudo fidei Catholicæ innitatur! Nam primò, ipſa opinio hæc, quòd Pontifices Romani ſuccedunt Petro, fundatur in fide *hiſtoriarum*, non *Scripturarum*. Aſſentior itaque huic ſucceſſioni; ſed *credulitate humanâ & acquiſitâ*, non *fide Catholicâ* aut *Theologicâ*. Porrò, ut fide Catholicâ certum eſſet, Papas Petro ſuccedere in ſede Romana; tamen donum hoc judicii infallibilis, quod perſonale fuit in Petro, ad ejus ſucceſſores transmitti, nè hiſtoricâ quidem fide credi poteſt. Reclamant enim hiſtorici, qui multos Pontifices hæreticos commemorârunt. Poſtremò, ſumamus hoc privilegium veris & legitimis Petri ſucceſſoribus eſſe annexum: cùm ad veram ſucceſſionem requiratur canonica electio, abſque

Gerſ. part. 1. Serm. in die Aſcenſionis.

In Chronic.

Gerſ. part. 1. de pgnis ruinæ Eccleſ.

Gerſ. part. 3. de vit. ſpir. lect. 2.

omni pactione, Simonia, cæteríſque artibus Romanæ curiæ nimis familiaribus; quis præſtare, quis credere poteſt, ullum Pontificem abſque vitio fuiſſe creatum? Si verò Simoniacè ad illam ſedem evectus fuerit, non accepit *Spiritum Chriſti*, ſed *ſpiritum mendacii*. Quàm miſeram ergò certitudinem habet fides Chriſtianorum, quæ tota pendet ex fide & integritate Cardinalium! Nam ſi illi in eligendo Pontifice corrupti fuerint, non infallibilem fidei Judicem, aut verum Petri ſucceſſorem, ſed latronem, atque Simonis Magi ſucceſſorem orbi Chriſtiano præfecerunt. Apage ergò tam incertum alienæ certitudinis autorem. Addam jam tertio & ultimo in loco, Hunc Pontificem Romanum, quem à nobis pro Judice infallibili agnoſci volunt, ab ipſis Pontificiis pro tali neque olim agnitum fuiſſe, neque adhuc agnoſci. Semper enim celebris fuit apud ipſos Romanenſes eorum ſententia, qui Concilium ſupra Papam eminere docuerunt: atque hi omnes primatum Papæ, atque fictitium non errandi privilegium everterunt. Quam ob cauſam à Papa ad Concilium in negotiis fidei appellandum putârunt: Papæ determinationes non obligare ad credendum, expreſſè affirmârunt: denique, Papam eſſe membrum deviabile, atque à Concilio vel corrigi vel etiam deponi poſſe demonſtrârunt. Eſt itaque obſervatu digniſſimum, hanc ipſam arcem fidei Papiſticæ, non à Luthero aut Calvino jampridem, ſed olim à doctiſſimis Pontificiis, atque adeò à duobus Conciliis celeberrimis, Conſtantienſi & Baſileenſi, fuiſſe expugnatam, & ſolo æquatam. Quàm miſerè ergò Papicolæ hodierni certitudinem fidei ſuæ in rebus controverſis ab illo conantur emendicare, quem illorum majores membrum deviabile, erroneum, imò in ipſa cathedra hæreticum eſſe poſſe, haud dubitârunt affirmare! Huc etiam accedat, quòd tota Schola Theologorum docet, Eccleſiam non eandem fidem adhibere ſucceſſoribus Apoſtolorum, quam ipſis Prophetis atque Apoſtolis ſolet exhibere. Nam hiſce ſucceſſoribus non tenemur credere, niſi in quantum nobis annunciant, quæ illi in ſcriptis reliquerunt. *Non eſt eadem autoritas* (inquit Gerſon) *Pontificum, quæ fuit Apoſtolorum: neque ulla jam determinatio puri hominis obligat ſubditos ad credendum eam tanquam fidei veritatem.* Decreta ergò Papalia cum hac exceptione admittuntur ab ipſis veteribus Papiſtis, *Niſi ſint contra Deum*, *Niſi adverſentur Evangelio*: nam in hoc caſu, cuivis ruſtico potiùs credendum, quàm Pontifici Romano, profitentur. Quid quæſo opus hiſce exceptionibus, ſi datum eſſet Pontifici, ex aſſiſtentia Spiritûs ſancti, infallibiliter poſſe omnes fidei controverſias definire? Nemo eâ cautione utitur, quando de Petri aut Pauli doctrina loquitur. Si ergò in docendo aut decernendo Papa haberet æquè infallibilem Spiritûs ſancti aſſiſtentiam: cur non ejus doctrinæ atque determinationi æqualem obedientiam præſtandam cenſuerunt?

Gratian. cauſ. 1. quæſt. 1.

Gerſ. Serm. coram Conc. Conſt. Et in tract. An liceat à Papa appellare.

Aquin. quæſt. diſp. de fide, artic. 10.

Gerſ. part. 3. de vita ſpir. lect. 2. coroll. 7.

Miranda. Theor. 16.

fuerunt. Parùm fortasse perspecta sint antiquis Pontificiis hæc Papalis judicii infallibilitas: at Jesuitæ, qui oculis acutioribus utuntur, compertissimam habent, Pontifices Romanos hoc privilegio gaudere. Imò ipsi Jesuitæ hîc vacillant, atque Pontificem Romanum deridendum potiùs quàm credendum perplexis suis disputationibus omnibus propinârunt. Docet Gregorius de Valentia, Papam, ut privatam personam, in rebus manifestis errare posse, & errorem suum velle Ecclesiæ obtrudere: sed in rebus controversis, ut personam publicam, non posse contra fidem determinare. Quàm puerile & ridiculum commentum! Nam quæ Papa sentit ut privata persona, eadem, cùm in publicum prodit tribunal, solet proferre: & qui in rebus manifestis & sole clarioribus potest errare, ille in obscuris & nondum evolutis multò magis poterit cæcutire. Sed illud etiam impedit, quominùs huic Judici fidem nostram submittamus, quod idem Gregorius nos monuit, Papam nimirum, si vel in occultam hæresin inciderit, Pontificiâ autoritate excidere. Si autoritate Papali excidat, & apud Deum depositus sit, amisit, siquam antea habuit, cathedram, atque Spiritûs sancti infallibilem assistentiam. Quandoquidem igitur fideles, qui corda aliorum scrutari nequeunt, haud certò sciunt utrùm Pontifex intus foveat occultam aliquam hæresin nécne; ignorent quoque utrùm habeat infallibilem determinandi autoritatem est necesse.

Anal. lib. 8. cap. 3.

Bellarm. de Concil. lib. 1. cap. 10.

Ibid. cap. 7.

Nec Bellarminus satis strenuè hoc privilegium propugnavit: nam largitur nobis posse Pontificem, ut Pontificem, etiam cum cœtu Consiliariorum, errare in quæstionibus facti. Secundò, ut privatum Doctorem, errare posse in quæstionibus fidei. Postremò, fatetur multos Pontificios docere, Pontificem Romanum, cum Concilio quovis particulari decernentem, in fide & moribus errare posse: neque ipse audet affirmare, propositionem huic contradicentem esse fide catholicâ tenendam. Quid igitur? egóne agnoscam eum esse Judicem fidei infallibilem, quem non modò solum, sed particulari etiam Concilio suffultum, ab errandi periculo immunem fides catholica non agnoscit? Sed tandem eò delabuntur, ut dicant, Papam generali Concilio subnixum non posse errare in determinandis fidei doctrinis. Erit ergò Papa Judex infallibilis, saltem si accedat illi auxilium Concilii generalis. Non jam de autoritate Conciliorum generalium disputabo; illud solummodo dicam, Hanc defensionem à placitis Jesuiticis, atque recepta vulgi Papistici opinione, esse alienissimam. Nam vulgus Papistarum credit Papam, etiam solum, posse infallibiliter definire. Jesuitæ etiam hanc infallibilitatem à cathedra Petri & Spiritûs assistentia arcessere solent. Nunquid ergò Papa non occupat Petri cathedram, nisi tum solùm, quando convocatur Concilium generale? Nunquid infallibilis Spiritûs assistentia deest Pontifici Romano, nisi adsit certus

De Pont. Rom. lib. 2. cap. 2.

De Concil. lib. 2. cap. 5.

Episco-

Episcoporum numerus? Quid quòd inducerent hunc Judicem suum infallibilem, unquam Ecclesiæ perpetuò necessarium, atque in Ecclesiâ quovis tempore visibilem & accessibilem? Quòd si non potest in actum infallibiliter determinandi exire, nisi suffragante & opitulante Concilio œcumenico, nec necessarius est talis Judex in Ecclesia, nec perpetuus. Non necessarius; quia ipsa Concilia generalia non sunt absolutè necessaria. Hoc indè patet, quòd primis trecentis annis Ecclesia caruit Conciliis generalibus, & nihilominus contra hæreses, persecutiones, schismata, vitia, omnesque diabolorum & hominum machinationes incolumis permansit. Si ergò Pontifex infallibile suum judicium non habet extra Concilium generale, certum est, Ecclesiam nullâ necessitate constringi, ut ad talem Judicem recurrat. Eodem etiam argumento demonstratur, hoc infallibile tribunal, quod Pontifici Romano ascribunt, neque fuisse unquam, neque jam esse, nec esse posse ità constans & perpetuum in Ecclesia, ut quolibet tempore fideles in dubiis fidei causis possint indè petere determinationes ratas & infallibiles. Nam Concilia generalia convocari non potuerunt per trecentos annos propter Ethnicorum persecutiones: & sub Christianis Imperatoribus non singulis annis, imò vix singulis seculis habita fuerunt. Nostrâ autem ætate propter Papæ tyrannidem, & dissidia Principum Christianorum, exigua aut nulla ferè spes ostenditur celebrandi Concilium generale. Si ergò Papa non gaudeat suo judicio infallibili absque subsidiis Concilii œcumenici: infallibilis fidei determinatio nec fuit olim per multa secula, neque jam est penes cathedram Papalem, imò ad mundi usque finem potest Ecclesia absque hoc Judice perseverare.

Bellarm. de Concil. lib. 1 cap. 10.

Quæstio

Quæstio VI.

Cæca Jesuitarum obedientia est illicita.

PAter Jesuitarum Ignatius Loiola proprium familiæ Jesuiticæ insigne esse voluit hanc obedientiam, quam vero, sed infausto nomine, *cæcam* indigitavit. Hanc omnes promiscuè Generali suo, tanquam ipsi Christo, præstare tenentur: qui autem *quatuor votorum Professi* dicuntur, Pontifici Romano insuper jurant, se in omnibus obsequium præstituros, in nullo religionis vel fidei negotio ab ejus decretis discessuros, semetipsos denique huic Christi vicario perpetuo obedientiæ nexu mancipaturos. In hac autem obedientia duo potissimùm requiruntur: propriæ voluntatis & proprii judicii abnegatio, mancipatio, & in potestatem superioris plena dedicio. Negare enim solebat Loiola, *obedientiæ* nomine dignum, qui legitimo superiori non cum voluntate judicium quoque suum submitteret. Sed nunquid in hac cæca obedientia satis est, submitteret; imò amittere & prorsùs extinguere oportet omnem inclinationem propriæ voluntatis, & omne lumen proprii intellectus, ut postmodum Generalis, seu Pontificis arbitrio, tanquam cæci alieno ductu in omnibus dirigantur. Hoc enim manifestè innuitur, quando obediens hic & morigerus Jesuita, ceræ, statuæ, baculo, mortuo assimilatur. Nam ut hæc omnia nihil ex se agunt, sed alienæ motioni prorsùs subjiciuntur: sic Loiola Jesuitam suum agi & duci voluit ut *nervus, alienæ mobilis ligamen*. Jam verò ne tam absurda & bruta obedientia minùs placeret hominibus judicio & ratione præditis, illorum animos præparat & imbuit duabus hisce falsissimis opinionibus. Unâ, Oportere eos in suo Generali, ac multò magis in quovis Pontifice Romano non hominem erroribus obnoxium considerare, sed ipsum Christum, qui est sapientia Patris, intueri atque horum vocem excipere, non secus ac Christi ipsius, qui nec decipi potest, nec decipere. Alterâ, Debere eos apud animum suum statuere, se moveri ac dirigi à divina voluntate & providentia, quòquoversus moventur & diriguntur

1.

Maffeius vitâ Loiolæ lib. 1. cap. 7.

Hospinian. de orig. Mon. cap. 66. pag. 296.

Hasenm. pag. 157.

Maffeius lib. 3. cap. 7.

Summ. Con. Jes. Reg. 31, 32.

Hasenmul. cap. 6. de voti Jesuit. pag. 140.

Maffeius lib. 3. cap. 7.

Summ. Constit. Jesuit. Regul. 36.

riguntur à ſuo ſuperiore. Videris quale ſit cæcum hoc, non tam obedientiæ, quàm amentiæ Jeſuiticæ monſtrum: id jam reliquum eſt, ut argumentorum ſpiculis confodiatur. Illicitam ergò affirmamus hanc cæcam obedientiam, tam ratione ſuperioris illam exigentis, tum ratione inferioris illam exhibentis.

1. Peccant Superiores, quia, ut cæcam hanc obedientiam extorqueant, inſtillant priùs ſubditorum animis venenatos errores, & in ipſum Deum blaſphemos. Nam quale eſt illud Loiolæ poſtulatum, *In quovis ſuperiore, non hominem errori obnoxium, ſed Chriſtum Dei ſapientiam, à ſubditis ſpectari oportere!* Aliter multò Auguſtinus, qui laudat Chriſtianos, quòd potuerunt inter Dominum æternum & Dominum temporalem diſtinguere. Nam utcunque in legitimi ſuperioris imperio divinam ordinationem agnoſcere teneamur: tamen in perſona ejus divinam Chriſti ſapientiam imaginari, aut in mandatis ejus omnibus indubiam rectitudinem præſumere, tum à ratione, tum à religione ipſa abhorret. Nam rationi compertum eſt, quemvis mortalem eſſe errori obnoxium: atque experientia oſtendit, eos qui legitimam poteſtatem habent, jubere ſæpenumero mala & illegitima.

Tom. 8. in Pſalm. 124.

Vide Summ. Reg. 35.

Ejuſdem farinæ eſt illud alterum quoque poſtulatum, quod huic cæcæ obedientiæ ſubſternunt. Dicunt enim, oportere ſubditos exiſtimare, divinâ voluntate ſe eò impelli, quò à ſuperioribus ſuis diriguntur: atque hinc deducunt, Prudentiam eſſe ſolius *imperantis*, non autem *obedientis* virtutem. Verùm enimvero hæc nè ſpeciem quidem veritatis habent, niſi ſumatur, ſuperiores legitimos habere voluntatem in bono confirmatam. Dum enim ipſi peccato & erroribus obnoxii ſunt, eatenus ſecundum divinam voluntatem ſubditos impellunt, quatenus ipſi ſuam voluntatem divinæ regulæ conformem ſervant. Quis enim dixerit, populum Iſraëliticum divinâ voluntate ad idololatriam vocatum, quia Jeroboamus juſſit aureum vitulum adorare? aut Judæos ad Chriſtum crucifigendum à Deo impulſos, quia ad hoc Prælatorum ſuorum ſuaſu & imperio movebantur? aut Papiſtas ad imagines colendas, Reges deponendos divinâ voluntate incitari, quia Superiorum ſuorum decretis & mandatis ad hæc ſuperſtitioſa & impia inſtigantur? Atque hæc prima ratio eſt, quâ oſtenditur cæcam hanc obedientiam illicitam eſſe ex parte Superioris: nimirum, quòd poſitis falſis fundamentis, Jeſuitaſtros ſuos occæcatos ad eam præſtandam inducere conantur.

Matth. 3. 7.

2. Peccant graviter qui à ſubditis talem exigunt obedientiam: quia, quod ſoli Deo debetur, ſacrilegâ audaciâ ſibi aſſumere haud verentur. Nam abſolutum imperium in voluntatem & intellectum alterius, eſt privilegium ſoli Deo reſervandum, cujus ſolius voluntas eſt prima, abſoluta, & certa regula juſtitiæ

Aquin. 2. 2. quæſt. 104. art. 5.

&

& bonitatis: homines nè optare quidem debent, multò minùs exigere abſolutam & cæcam obedientiam, ſed ſub hac limitatione, Si illorum mandata ab hac prima & certa juſtitiæ regula non exorbitaverint. Nam poteſtati ſubordinatæ in tantum aliquis ſubjici debet, in quantum ordinem ſuperioris ſervat. Hinc illud Petri, *Obedire Deo potiùs oportet, quàm hominibus.* Quorſum hoc, ſi hominibus liceat abſolutam obedientiam pro ſua libidine exigere?

Illud denique horum impietatem revincit, quòd, contra dictamen propriæ conſcientiæ, abſolutam ſibi vendicant in voluntates & judicia aliorum dominationem, qui propriæ voluntatis & judicii abſolutam rectitudinem ſibimetipſis deeſſe intelligunt. Quâ enim fronte quis poſtulet, ut ſua ratio & voluntas ſit aliis immota juſtitiæ & æquitatis regula, quæ nè ſibi quidem ipſis eſſe aut debent aut poſſunt? Poteſt quidem Deus exigere à nobis abſolutam obedientiam, quia nihil poteſt præcipere contra Juſtitiam: atque hæc ratio eſt, cur neceſſitate *Juſtitiæ* omnes voluntates teneantur obedire divino imperio, ſicut neceſſitate *Naturæ* omnia naturalia ſubjiciuntur divinæ motioni. At homo, ſi ad hunc modum ſibi exhiberi obedientiam poſtulaverit, impudenter egerit, & reluctante propriâ conſcientiâ ſibi rapit, quod ad ſe pertinere non poſſe, optimè novit.

Sed quia Jeſuitæ parùm curant, licitè an illicitè exigatur hæc cæca obedientia, modò ab inferioribus non denegetur: videndum deinceps, an ipſi ſubditi talem obedientiam ulli mortalium licitè vovere poſſint, aut præſtare.

1. Illud igitur imprimis huic obedientiæ cæcæ adverſatur, quòd homo quilibet teneatur humano more, non belluino, agere; hoc eſt, ratione & conſilio, non cæco obſequio ad merum juſſum alterius quidvis perpetrare. Nam ſicuti in aliis rebus, ità in ipſa obedientia præſtanda, oportet unumquemque ex proprio conſilio procedere: non quòd ſuperioribus auſcultandum non ſit; ſed quia æquum eſt, ut tam parenti quàm imperanti conſtet, actum imperatum non eſt illicitum. *Unuſquiſque*, inquit Aquinas, *tenetur actus ſuos examinare ad ſcientiam, quam à Deo habet, ſive ſit naturalis, ſive acquiſita, ſive infuſa; omnis enim homo debet ſecundum rationem agere.* Qui igitur juxta Loiolæ diſciplinam in animum ſuum induxit, oportere ſe, quicquid à Superioribus injunctum fuerit, obire, atq; omnia illorum mandata pro juſtis habere, judicium denique ſuum cæcâ obedientiâ negare; is, ut ſe obedientem exhibeat, aut ſtipitem, aut belluam facit.

Aquin. 2. 2. quæſt. 114. artic. 10.

Quæſt. diſp. de Conſc. artic. 3.

Summarium Reg. 35.

2. Secundo in loco, contra hanc cæcam obedientiam militat receptiſſima illa regula Theologorum, *Qui ſciens ſe exponit diſcrimini mortalis peccati, peccat mortaliter.* Qui autem impio hoc & temerario voto ſe obligavit, nempe ſe facturum ſine ulla diſquiſitione, quicquid Superior juſſerit, aut creditum ſine ullo

Gerſ. in Reg. mor.

examine, quicquid Papa decreverit, conjecit se in apertum hoc discrimen: cùm & indubitatum sit, quemvis Superiorem, & quemvis Pontificem, posse & illicita jubere, & falsa definire. Nisi igitur Superiores prædem aut fidejussorem dederint se nunquam erraturos, subditi non possunt vovere se in rebus omnibus semper iis cæcam obedientiam præstituros.

3. Quinetiam & illud perspicuè demonstrat hanc cæcam obedientiam Deo non probari; quia non habebit illos excusatos, qui cæcâ devotione Prælatis suis obtemperantes, sive in hæreses, sive in quòdvis peccatum inciderunt. Quòd si licita esset hæc obedientia, nemini apud Deum obesse debuit, quòd licitè suis Superioribus voluntatem & judicium suum subjeciſſet. At longè aliter se rem habere docent sacræ Scripturæ. Nam *si cæcus cæcum duxerit, ambo cadent in foveam:* graviore fortasse ruinâ Superior, quia se oculatum jactitavit; sed certâ pernicie inferior, quia stultitiâ voluntariâ seipsum exoculavit. Cùm enim ventum fuerit ad terribilem illum extremi judicii diem, unusquisque actionum suarum rationem redder, nec insons habebitur, si quid deliquerit, quòd voluntatem & judicium suum Superiori tanquam Deo resignaverit. Quis enim hoc ab illo requisivit? Quis ad talem obedientiam illum obligavit? Nam *omnis obligatio licita ad dictamen divini arbitrii sic volentis obligare creaturam suam est reducenda.* Temere igitur & stultè homuncioni cuivis tanquam Deo te reddis subjectum; qui, Deo Judice, siqua in re malè præceperit, non poterit te præstare indemnem.

Matth. 15. 14.

Gerſ. in Reg. mor. pag. 128.

4. Postremò, non potest esse licita illa obedientia, quæ divini mandati negligentiam involvit: quod cæca hæc & Jesuitica facit apertissimé. Nam Deus jussit cavere [a] nè quis nos seducat: jussit, [b] omnia probare: vetuit, [c] servos hominum fieri: vetuit fieri [d] sicut mulos aut equos, quibus non est intellectus. At qui obstinatè statuerunt, quicquid Superior mandat, vel sentit, defendere; quicquid præcipit, pro Dei præcepto reputare; quicquid innuerit, cæco quodam impetu voluntatis, sine ulla prorsus disquisitione, perficere: illorum proculdubio obedientia cautionem excludit, probationem tollit, eos hominibus in servitutem addicit, ac denique non mulos solùm aut equos, sed statuas & truncos facit.

[a] Ephes. 5. 6.
[b] 1. Thess. 5. 21.
[c] 1. Cor. 7. 23.
[d] Psal. 32. 9.
ex Epistola Ignat. de obed.

Sed videor mihi audire Jesuitas clamantes, insignem nos Loiolæ facere injuriam. Nam utcunque cæcam obedientiam suis injungat, & ab illis abnegationem proprii judicii efflagitet; tamen hâc exceptione utitur, *Obediendum quidem esse Superiori in omnibus rebus, nisi ubi peccatum cernitur.* Lepidum profectò hîc se præbuit impostorem, qui, postquam suos omnes exoculavit, miserè occæcatos ultro derisum venit. Non secus enim agit ac ille, qui sedulò moneret viatorem cui oculos effodit,

Reg. Jesuit. Regul. 31.

fodit, ut ſe præeuntem ſequeretur, quacunque eat; niſi ubi præcipitium cerneret. Nam ut hic, cui oculi effoſſi ſunt, non poteſt præcipitium cernere: ſic neque ille, qui ſuo judicio penitus renunciavit, peccatum diſcernere. Quî enim id poſſibile fiat? cùm juſſu Loiolæ jampridem oculos intelligentiæ propriæ abjecerit, & alieni judicii oculis ſe totum dirigendum permiſerit. Sed fac novitium aliquem uti oculis judicii ſui, atque in Superioris mandato manifeſtum peccatum diſcernere: nunquid huic licebit judicio ſuo niti, & Superioris injuſtum imperium recuſare? Imò nihil aliud poteſt, quàm hoc judicium ſuum ad ipſum Superiorem referre, idque hâc lege & cautione, ut tam ante, quàm poſt relationem, animo parato ſit ad approbandum & rectius putandum, quicquid Superiori placuerit. Exceptionis igitur prædictæ hæc vis & ſententia eſt; Non eſt parendum Superiori, ubi peccatum cernitur, ſi ipſe Superior conſultus reſponderit illud revera eſſe peccatum: at ſi ille in ſententia ſua perſtiterit, tum quod ſuis oculis utenti videbatur manifeſtum peccatum, alienis jam oculis credenti rectum & bonum videri debet. Sed nè per hanc rimam elabantur, exemplis oſtendam, illos probare obedientiam, quæ etiam in rebus planè illicitis Superioris mandato exhibetur. Quæro igitur an licitum ſit vel alienam operam requirere, vel ſuam impendere in res ridiculas, inutiles, & prorſus impoſſibiles. Si non ſit, cur in exemplum obedientiæ ſuis proponit illum Monachum, qui juſſus ab Abbate ſuo, palum ſiccum, quaſi viridem arborem, per integrum annum rigare non deſtitit? Cur alium, qui, juſſu Superioris, ingentis magnitudinis petram, quam nè centum quidem homines loco movere potuiſſent, ſolus tollere conatus fuerit? Qui credunt Chriſtianos etiam cujuſlibet verbi otioſi rationem reddituros, non debuerunt, in experimentum & exercitium hujus cæcæ obedientiæ, actiones tam otioſas iis imperare. Si hæc leviuſcula & ludicra videantur, afferam graviora, & cum manifeſto peccato conjuncta: in quibus tamen & exegerunt & laudârunt cæcam obedientiam ſubditorum. Quid enim magis ſceleratum potuit ipſe diabolus iis quibus imperat ſuggerere, quàm ut ſe perditum eant, & modò in aquam, modò in ignem conjiciant? At ſi Abbatis juſſu Monachus in ignem ſe conjecerit, aut ſuper aquas ambulare præſumpſerit, celebratur imprimis hæc obedientia, & indè ſpecimen virtutis hujus aliis commendatur. Non me latet, antiquos quoſdam ſcriptores, qui Monachorum fabulis aures nimis credulas præbuerunt, hujuſmodi obedientiam ſcribere, àb ipſo Deo miraculis fuiſſe condecoratam. Sed contra apertum Dei verbum, quod vetat Deum tentare, non oportet obedientiam, ſive veris ſive mendacibus miraculis comitatam, approbare. Verùm antiquiora hæc mittamus, & ad ipſum Loiolam deſcendamus. Is ergò, ut etiam in manifeſto peccato animos

Ignatius in Epiſt. ad fratres Luſit.

Haſenmul. cap. 6. pag. 139.

Marc. 9. 23.

Sulpitius Dial. 1. De virtutibus S. Martini. Greg. Dialog. lib. 2. cap. 7.

mos adderet suis novitiis ad cæcam hanc obedientiam præstandam, profitetur, si Papa jusserit, velle se navigium ascendere planè exarmatum, ac mari ventisque sine ulla dubitatione sese committere. Quod quid aliud est, quàm Papâ jubente, velle se, contra Christi exemplum & doctrinam, Dominum Deum suum tentare? In nostra tempora desinamus. Quod peccatum crassum magis, aut manifestum, quàm perjurii, rebellionis, aut homicidii? Si Papa tamen jusserit juratam Regi fidelitatem violare, ex illorum sententia est obediendum: Si contra suum Regem arma ferre, non est recusandum: Si pulvere tormentario Reipub. & Ecclesiæ proceres universos frustulatim discerpere, à tanto scelere non est abstinendum. Quàm inanis igitur & hypocritica est illa manifesti peccati exceptio, cùm hoc omnium suorum animis insidere volunt, Quicquid à Pontifice aut Generali jubeatur, quantumvis tetrum & horribile sit, non flagitii tamen manifesti, sed operis potiùs meritorii naturam induere! Nec puduit Jesuitas in Colloquio Ratisbonensi confidenter asserere, populum ità subjectum esse regimini Præpositorum suorum, ut, si illi in aliquo dubio definiendo errarent, populus vi regiminis errare simul posset, imò deberet. Faceſſat ergò cæca hæc Jesuitarum obedientia, quâ fascinati, necesse habent cum suis superioribus errare, neque possunt manifesta peccata ab operibus sanctis distinguere.

Maffeius lib. 3. cap. 7.

Matth. 4. 7.

Sessione 9 pag. 282 & 288.



Quæstio

Quæstio VII.

Non licet Protestanti salvâ conscientiâ Missæ interesse.

VEriſſimè ab ipſo Bellarmino obſervatum eſt, Si cæteræ omnes controverſiæ componerentur, tamen inter Proteſtantes & Papiſtas pacem conciliari non poſſe, quòd illi Miſſam ſuam diviniſſimum Dei cultum, nos horrendam idololatriam judicamus. Sed id non jam agitur, ut blaſphemam Miſſarum impietatem detegamus, ſed ut doceamus non poſſe noſtros, qui animis abhorrent ab hac impietate, vel corporibus adeſſe iſtorum miſſificationibus. Quam diſputationem contra illos inſtituimus, qui ſtultè opinantur, nihil periculi aut peccati eſſe in communicatione externa cum idololatris, modò ipſa mens ab illorum pravis ſuperſtitionibus abhorreat. Verùm enimvero, quiſquis hoc fecerit, conſcientiæ bonæ integritatem violat, atque peccat multipliciter. *Tom. 1. de Laic. lib. 3. cap. 19.*

Primò, in ſeipſum; dum illicitâ & impiâ ſimulatione conſcientiam propriam ſauciat, animámque conſpurcat & contaminat. Nam mens Proteſtantis bene inſtituti clarè dictat, Papiſticam Miſſam non eſſe ſacrificium pro vivis & mortuis expiatorium, ſed ſacrificii per Chriſtum ſemel oblati ſacrilegam violationem: at ipſa actio conveniendi in templum Papiſticum, & conſociandi ſe cum illis qui Miſſam venerantur, apertè præ ſe fert ſperatam ex illa peccatorum expiationem, & ejuſdem tanquam legitimæ & ſacræ actionis approbationem. Porrò, animus Proteſtantis dicit, fruſtulum illud panis quod elevatur à ſacrificulo, non eſſe Chriſtum ἀναίσθητον Filium Dei vivi: at actio proſternendi & adorandi, omnibus illîc præſentibus ſignificat, ſub vacua panis ſpecie ipſum Deum coli & agnoſci. Hanc pugnam externarum actionum cum interna mentis ſententia fœdiſſimam ſimulationem dico, & mendacium nihilo tolerabilius, quàm ſi quis expreſſis verbis

Aquin. 2. 2. quæſt. 3. artic. 1.

verbis ſe Miſſam Papiſticam approbare teſtaretur. Nam ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem ſe exhibeat per ſigna exteriora, qualis revera exiſtit: atque opponitur huic veritati, cùm aliquis per ſigna factorum contrarium ejus ſignificat quod in mente clauſum habet; quam ſimulationem *Mendacium in factis* licet appellare, uti rectè Aquinas. Qui itaque Papiſtarum Miſſas ex animo averſatur, atque retinet interim externam hanc cum illis participationem, *eò damnabiliùs agit, quia quod mendaciter agit, ſic agit tamen, ut eum populus veraciter agere exiſtimet*, ut de Seneca philoſopho ſcripſit Auguſtinus.

Auguſt. de Civit. 6. 10.

Secundò, ſi quis è noſtris adeat Miſſas Papiſtarum, peccat in fratres, præſertim infirmos; quibus ſcandalum ponit, dum hoc ſuo exemplo eos allicit & invitat ad hanc licentiam, quâ illorum conſcientiæ polluantur eſt neceſſe. Quantum autem hoc peccatum ſit, ex hiſce Chriſti verbis apparet, *Væ homini per quem ſcandalum venit.* Neque negari poteſt, ex tali facto ſcandalum dari, ſaltem infirmis; cùm ſcandalum nihil aliud ſit, quam dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ. Hoc autem factum præbet occaſionem infirmo, ut ſuſpicetur Miſſam non eſſe actionem impiam & idololatricam, atque ità viam illi ſternit, ut ad Papiſtas deficiat. Qui itaque hanc licentiam ſibi aſſumunt, ut Papiſtis ſe adjungant in externa Miſſarum celebratione, quantumvis ſint animo averſo ab illorum idololatria, tamen illud Apoſtolicum violant, *Ab omni ſpecie mali abſtinete.* Nec valebit in excuſationem, ſi dixerint, ſe non intendere hoc ſuo facto probare illa quæ fieri ſolent in Miſſa, multò minùs inducere infirmos fratres, ut ſentiant Miſſæ ſacrificium eſſe legitimum & Deo gratum: quia ſcandalum æſtimatur, non ex *arcana intentione operantis*, ſed ex *manifeſta conditione operis*. Ea eſt facti conditio & natura, quæ impellat infirmos in errorem prædictum, atque alliciat ad peccandum: quæcunque ergò fuerit agentis intentio, ipſa actio in ſe ſcandali rationem obtinebit. Cùm ergò quilibet ab omni actu, cui non eſt neceſſariò aſtrictus, teneatur deſiſtere, ubi juſtè timetur ſcandalum puſillorum: quantò magis ab hoc actu Miſſas adeundi, cui nullo modo eſt aſtrictus, & in quo juſtè offenduntur animi & puſillorum & robuſtorum!

Matth. 18. 7.

1. Theſſ. 5. 22.

Gerſ. part. 2. Reg. Moral.

Tertiò, tepidi iſti Proteſtantes, qui Miſſas frequentant, peccant in ipſos Papiſtas, quos hâc ſuâ ſimulatione reddunt in erroribus & idololatria magis obfirmatos. Siquidem cùm conſpiciunt noſtros illorum Miſſis intereſſe, illico apud ſe cogitant, non modò has, ſed reliquas omnes Papiſmi fæces approbari: præſertim cùm Miſſa inſtar ſymboli aut teſſeræ habeatur, quâ diſtinguuntur Romanenſes à Proteſtantibus. Reſpondeant ergò mihi, quomodo ſalvâ conſcientia poſſint illos in ſuperſtitioſis ſuis cultibus confirmare, quos tenentur ab hiſce tenebricoſis operibus omni ope avocare. Urget enim illud Apoſtolicum mandatum,

mandatum (*Nolite jungi alienigenis infidelibus*) ſe ſubjicere, ſed ſimulatione quadam [illegible] arguere: at hi non ſolùm tacendo videntur conſentire, ſed conformando ſe ſuperſtitioſis iſtorum ritibus, ipſam actionem idololatricam (ſi non verbis, factis tamen) probare & dilaudare. Quâ ſimulatione in pernicioſo ſuo errore obdurant Pontificios. Peccant ergò in charitatem quæ ipſis inimicis debetur; quod ſalvâ conſcientiâ facere eſt impoſſibile.

Poſtremò, peccant directè in ipſum Deum: Religio enim, quæ nos Deo religat, obligat ad profeſſionem religionis, prohibet diſſimulationem veræ, atque multò magis ſimulationem falſæ. Atque hinc eſt quòd ipſe Deus pro genuinis ſuis ſervis eos ſolos agnoſcat, qui in ipſo extremo cultu cum idololatris non communicant; *Reliquos mihi feci ex Iſraele ſeptem millia virorum, quorum omnium genua non curvaverant ſub Baal, & quorum omnium os non oſculatum eſt illum.* Si unà cum Baalitis incurvâſſent genua coram idolo, quamvis corde illud idolum non adorarent, Deus illos in ſuis proculdubio non numerâſſet. Unuſquiſque enim ad illam religionis ſuæ profeſſionem perpetuò obligatur, quæ ſica eſt in hoc, ut conjungat ſe cum piis & orthodoxis, ſe jungat ab idololatris & hæreticis. Nam cùm Deus tam corporis quàm animæ Creator ſit, cùm Chriſtus utriuſque ex æquo Redemptor ſit; æquum eſt, ut Deum tam corporis quam animi obſequio colamus, ut Chriſto tam corporis quàm animi ſocietate adhæreſcamus. Fruſtra igitur obtendunt ſe permanere in obſequio Dei & Chriſti, qui in cultu idololatrico adjungunt ſe ſervis diaboli & Antichriſti. Eleganter & piè Tertullianus, *Nefas eſt alli de ſuâ religione mentiri. Ex eo enim quòd aliud ſe ſpoli fingit quàm eſt, negat quod eſt; & jam non colit quod negavit.* Poſſent hæc omnia exemplis Sanctorum, tum ex ſacra Scriptura, tum ex hiſtoria Eccleſiaſtica petitis, illuſtrari; ſed prohibent temporis angustiæ. Cùm ergò Proteſtantes, qui idololatrico Miſſæ ſacrificio interſunt, animas proprias polluunt ſimulando, infirmos fratres lædant ſcandalizando, Papiſtas foveruntur, eos in impietate ſua confirmando, Deum denique ipſum dehonorent, inter verum ejus cultum & idololatricum claudicando: concludamus, non poſſe Proteſtantes ſalvâ conſcientiâ Miſſæ intereſſe.

Rebus [illegible]

1. Reg. 19. 18.

1. Cor. 10. 21.

1. Cor. 6. 19.

Apolog.

In 3. Tom. [illegible]

Ibid. diſp. 25. [illegible]

1. Joann. 2. 15. Rom. 8. 1. 35. &c. Apoc. 14. 11. Jer. 50. 20.

Quæſtio

Quæstio VIII.

Opera pœnalia non ſunt divinæ juſtitiæ ſatisfactoria.

REmiſſionem peccatorum obtineri non poſſe, niſi interveniente juſtâ & exactâ ſatisfactione, in confeſſo eſt apud omnes: ſed quænam ſit hæc juſta ſatisfactio, aut à quo præſtita, quæ compenſet injuriam Deo illatam, & compenſando extinguat totam pœnam peccatori debitam, inter Orthodoxos & Papiſtas ambigitur. Papiſtæ ſentiunt Chriſtum obedientiâ & morte ſuâ ità ſatisfeciſſe Deo, ut omnes verè pœnitentes, quolibet tempore in hac ejus ſatisfactione remiſſionem *culpæ* conſequantur; *pœnæ* autem (ſi poſt Baptiſmum peccent) non *remiſſionem abſolutam*, ſed *clementem quandam commutationem*. Nam, ex iſtorum ſententia, poſt remiſſam culpam, luenda tamen manet ipſiſſima pœna ſenſûs, quam in gehenna pati debuiſſet peccator, remotâ ſolùm æternitate. Divinæ ſiquidem juſtitiæ ratio exigit, ut cùm à culpa per Chriſtum liberemur, pœnæ reatum per nosmetipſos expiemus, vel ſatisfaciendo in hac vita, vel ſatispatiendo in Purgatorio. Satisfieri autem volunt divinæ juſtitiæ per opera pœnalia; quæ vel imponuntur juxta judicium ſacerdotis, vel ſponte ſuſcipiuntur arbitrio ipſius pœnitentis, vel denique ab extrinſeco inferuntur, *ſiquis hujuſmodi pœnas patienter ferendo, Deóque pro ſuis peccatis offerendo, moraliter ſuas faciat*, ut loquitur Suares. Atque in exigenda noſtra ſatisfactione putant Deum tam diſtrictè agere, ut illam pœnæ debitæ juſto pondere æquivalentem requirat: quam ſi peccator non adimpleverit, quantum illud aut quantillum ſit quod reſtat, in Purgatorio ſolvendum eſt uſque ad noviſſimum quadrantem. Atque hoc fabulæ Papiſticæ argumentum eſt.

Bellar. de pœn. lib. 4. cap. 1.

In 3. Tom. 4. diſp. 37. ſect. 7.

Ibid. diſp. 38. ſect. 4, 5.

Noſtri ex adverſo docent, Chriſtum Servatorem obtuliſſe Deo illud ſacrificium expiatorium, quo ſolo tam *culpa* quàm *pœna* omnium peccatorum noſtrorum expiatur & expungitur: ità ut nec ſatisfaciendi officium pro injuria Deo illata ipſis pœnitentibus

1. Joann. 2. 2. Iſa. 53. 5. Rom. 8. 1, 33, &c. Apoc. 14. 13. Jer. 50. 20.

nitentibus ulla ex parte incumbat; nec ullis illorum vel actionibus, vel paſſionibus, poſt remiſſionem *culpæ*, redimendum ſuperſit aliquod debitum *pœnæ*, ſecundum juſtitiæ vindicantis regulam taxatæ. Quæ igitur pœnitentibus injunctæ fuerunt apud antiquos pœnæ, non in ſatisfactionem divinæ juſtitiæ, ſed in ſatisfactionem offenſæ Eccleſiæ impoſitas fuiſſe affirmamus. Quæ autem opera pœnalia ultro ſuſcepta & præſtita fuerunt à fidelibus, non redemptionis aut ſatisfactionis ἀντίλυτρα, ſed humiliationis & mortificationis exercitia judicamus. Poſtremò, dicimus afflictiones & flagella, quæ poſt remiſſionem culpæ, ſive ab ipſo Deo, ſive ab hominibus infliguntur piis & reconciliatis, non reſpicere ſatisfactionem divinæ vindictæ, quaſi nondum expiatæ; ſed refrænationem corruptæ concupiſcentiæ nondum ex ipſis renatis extirpatæ.

Negamus ergò opera pœnalia, aut quæcunque tandem opera humana, eſſe divinæ juſtitiæ ſatisfactiones, aut injuriæ Deo illatæ compenſationes. Quod primò oſtenditur ex definitione ſatisfactionis: nam *ſatisfactio eſt redditio æquivalentis pro æquivalenti*; ut verè Scotus. At quis dixerit omnia noſtra opera pœnalia, ſi in unum cumulum conferantur, æquivalere pœnis gehennæ, etiam ſecluſâ æternitate? Cùm igitur pro hiſce redimendis fingunt ſe haſce ſuas ſatisfactiones Deo exhibere & offerre; perinde faciunt, ac ſi quis ad equuleum damnatus dicat ſe velle acu digitum ſuum pungere, atque hoc opere pœnali pœnam ſibi taxatam redimere. Sed quiminus ſolvit quàm debuit, nondum ſatisfecit: nunquam ergò Satisfactionarii iſti ſe expedient, quia nunquam ſatisfactionem pœnæ conſtitutæ æqualem perſolvent.

4. *Sent. diſt.* 15. *queſt.* 1.

Secundò, hoc idem demonſtratur ex conditione operum noſtrorum: nam opera noſtra etiam optima non carent ſuis nævis & ſordibus. Si itaque res agatur in foro ſtrictæ juſtitiæ, tantum abeſt ut vel actionibus vel paſſionibus noſtris expungamus reatum pœnæ nobis debitæ, ut novum potiùs indies contrahamus. Sed fac opera noſtra omni labeculâ vacare: tamen cùm ſatisfactio exhibenda ſit ex propriis bonis, neque aliquo alio titulo debitis & ſubjectis creditori; noſtra bona opera, quæ Dei ipſius dona ſunt, noſtra obſequia, quæ ſolo titulo creationis ſunt Deo devinctiſſima, in ſatisfactionem novi debiti valere nullo modo poterunt. Quoties ergò aut operamur aut patimur bene & ſanctè, conamur quidem officio noſtro ſatisfacere, & Deo nos approbare implendo ejus voluntatem: ſed non ſomniamus nos hiſce operibus vindictam peccatis noſtris debitam expiare, aut injuriam divinæ majeſtati illatam compenſare, exhibendo illi hâc operâ noſtrâ condignam ſatisfactionem.

Anſelm. Cur Deus homo, *lib.* 2.

Tertiò, cauſam noſtram confirmamus ex conſideratione divinæ remiſſionis: nam * remiſſio peccatorum eſt opus gratuitæ miſericor-

* Epheſ. 1. 7. Coloſſ. 2. 13. Iſa. 43. 25. Mich. 7. 19.

miſericordiæ; gratis autem illud peccatum non remittitur, pro quo expiando ſufficiens ſatisfactio ab ipſo peccatore requiritur. Porrò, remiſſio Dei *plenaria* ſemper eſt, non *dimidiata:* at nolle culpam ad pœnam totam vel talem imputare, putà æternam; velle tamen ad aliquam, eámque acerbiſſimam, non *remiſſio integra*, ſed *punitio moderata* appelletur. Denique, remiſſio peccatorum talis eſſe debet, ut, eâ obtentâ, peccator ſtatuere poſſit in conſcientia ſua, ſe eſſe jam Deo plenè reconciliatum, & pacem apud Deum obtinuiſſe. At quis hoc apud animum ſuum ſtatuere poteſt, qui cogitat ſe adhuc in ſatisfactionem Dei vindicantis, acerbiſſimis pœnis manere cruciandum?

Rom. 5. 1, 10.

Quartò, patet veritas noſtræ ſententiæ, ex perfectione ſatisfactionis ejus, quam ipſe Chriſtus omnium fidelium nomine Deo Patri exhibuit. Nam certiſſimum eſt, Mediatorem noſtrum Deo obtuliſſe pretium abundè ſufficiens pro culpa & pœna peccatorum noſtrorum expianda. Nec minùs certum eſt, hanc ſatisfactionem omnibus fidelibus & pœnitentibus imputari & applicari, quaſi ab illis ipſis Deo oblata & præſtita fuiſſet. Si igitur Deus à Chriſti membris exigeret ſatisfactionem, quam in ſuo Capite Chriſto ad ultimum uſquè quadrantem perſolverunt, bis vindicaret in id ipſum, atque manifeſtâ injuriâ afficeret tam Redemptorem, quàm redemptos.

2. Cor. 5. 18, 19, 21.

Rom. 3. 25.

Poſtremò, ex natura juſtitiæ divinæ error Papiſtarum revincitur. Nam Juſtitia nunquam infert *vindictam pœnæ*, niſi cum intuitu ad *reatum culpæ:* Cùm igitur Chriſti ſatisfactio aboleverit culpam, in qua fundatur reatus pœnæ; ſuſtulit objectum vindictæ divinæ, & per conſequens neceſſitatem ſatisfactionis humanæ. Huc accedit, quòd ſecundum leges juſtitiæ nulla ſatisfactio poteſt redimere pœnas peccato debitas, niſi poſitâ ordinatione Dei de acceptanda tali ſatisfactione antilytri loco. Chriſti ſatisfactio habet hoc privilegium ex æterno Dei decreto: ſed miſeri peccatores non poſſunt illam Dei ordinationem proferre, juxta quam teneatur ipſorum opera pœnalia, pro æternis pœnis, quæ peccato debentur, acceptare. Fruſtra igitur reus obtendit, illam mulctam eſſe ſatisfactoriam, quam non Judicis decreto, ſed ſuo arbitrio ſubivit.

Suarez in 3. Tom. 4. diſp. 37. ſect. 8.

Quæſtio

Quæstio IX.

Non datur liberum arbitrium in non renatis, ad bonum ſpirituale.

Dicimus dari liberum arbitrium ad hoc vel illud ſpeciale objectum, quando habet in ſe facultatem activam ad illud liberè volendum, eligendum, aut præſtandum. Neque laboramus, utrùm hæc facultas ſit expedita, an impedita, ſoluta an ligata, excitata an ſopita: Si inſit tantummodo homini hæc facultas, quamvis ad expediendam operationem indigeat auxilio aliunde adveniente, Papiſtæ vicerint; quòd ſi funditus perierit hæc activa facultas, & reliqua ſit mera capacitas ſive poſſibilitas receptiva, quam ſolus Deus recreando implet & perficit, noſtra ſententia obtineat. Ad *renati* ſive *regenerati* nomen quod attinet, appello renatum, non quemlibet irradiatum aut afflatum qualibet motione Spiritûs ſancti; ſed à morte peccati jam reſuſcitatum, & omnipotentiſſimâ Spiritûs ejuſdem operatione vivificatum. E contrâ, non renatum voco, qui ad hanc ſpiritualem vivificationem nondum pervênit, utcunque præcedaneis aliquot Spiritûs ſancti operationibus affectus fuerit. Eſt autem hîc diligenter obſervandum, *Regenerationis* vocabulum, vel ipſum primum actum deſignare, quo vita ſpiritualis (quaſi creando) homini infunditur; & ſic fit in momento: vel continuatam actionem Spiritûs, quâ novæ vires & qualitates unà cum hac vita inſpiratæ augentur & roborantur; atque ſic ſenſim, ídque non ſine lucta & conatu ipſius regenerati, abſolvitur. In exemplum capite embryonem: hunc rectè affirmamus vivere quamprimum cor vitæ particeps fuerit, quamvis reliquæ corporis partes nondum articulatæ exiſtant. Quidni igitur dicamus ſpiritualem embryonem, eo ipſo momento quo cor vitâ ſpirituali imbuitur, vivificatum ſive regeneratum eſſe, quamvis multæ ſanctificationis partes diſtinctam ſuam & quaſi perfectam articulationem nondum

ſunt adeptæ? Jam ultimo in loco per *bonum ſpirituale* intelligimus quodvis opus ex divina promiſſione ad impetrandam remiſſionem peccatorum, aut adeundam poſſeſſionem regni cœlorum ordinatum. Sed præcipuè nunc quæritur, non de bonis illis operibus quæ ſequuntur juſtificationem, ſed de primis illis actibus ad quorum præſentiam ſequitur ipſa juſtificatio: quales ſunt, verè pœnitere, in Mediatorem credere; Deum diligere; quæ omnia & inter ſe, & cum ipſa juſtificationis acquiſitione copulantur. Hi actus dicuntur *ſpirituales*, quia quoad ſpecificam eſſentiam actionis, & modum agendi, ſuperant connaturalem facultatem liberi arbitrii, quale jam in homine lapſo reperitur. Ex hiſce omnibus hic ſenſus quæſtionis illuceſcit, Non ineſſe vim aliquam activam libero arbitrio, per regenerationem nondum vivificato, ad ſalutariter pœnitendum, credendum, amandum, aut quodlibet opus faciendum, quo, tanquam diſpoſitione attingente, juſtificatio procuretur; vel quo, tanquam itinere ordinato, ad glorificationem procedatur. Priuſquam ad firmamenta ſententiæ noſtræ accedamus, haud abs re erit, paucis annotâſſe, quatenus cum Pontificiis ſentiendum, quatenus in toto hoc negotio ab illis recedendum ſit.

Concedimus ergò Papiſtis, ante infuſionem gratiæ regenerantis, multas actiones prævias ad fidem & contritionem tum exigi ab hominibus, tum ab eiſdem ſolo excitantis gratiæ auxilio & poſſe fieri & ſolere. Hujuſmodi ſunt, non modò adire eccleſiam, & audire verbum; ſed cogitare de Deo & divinis rebus, peccata propria conſiderare, ad ſenſum eorundem expaveſcere, liberationem ab hoc metu exoptare, aliáque permulta, quæ prærequiſita ſunt ad actus verè ſpirituales & ſalutares: Sed affirmamus porrò, animum & affectum non renati, naturali modo verſari in prædictis rebus, nec elevari voluntatem ad eliciendum actum verè ſpiritualem, donec ad hanc excitantem & illuſtrantem gratiam regenerans ſive vivificans inſuper acceſſerit. Ad hæc, damus hanc gratiam regenerantem non infundi hominibus inertibus, & neſcio quos Enthuſiaſmos otioſè captantibus; ſed animis per Verbum Spiritúmque Dei erectis, & ſubactis, & per prædictas actiones quodammodo diſpoſitis: negamus tamen liberum arbitrium hominis non renati, vel hiſce auxiliis adjutum, ità ſe diſponere, ut ex merito Congrui Deus teneatur gratiam vivificantem cuiquam infundere. Poſtremò, fatemur in Eccleſia Dei, ubi homines excitantur aſſiduè per Verbum & Spiritum, hanc gratiam regenerantem, quæ ſola reddit homines idoneos ad ſalubriter pœnitendum & credendum, nemini adulto eſſe denegatam, de quo verè dici non poſſit, quòd liberè Spiritui ſancto in præcedaneis illis actionibus reſtiterit, ejuſdémque vivificam operationem demeritoriè ſaltem repulerit. Negamus tamen quenquam mortalium inveniri, qui hoc demeritum in præparatoriis

Vide Suar. Opuſc. de Auxil. div. Grat. lib. 3. cap. 1, 2.

Vide Spal. lib. 7. pag. 239. Et Suar. Opuſc. pag. 222.

toriis Spiritûs actionibus repellendis non incurrat multipliciter: ac proinde quòd interveniente hoc communi demerito quidam repellentes Deum repellantur, ſibique relinquantur, alii, non obſtante pari aut majori demerito, ſæpius & fortiùs pulſentur, tandémque potentiſſimâ Spiritûs operatione vivificentur. Myſterium eſt ad liberrimam Dei voluntatem, miſerentis vel non miſerentis, referendum; & nullâ humanæ curioſitatis indagine temerandum. Hiſce prælibatis, confirmo theſin noſtram aliquot argumentis.

Argum. 1. In non renato, ad bonum ſpirituale facultas liberi arbitrii non ſe habet utì locomotiva in eo qui compedibus ligatur, aut viſiva in eo qui in locum aliquem tenebricoſum compingitur (utì Papiſtæ volunt:) ſed funditus interiit, ut motiva in homine occiſo, aut viſiva facultas in exoculato. Hinc Auguſtinus, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati grauditate perdidimus:* & doctiſſimus Pariſienſis, *Mens humana, gratiam ſanctificationis nondum adepta, nihil aliud eſt, niſi cadaver ſive morticinium.* Hæc doctrina ex fontibus Scripturarum hauſta eſt, quæ diſertè pronunciat peccatores nondum renatos *in peccatis mortuos.* Mens illorum, non quaſi in locum tenebricoſum demerſa, ſed *tenebræ:* Cor, non quaſi mole aliquâ lapideâ oppreſſum, ſed *lapideum*, ſi Scripturas audiamus. Faceſſat ergò illa opinio ex fæcibus Pelagianorum hauſta, quæ vim activam libero arbitrio tribuit ad ſpiritualia; quaſi ad hæc opera excitari & adjuvari ſufficiat, vivificari autem non ſit neceſſe.

Bellarm. de Lib. Arb. 6. 15.

Epiſt. 105.

De Sacr. Bapt. cap. 3.

Eph. 2. 5.

Eph. 5. 8.

Ezech. 11. 19.

Argum. 2. Porrò, præter dictam privationem vitæ ſpiritualis in voluntate non renati, omnes Theologi ponunt habitualem averſionem à Deo, & habitualem converſionem ad ſenſibilia & carnalia, contra ſpiritualem legem Dei. Quod tandem meræ excitantis gratiæ auxilium poteſt hanc habitualem corruptionem mutare? aut quomodo poterit potentia voluntatis, manens arbor mala, bonos fructus proferre? Habituale & formale principium ſit oportet, quod, oppoſitum huic malo habituali, ejus inclinationem in contrariam partem reducat. Donum ergò fidei & charitatis per operantem gratiam priùs creatur in corde humano, quàm actus credendi aut Deum diligendi per cooperantem gratiam elicitur ex corde humano. Rectè Proſper ſtatuit, Interiorem ſenſum non aperiri ad ſpiritualia capienda aut præſtanda, niſi in iis, *in quorum corde poſuit Deus fidei fundamentum, dilectionisq; fervorem.* Quid aliud clamat tota Scriptura, quæ paſſim inculcat, illos ſolos credere ut oportet, pœnitere, Deúmque diligere, quibus Deus oculos dedit ad videndum, aures ad audiendum, novum cor ad intelligendum; quos denique ad hæc bona opera creavit in Chriſto Jeſu? Si hæ loquendi formulæ nihil aliud quàm gratiam Dei excitantem & moraliter ſuadentem innuant, ego quibus verbis gratiam ſanantem & regenerantem exprimerent haud intelligo.

Reſponſ. ad Cap. object. Gall. cap. 5.

Sed

Argum. 3. Sed quia minimè decet mortales divinam potentiam limitibus circumscribere, demus posse voluntatem habitualiter malam, & aversam à bonis spiritualibus, per solum auxilium gratiæ excitantis, ad actus spirituales eliciendos applicari: dico tamen hoc esse contra suavitatem providentiæ divinæ, quæ sic movet res omnes, sicuti illarum naturæ convenit moveri. Si vero voluntatem nondum renatam, quæ habitualiter ab omni bono spirituali aversa est, excitaret ad bonum spirituale actualiter eligendum; non suaviter illam permoveret, sed quasi obtorto collo raptaret ad opus à quo adhuc abhorret ejus innata inclinatio. Consentaneum est itaque ut credamus, Deum, qui in creatione indidit voluntati habitualem inclinationem ad bonum spirituale sine sua cooperatione, in regeneratione etiam restituere hanc habitualem conversionem sine ejusdem cooperatione; & tum demum potentiâ rectificatâ, ad bonos actus cum eodem libero arbitrio cooperari. Eleganter Augustinus, *Non ideo bene currit rota ut rotunda fit, sed quia rotunda est.* Ad eundem modum nos dicamus, Non ideo bene currit voluntas ut regenerata sit, sed quia jam regenerata esse cœpit. Hactenus liberi arbitrii naturam consideravimus; jam à Regenerationis natura argumentemur.

Ad Simp. lib. 1. quæst. 2.

Argum. 4. Quid quæso aliud est Regeneratio, quàm actio Spiritus sancti vitam gratiæ homini spiritualiter mortuo inspirantis, eundemq; ad imaginem Dei per superinfusa dona sanctitatis magis magísque renovantis? Hanc gratiam dare primas vires ad quodlibet opus spirituale exercendum, patet ex Scripturis. Ad opus credendi; *Quisquis credit, ex Deo genitus est.* Ad opus diligendi; *Quisquis diligit, ex Deo natus est:* Ad omnia denique opera pietatis; *Sine me nihil potestis facere*; id est, nisi tanquam palmites in me, qui vera sum vitis, inseramini, nec multum nec parùm, sed *nihil potestis* in spiritualibus. Hoc ab ipso Aquinate discant Papistæ; qui tenet, Gratiam dare animæ suum spirituale esse, atque divinitus primò infundi ad peragendas actiones ordinatas in finem vitæ æternæ. Unde enim origo talium fructuum, nisi ex semine? quid autem aliud est illud semen Dei unde opera spiritualia nascuntur, quàm nativitas ex Deo, sive id per quod homo natus est ex Deo, ut ipse Bellarminus fatetur?

1. Joann. 5. 1.
1. Joann. 4. 7.
Joann. 15. 5.

Quæst. disp. de virtut. art. 2, 10. Et de grat. art. 5.

De lib. Arb. 6. 13.

Argum. 5. Accedat aliud argumentum à natura operum spiritualium. Sunt, ex confessione Papistarum, opera superioris ordinis, & minimè proportionata libero arbitrio hominis animalis. At si posset in illa excitatus solummodo pulsante gratiâ, & non mutatus sanante, haberet quidem activam potentiam, eandemque proportionatam ad talia opera, quamvis ligatam fortasse aut sopitam. Hoc argumento victi, quidam Papistæ concedunt, ad actus spirituales eliciendos infundi semper qualitatem à Deo quæ suppleat vicem habitûs, à quo solùm differat, quòd non

Suar. Opusc. lib. 3. de Aux. grat. cap. 4.

fit

sit permanens, sed statim transeat cum ipso actu. Sed quorsum hæc effugia? Qui agnoscunt voluntatem non valere ad actus supernaturales sine nova qualitate impressa ipsi potentiæ, cur non agnoscunt hanc potentiæ informationem esse ejusdem reformatæ vivificationem, non (ut illi sommant) post actum elicitum illico abolendam, sed augendam, roborandam, & perficiendam? Pulchrè Hugo de Sancto Victore; *Gratia reparatrix bonam voluntatem aspirat, ut sit; deinde bonæ voluntati inspirat, ut moveatur: primùm operatur eam, deinde per eam.*

De Sacram. fidei, pag. 242.

Postremò, hanc adversariorum sententiam incommodis obruamus. Sumatur igitur, actiones supernaturales oriri à libero arbitrio excitato per gratiam, & nondum sanato: hinc apertè sequetur, Deum esse revera internum monitorem & hortatorem quoad eliciendos primos actus credendi & pœnitendi; sed ipsum liberum arbitrium esse principalem autorem eorundem. Nam gratia hæc excitans, quantumvìs efficax, nihil aliud est quàm suasio, & relinquit excitatum & admonitum arbitrium indifferentiæ suæ, non mutatâ habituali ejus in malum propensione. Porrò, si valeat hæc sententia, cadit illud Paulinum, *Quid habes, quod non accepisti?* Responderet enim aliquis, Habeo determinationem voluntatis meæ ad primum actum credendi & pœnitendi, quam non accepi à Deo, sed à libero meo arbitrio, excitato quidem ad hoc opus, sed suis naturalibus viribus relicto. Denique vacillaret & illud, *Quis te discernit?* Subjiceret enim quivis conversus, Ego me discrevi. Accepi enim gratiam excitantem ex æquo cum aliis multis, qui habuerunt etiam Deum ex æquo paratum ad concurrendum, si pœnitere & credere voluissent: sed illi pro sua libertate hanc gratiam repulerunt, ego contrà pro mea libertate eandem amplexus sum. Liberum igitur arbitrium me ab istis segregavit. Sed in longum imus: concludo, Illos non multum gratiæ deferre in negotio salutis, qui tenent Deum nullis dare infusam fidem, nisi illis qui ex arbitrio nondum renato actum credendi elicuerint; nullis infundere charitatem, nisi qui ex eodem actum diligendi exprompserint; uno verbo, nullis vitam spiritualem impertire, nisi illis qui ante suam vivificationem primarias vitæ spiritualis actiones exercuerint.

Bellarm. de lib. arbit. 6. 15.

Quæstio X.

Opera Renatorum labe peccati ſunt inquinata.

IN imprimis curandum eſt, ut ſtatus hujus controverſiæ rectè formetur & intelligatur; quem adverſarii de induſtria obſcurare ſolent & depravare. Bellarminus cum noſtris Theologis congreſſurus, hanc propoſitionem ſibi aſſumit evincendam, *Opera bona renatorum non ſunt peccata, ſed verè juſta, ut etiam actualis juſtitiæ dici poſſint.* Verùm ſi nobis ſeriò bellum indiceret, ſic inſtituenda eſſet controverſia, Opera bona renatorum non ſunt ullâ peccati labe inquinata, ſed perfectè juſta, ità ut abſoluta legalis juſtitia dici poſſent. Sed ille ad Lutherum reſpexit, quem odioſè exagitant Papiſtæ, quòd ſcripſerit, *omne opus renati eſſe peccatum mortale, ſi judicio Dei judicetur:* Immemores interim Gregorium Magnum ſcripſiſſe, *omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium; omnem humanam juſtitiam eſſe injuſtitiam, ſi diſtrictè judicetur:* Immemores dixiſſe ſanctiſſimum Iſaiam, *quaſi pannum menſtruatæ eſſe omnem juſtitiam noſtram.* Ad hujuſmodi dicta explicanda interprete benigno opus eſt, non maligno calumniatore. Senſus igitur eſt, nullum opus juſtitiæ humanæ tam defæcatum eſſe, cui non adhæreſcat aliquod vitioſum, & ex rigida legis ſententia, (ſi Mediator non ſuccurrat) damnabile & mortiferum. In prædictis ergò propoſitionibus, prædicatio *accidentalis* eſt, non *eſſentialis*; & prædicatum intelligitur convenire ſubjecto per *coharentiam*, non per *naturam:* hoc modo, *Omne meritum eſt vitium*; id eſt, Omne meritum noſtrum eſt vitio aliquo agnaſcente maculatum: *Omne bonum opus eſt peccatum*; id eſt, Omne bonum opus eſt aliquâ fæce inhabitantis peccati inquinatum: Quæ ſententia veriſſima eſt, & hâc noſtrâ operâ jam breviter illuſtranda. Verùm ut tota res clariùs eluceſcat, obſervandum eſt, ſicuti renati ſunt peccatores, & non renati peccatores; aliter tamen hi, aliter illi: ſic renatorum actiones peccati labe vitiantur, & non renatorum actiones veneno peccati inficiuntur; ſed

De Juſtif. 4. 15.

Aſſert. art. 31.

Moral. 9. *cap.* 1, & 14.

Iſa. 64. 6.

ſed modo planè diverſo. Impiorum mala opera peccata dicuntur, vel quia ſunt actiones ex genere malæ, ut furari, adulterare, mentiri: vel quia ſunt actiones (licèt ex objecto bonæ) tamen per intentionem malam funditus corruptæ, ut dare eleemoſynam fœminæ pauperculæ, quò facilius ad proſtituendam ſuam caſtitatem pelliciatur: vel denique quia ſunt actiones prorſus privatæ debito principio & debito fine, utpote quæ nec à fide & charitate ducunt originem, nec referuntur ad Dei gloriam. Hæc omnia dicuntur peccata, ídque eſſentiali prædicatione; juxta illud Proſperi, *Omnis infidelium vita, peccatum:* Atque Auguſtini, *Sine fide quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.* *Sent. 106.* *Cont. 2. Ep. Pel. 3. 5.*

Jam ut accedamus ad bona opera renatorum, ipſa eſſentia operis boni non eſt peccatum, quia à gratia ducit originem: ſed huic operi bono cohæreſcit aliquid peccati, quod à carne trahit ſuum initium. Id argumentis confirmabimus.

Ipſi renati ex parte manent carnales, & nondum plenè renovati, aut mundati: *Lex Dei ſpiritualis, ego carnalis,* Rom. 7. 14. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus,* 2. Cor. 7. 1. *Internus homo renovatur de die in diem,* 2. Cor. 4. 16. Quod Auguſtinus clarè affirmavit; *Sic mundati ſumus, ut magis magiſque mundandi reſtemus, donec corruptum hoc induerit incorruptionem.* Quinetiam ipſe Bellarminus haud diffitetur, inhærere cuivis renato, quod *malum, immundities, malitia,* imò *vitium* appelletur. Cùm hæc in confeſſo ſint, quomodo poteſt effectus ſuperare vim cauſæ ſuæ? aut operis perfectio vincere perfectionem operantis? aut ſanctificatio, quæ reſtat perficienda, perfectas actiones parere? Si in potentiis animæ complicatæ ſint qualitates novi & veteris hominis, in actionibus ſe ſimul exerant eſt neceſſe. Si ergò non repugnet aut rationi aut Scripturis, eundem hominem renatum eſſe bonum, & eſſe tamen malo inhærente vitiatum; cur repugnare putetur, eandem actionem renati eſſe bonam, & eſſe labe peccati inhabitantis inquinatam? *Argum. 1.* *In Joann. 15.* *De amiſſ gr. 5. 12.*

Sed pergamus, & hanc labem deliteſcentem, quaſi digito, demonſtremus. En igitur labem privativam, in ipſa intima parte, & quaſi medulla operum noſtrorum, defectum ſcilicet juſtæ charitatis quâ deberent omnia opera renatorum informari! Non enim ſolummodo deſtituuntur illâ charitatis plenitudine quam beati habent in ſtatu *gloriæ:* ſed deficiunt ab illa juſta menſura charitatis, quam exacta legis regula requirit, etiam in ſtatu *viæ.* Auguſt. Ep. 29. *Pleniſſima charitas eſt in nemine: illud autem quod minus eſt quam eſſe debet, ex vitio eſt; ex quo vitio non eſt juſtus in terra.* Videtis (Auguſtino autore) reperiri in renatis, non modò defectum maximæ charitatis, quæ eſſe ſupponitur in homine glorificato; ſed defectum debitæ charitatis, quam ineſſe oportebat homini integro. Videtis hunc defectum, ſive *Argum. 2.*

privationem, non modò ex vitio eſſe, ſed cauſam inſuper eſſe quæ vitiet omnem juſtitiam noſtram.

Argum. 3. Acceſſiſtis labem *privativam*; en alteram *poſitivam*, quæ obfuſcat vel optima opera renatorum! Contrarium ſcilicet & inordinatum motum concupiſcentiæ, quæ in renatis tum maximè ſe exerit, cùm ad bona opera facienda accinguntur. Si malum prohibitum fugiendum ſit ab illis, hæc concupiſcentia non patitur hanc fugam mali eſſe integram, dum accendit in animo inordinatum affectum ad illud ipſum malum quod fugit. Siquid boni faciendum ſit ab iiſdem, hæc concupiſcentia impedit perfectam operationem, dum retardat & aggravat animum circa illud bonum quod facit. Huc ſpectant illa: *Spiritus promptus, caro infirma*, Matth. 26. 41. *Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ*, Rom. 7. 23. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem; —ut non quæcunque volueritis eadem faciatis*, Gal. 5. 17. Qui non ſentit hanc malæ concupiſcentiæ renitentiam in bonis ſuis actionibus, hunc ego nullam bonam actionem unquam feciſſe ſentio. Sed clamant adverſarii, hunc perverſum motum concupiſcentiæ non eſſe peccatum; ac proinde non inficere renatorum actiones aliquâ peccati labeculâ. Reſpondeo, eſſe ex natura *Rei* peccatum, idque damnabile, quia non modò adverſatur legi primævæ juſtitiæ inſculptæ in cordibus humanis, ſed etiam huic expreſſo præcepto legis moralis, *Non concupiſces*. Agnoſco tamen propter ſtatum *Perſonæ* non eſſe renato imputabile ad damnationem; utpote qui non cenſetur in vetere Adamo, à quo fluit hæc labes concupiſcendi; ſed in novo, à quo manat gratia illam ſubjugandi.

Argum. 4. Job. 9. 20. Pſalm. 142. Denique, vel illud unum evincit, nullum opus renati eſſe ab omni labe perpurgatum, quòd ſanctiſſimorum ſanctiſſima opera non ferre poſſunt examen ſtricti Judicis, ſed illud humiliter & ſeriò deprecantur. Nam ſi fingamus Deum offerre cuivis illorum, qui legis impletionem, ſupererogationem, & neſcio quam Angelicam perfectionem ſibi vendicant, ut, ſi habeat vel unicum opus quod nullâ peccati labe fuerit inquinatum, in regnum cœlorum protinus admittatur; ſin illud opus diſcuſſum ad tribunal Dei, quacunque ex parte maculatum ſit, detrudatur illico ad infernum: ſcire velim an quiſquam iſtorum audeat cum Deo hâc rigidâ conditione experiri. Si non audeat, cur nobis credendum obtrudunt, quod ipſi nondum credunt? Cum Anſelmo concludamus, verè & humiliter dicente, *Siquis fructus in vita mea eſt, ſic eſt aut ſimulatus, aut imperfectus, aut aliquo modo corruptus, ut poſſit aut non placere, aut diſplicere Deo.*

Quæstio XI.

Civilis juriſdictio jure conceditur perſonis Eccleſiaſticis.

EX dono ipſius Chriſti obtinet & exercet Eccleſia ſpiritualem quandam juriſdictionem in peccatis filiorum ſuorum puniendis. Nam contra Chriſtianum quemlibet inordinatè ambulantem admittere poteſt accuſationem, accuſatum & idoneis teſtibus convictum caſtigare poteſt, ſive à Sacramentis arcendo, ſive obſtinatè improbum à cœtu & conſortio aliorum Chriſtianorum prorſus excludendo. Hanc juriſdictionem, quæ limites excommunicationis non excedit, divino & perpetuo jure Eccleſiaſticis eſſe attributam, nemo tam invidus, aut Eccleſiaſtici juris ignarus, qui auſit negare. Verùm in hac noſtra Eccleſia, ex dono Principum Chriſtianorum, Eccleſiaſtici quidam habent inſuper juriſdictionem civilem, cujus virtute hæreticos, ſchiſmaticos, & quoſvis alios Eccleſiæ contemptores pœnis civilibus coërcent. Quinetiam nonnulli ex gravioribus Theologis, publicæ pacis & juſtitiæ conſervatores multis in locis conſtituuntur. De hac ergò juriſdictione, an jure concedi poſſit Eccleſiaſticis, videamus. Poſſe autem, ob haſce rationes mihi perſuaſiſſimum eſt. Matth. 18. 18. 1. Cor. 5. 4. 2. Theſſ. 3. 14.

Perpendendum imprimis, utramque juriſdictionem verſari in promovenda juſtitia & peccato refrænando; ſed hoc diſcrimine, quòd merè ſpiritualis ſpiritualibus mediis id efficere conatur; civilis adhibet inſuper media coactiva, & externa ſupplicia, qualia ſunt incarceratio, pecuniaria multatio, corporalis punitio. Hîc igitur quæro, quid impium, quid illicitum, quid ſacerdotali vocationi aut ſanctitati habeat contrarium, hæreticos, ſchiſmaticos, aut quoſvis inſignitè improbos, & Reipublicæ Chriſtianæ perturbatores, ubi datur poteſtas, non modò ſpiritualibus, ſed civilibus & corporalibus inſuper pœnis coërcere. Utroque modo impietati obſiſtere, & quaſi frænum injicere, eſt actus bonus & laudabilis, & ex ſua natura nulli perſonæ, quantumvis *Argum.* 1. 2. Cor. 10. 4, 5, 6.

Actor. 12. 23. tumvis ſanctæ, repugnans. Cœleſtes Angeli, Deo jubente, non exiſtimant à ſua ſanctitate alienum, impios corporalibus ſupplicijs afficere: cur Angeli Eccleſiarum, Rege, qui Dei imago eſt in terris, ità decernente, illicitum reputent, eoſdem impios meritis pœnis quibuſcunque adjudicare? Actus enim civilis juriſdictionis ex ſua natura nulli perſonæ, quantumvis ſanctæ, repugnat, nec adverſatur muneri ſacerdotali.

Apoc. 2. 1.

Argum. 2. Secundò, ex plenaria autoritate committentis liquet hanc juriſdictionem optimo jure ab Eccleſiaſticis perſonis exerceri.

1. Pet. 2. 13, 14. Nam cùm ipſe Rex ordinatione divinâ ſit quaſi fons omnis civilis juriſdictionis, poteſt ejus rivulum aliquem licitè derivare ad quaſlibet perſonas idoneas, ſive Laicæ ſint, ſive Eccleſiaſticæ. Rivulum dixi aliquem; quia licèt nulla pars juriſdictionis civilis ſit jure divino Eccleſiaſticis perſonis incompetens, tamen prudentiæ lex, & ipſa æquitas vetat Reges eouſque Eccleſiaſticos onerare hâc civili juriſdictione, ut avocentur à ſpirituali ſua functione. Eſt itaque illis ſic committenda, ut ornamento & ſubſidio eſſe poſſit in ipſo ſpirituali Eccleſiæ regimine, non ut impedimento aut avocamento. Quatenus autem hæc juriſdictio committi poſſit Eccleſiaſticis, ut interim adjuvet eos, & non impediat in ſuis officiis fungendis, non vulgi judicio, non invidi cujuſvis, qui ſupra vulgus eminet, metiendum eſt. Sed quod de

2. Timoth. 2. 4.

Ethic. 2. cap. 6. medio virtutis dixit Cor Philoſophorum Ariſtoteles, illud eſſe conſtituendum, ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε, *ut ſapiens determinaverit:* idem dico de hac juriſdictione civili, illam eſſe Clero eatenus communicandam, quatenus ſapiens & religioſus Princeps expedire judicaverit. Cùm ergò viſum ſit Chriſtianis Regibus armare Eccleſiaſticos aliquâ juriſdictione civili, atque jubere ut in majorem Chriſtianæ Religionis profectum, & efficaciorem omnis

Vide 1. Tim. 2. 2. & Rom. 13. 3, 4. impietatis demolitionem, utrâque poteſtate, & illâ ſpirituali, & hâc civili, utantur: licitum, & pium, & planè neceſſarium eſt, utriuſque adminiculo, tanquam gladio δίπλῳ, propugnare pietatem & Eccleſiæ pacem, atque quicquid hiſce opponitur demoliri.

Argum. 3. Tertio in loco, quia multis videtur parùm conſentaneum, ut Apoſtolorum ſucceſſores illam juriſdictionem exerceant, quam ipſi Apoſtoli nunquam habuerunt, diſcutiamus pauliſper diſcrimen temporum; atque indè perſpiciemus, tam eſſe nunc dierum Eccleſiaſticis utilem & neceſſariam hanc civilem juriſdictionem, quàm fuiſſet Apoſtolis inutilis & ſupervacanea. Civilis juriſdictio à ſummo Magiſtratu ad ſubordinatos derivanda eſt, atque ſecundum leges ab eodem poſitas adminiſtranda. Quamdiu igitur Reges Chriſto bellum indicebant, nec illi committere, nec Paſtores ab illis commiſſam civilem juriſdictionem exercere potuerunt, niſi in Chriſti contumeliam, & Chriſtianæ religionis perniciem. At poſtquam Chriſto Reges &

leges ſervire inceperunt, civilis poteſtas à Regibus Chriſtianis ad Chriſti miniſtros tranſmiſſa, magno illis potuit eſſe adjumento ad Eccleſiam fortiùs & felicius gubernandam. Ad hæc, Apoſtoli, & primævæ Eccleſiæ Paſtores, armati erant divinâ quadam extraordinariâ & miraculoſâ poteſtate, quæ ad Chriſtianos in fide & obedientia continendos plus potuit, quàm ulla civilis poteſtas: at nunc ad ordinarios miniſtros res rediit, qui, cùm deſtituuntur hâc miraculoſâ & extraordinariâ poteſtate, utiliter muniuntur & roborantur hâc civili & ordinariâ. Denique, ſub primis illis Eccleſiæ Chriſtianæ initiis, pietas plerunque fervebat in omnium Chriſtianorum pectoribus; &, ſi contra Eccleſiæ diſciplinam vellent laſcivire, ipſa crudelitas perſecutorum, & mortis imminentis quotidianum periculum, feroces illorum animos ſubegerunt. At nunc luxuria & ſuperbia orbi Chriſtiano incubuit, adeóque omnem pietatem & modeſtiam hominibus expectoravit, ut ſpiritualis Eccleſiaſticorum poteſtas, & Eccleſiæ diſciplina, civili juriſdictione nudata, non tam uſui eſſet, quàm ludibrio, in hac tanta præſentis ſeculi malitia. Sunt igitur parùm æqui & prudentes rerum æſtimatores, qui ab Apoſtolis & Apoſtolicis temporibus concludunt, Juriſdictionem civilem ordinariis miniſtris nunc dierum haud convenire.

Succedat hiſce quæ dicta ſunt, argumentum ab ipſius Dei autoritate, & antiquiſſima praxi Eccleſiæ petitum. Ipſe Deus ſub lege conjunxit juriſdictionem civilem cum officio ſacerdotali; non eſt ergò portentoſum, aut divino jure prohibitum, ut idem ſacerdos ſit, & civilem juriſdictionem obtineat. Heli, Samuel, Machabæi, quotquot denique ſummi ſacerdotes fuerunt ſub vetere Teſtamento, civilis etiam juriſdictionis participes extiterunt. In novo autem Teſtamento, cur id minimè factum fuerit, aut fieri potuerit per aliquas annorum centurias, ſuprà commemoratum eſt. Verùm ex quo Conſtantinus ille Magnus imperii faſces Chriſto ſubmiſit, per omnes Eccleſiæ ætates, civilem juriſdictionem à piis Imperatoribus Eccleſiæ commiſſam, à piis Epiſcopis acceptam & adminiſtratam reperiemus. Si tempus pateretur, ex hiſtoria Eccleſiaſtica, ex Conciliis, ex ipſorum Imperatorum legibus, id abunde teſtatum facerem: Sed hæc doctis ignota eſſe non poſſunt; in illis itaque citandis non faceſſam & mihi & vobis moleſtiam minimè neceſſariam. *Argum. 4.*

Poſtremò, ex iis quæ ab ipſis adverſariis conceduntur, evincemus hoc ipſum quod ab illis pernegatur. Concedunt ergò Eccleſiaſticis juriſdictionem, cujus virtute poſſunt adulteros, ebrios, hæreticos, aut quocunque flagitioſo crimine infames, citare ad ſua tribunalia, accuſationes contra eoſdem admittere, teſtes audire, ac denique in reos legitimè convictos ſententiam excommunicationis ferre. Si hæc omnia poſſunt facere beneficio ſpiritualis juriſdictionis à Chriſto illis datæ; cur, accedente *Argum. 5.*

dente civili jurisdictione à Rege concessâ, non possunt insuper eosdem aut incarcerare, aut quocunque alio supplicio civili coercere? Actus hic puniendi non minùs licitus ex sua natura, quàm ille alter excommunicandi: autoritas tam ad hunc actum quàm ad illum exercendum, justa ac legitima est: ad peccantis denique emendationem, atque ipsius Ecclesiæ utilitatem, non minùs aliquando conducunt hæc civilia supplicia, quàm illa merè spiritualia. Ubi ergò datur potestas, non minùs decet Ecclesiasticos hæc quàm illa infligere. Ut verbo absolvam omnia, Concedit nobis doctissimus Calvinus, si quid controversiæ olim incidisset inter Christianos, ut litigandi necessitatem effugerent, solitos fuisse pios Episcopis suis totius rei arbitrium mandare. Atque Augustinus ostendit sese aliquid temporis assiduè impendisse hujusmodi secularibus negotiis vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: atque insuper addit, Apostolum Paulum hisce molestiis Ecclesiasticos affixisse. Si privati Christiani legitimè mandant Episcopis arbitrium civilium suarum controversiarum; tum Reges Christiani legitimè mandare possunt iisdem judicium earundem: si ad postulationem privatorum non sit Ecclesiasticis illicitum, hæc secularia negotia aliquando tractare; non potest jam esse illicitum ad Regis ordinationem illud idem facere. Nam ad rem quod attinet, non minùs negotiis secularibus implicatur, qui lites dirimit ut *arbiter electus*, quàm qui easdem dirimit, ut *Judex à Principe constitutus*. Concludamus, Civilem jurisdictionem ambitiosè appetere, aut cum sacerdotalis muneris præjudicio exercere, superbum & illicitum est: At jurisdictionem civilem à Rege delatam acceptare, & ad Ecclesiæ pacem, ac disciplinam melius procurandam adhibere, licitum & laudabile est, ac antiquæ Ecclesiæ praxi consentaneum, verbóque divino minimè contrarium.

Calv. Instit. 4. 11. 10.

De opere Monach. 29.

Quæstio

Quæstio XII.

Renuente Magistratu, non licet populo reformationem Ecclesiæ moliri.

Magistratus dicitur, penes quem jus summi imperii est in quavis Republica: *populi* autem nomine censentur illi omnes, qui huic Magistratui subduntur. Hæc ergò nostra defensio est, Renitente hoc Magistratu, non licere populo solidâ vi vadere ad reformationem Ecclesiæ, quamvis ea maximè indigeat reformatione.

Id enim imprimis adversatur, quòd ipse summus Magistratus, tam divino quàm humano jure, huic negotio moderando præficitur. In Scripturis, peculiare bonorum Regum elogium est, excelsa abstuliſſe, & idola destruxiſſe; è contrà, perpetuum malorum stigma, eadem non abstuliſſe, non destruxiſſe. Regale etiam officium est, negligentes sacerdotes increpare, malos deponere, idololatricos extremo supplicio afficere: quod ex Regum libris, non uno in loco, facilè colligitur. Unde patet, à quo ipse Deus Ecclesiæ & religionis reformationem expectat. Venerandi Ecclesiæ Antistites in Conciliis congregati, hoc idem confitentur. In Ephesino sic alloquuntur Imperatorem, *Supplicamus vestræ Majestati ut fidem immotam custodiri sanciatis.* In Chalcedonensi, *Tu Ecclesiam correxisti, tu orthodoxam fidem confirmâsti:* & in eandem sententiam Julius Firmicus ad Constantium & Constantem Augustos, *Vobis, Sacratissimi Imperatores, ad vindicandam & puniendam idololatriam necessitas imperatur, & hoc vobis Dei summi lege præcipitur.* Denique notavit ipse Philosophus, Regem esse debere, τὸν περὶ τὰ θεῖα κύριον, *summum gubernatorem eorum quæ ad divinum cultum spectant.* Habet ergò Ecclesia suum designatum Censorem, cui Deo imponente hoc reformationis munus incumbit.

1.

1. Reg. c. 15, & c. 22
2. Reg. c. 18, & c. 23

Politic. 3. 11.

Secundò, ut Regibus imponitur, ità à populo removetur autori-

2.

autoritas Eccleſiæ reformandæ. Nam ubi deeſt vocatio, etiamſi res quæ geritur in ſe conſiderata ſit laudabilis, in agente tamen, propter defectum juſtæ poteſtatis, eſt vituperabilis. Sacrificia
1. Sam. 13. 13. Deo immolare, opus in ſe pium fuit & religioſum; ſed in Saule, qui ad hoc munus minimè vocatus fuit, impium & ſacrilegum: Pari ratione, Eccleſiam corruptam reformare, opus excelſum & laudabile; ſed non in iſtis quos Deus reformatores Eccleſiæ nunquam conſtituit. Scrutamini ſacras Scripturas, invenietis populum Dei ubique taxatum, quòd Regum idololatrarum exemplo & mandato aureos vitulos coluerunt; nunquam autem ab ullo Propheta reprehenſum, quòd idololatriam, Regibus invitis, vi & armis minimè ſuſtulerunt. Hoc ergò ad populum non ſpectare, ſuo hoc ſilentio Prophetæ docuerunt. Quod Au-
Cont. liter. Petilian. lib. 2. cap. 92. guſtinus clarè & expreſſè affirmavit; *Auferenda idola non poteſt quiſquam jubere privatus.* Actus ſiquidem publicæ reformationis autorem flagitat cui adeſt poteſtas contra immorigeros juſtæ ultionis: quæ nec privato cuiquam, nec turbæ privatorum conglobatæ convenit. Si igitur populus, præpoſtero zelo fervidus, hujuſmodi aliquid moliatur, Pauli monitum illis ingerendum,
1. Theſſ. 4. 11. *Quieti eſtote, & res veſtras agite.* Petri etiam conſilium inculcandum, *Nemo veſtrûm patiatur ut maleficus,*
1. Pet. 4. 15. ὡς ἀλλοτριεπίσκοπος. Populum verò communem Eccleſiæ Epiſcopum à Deo conſtitutum, nè fando quidem auditum eſt unquam: Imperatorem autem hoc titulo gaudere, in Conſtantini vita, apud Euſebium legimus.

3. Tertiò, fac Reges alióſve ſummos Magiſtratus deeſſe officio ſuo, non repurgare Eccleſiam ab hæreſibus aut falſis cultibus, imò, quod pejus eſt, autoritate ſuâ haſce corruptelas tueri; in hoc tamen rerum ſtatu ad populum minimè devolvitur officium Eccleſiæ reformandæ:

1. Quia ipſe Deus, aliis officiis contentus, hoc opus reformationis à populo non exigit. At quæ tandem ſunt illa officia?
1. Reg. 19. Reſpondeo, Cavere nè incurventur coram idolis, non idola
Ezech. 9. confringere; fugere hæreſes, non vi & armis fugare; gemere Eccleſiæ corruptelas, non tollere; Uno verbo, pati ultima ſupplicia à Magiſtratu inflicta, potiùs quàm deſerant veram religionem; non vim inferre Magiſtratibus, ut introducant veram religionem. Sic animati fuerunt tres pueri apud Danielem: ſic tota
Dan. 3. 18. natio Chriſtianorum, ſub idololatricis Imperatoribus. *Defendenda*
Inſt. 5. 20. ſiquidem *religio eſt à privatis omnibus, non occidendo, ſed moriendo; non ſævitiâ, ſed patientiâ; non ſcelere, ſed fide;* ut præclarè Lactantius.

2. Porrò, nefas eſt populo, Magiſtratu renitente, huic negotio manus admoliri; quia, quocunque prætextu veletur, rebellionis crimen involvit. Nam qui reluctante Magiſtratu religionem reformandam ſuſcipit, ipſum Magiſtratum priùs dejiciat, conculcet,

conculcet, & in ordinem cogat eſt neceſſe. At mala facienda non ſunt, ut indè eveniant bona; nec tentanda rebellio, ut ſtabiliatur religio. Scripturæ vox eſt, *Beati qui juſtitiæ & veritatis cauſâ perſecutionem patiuntur:* at maledicti qui harum obtentu rebellionem molluntur. Juriſconſultorum oraculum eſt, *Par in parem non habet poteſtatem:* quantò minùs, inferior in ſuperiorem, populus in Principem? Induant itaque quam velint pietatis larvam iſti Magiſtratuum reformatores, *Albiniani* tamen, *Nigriani*, aut *Caſtiani* rectiùs audient, quàm *Chriſtiani*.

Matth. 5. 10.

Vide Tertull. ad Scapulam 3.

3. Ad hæc, ex populari hoc conatu non poteſt ad Eccleſiam ulla utilitas redundare; at infinita incommoda indè poſſint & ſolent pullulare. Nam in ipſo veſtibulo, dum incipiunt reformare Eccleſiam, neceſſe habent dilacerare Rempublicam. Siquidem illi omnes qui cum Magiſtratu ſentiunt, nunquam impunè patientur opprimi illam cui favent religionem, aut novam cui adverſantur ſtabiliri, ab illis præſertim quos vident nullâ legitimâ aut publicâ poteſtate armatos. Verùm ſumatur, iſtos reformatores ità viribus præpollere, ut poſſint renitentem Magiſtratum cum ſuis omnibus proterere; quæro quibus machinis, quibus tandem mediis, ſuam quam vocant reformationem dederint nobis ſtabilitam. Non poſſunt legibus illam ſancire, quia non eſt penes eos poteſtas νομοθετικὴ. Non poſſunt repugnantes aut pecuniariis aut corporalibus pœnis ad ſuam reformatam religionem adigere; quia ſolius Magiſtratûs privilegium eſt, pœnas imponere. Non poſſunt denique hæreticos miniſtros ab officio ſuo ſubmovere, aut orthodoxos illis ſubſtituere; quia nunquam deſuper data fuit populo talis in ſacerdotes ſuos poteſtas.

4. Denique, ſi alia omnia ſuppeterent, deeſt tamen populo (imperito) ipſa ſcientia ritè reformandi. Non eſt cujuſvis indocti empirici corporis morbos curandos ſuſcipere; quod ſi fecerit, etiamſi caſu ſanitas ſequatur, peccati reatu nihilominus ſe obligat, ex doctiſſimorum Theologorum ſententia. Quis ergò audeat aſſerere, eſſe vulgi officium Eccleſiæ morbis mederi? Licèt enim hoc temerario ſuo molimine producerent aliquod effectum veræ reformationis, peccatum tamen haud effugerent impiæ præſumptionis. In ſummam hæc omnia conjicio: Non patitur æquitas, non urget neceſſitas, non ſuadet utilitas; ergò illicitum eſt populo, renuente Magiſtratu, Eccleſiæ reformationem moliri.

Sylveſt. verbo Medicus.

Quæstio XIII.

Missa Pontificia non est sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis.

POntificii in hoc suo Missatico negotio tres gravissimos errores nobis obtrudunt: Esse nimirum in Missa reale, externum, & propriè dictum sacrificium: Esse inibi sacerdotem, qui actionem sacrificandi propriè dictam exercet: Esse denique potestatem huic sacerdoti, pro voluntate & intentione sua, applicandi tam vivis quàm mortuis prædicti sacrificii efficaciam salutarem.

1. Nos è contrà asserimus, Primò, in Missa nihil posse nominari aut ostendi, quod sit sacrificabile, aut quod habeat rationem & essentiam realis, externi, & propriè dicti sacrificii: quamvis quæ adhiberi in eadem solent preces, eleemosynæ, gratiarum actiones, *spiritualium sacrificiorum* nomen sortiantur: quamvis etiam ipsa repræsentatio fracti corporis Christi, & fusi sanguinis, figuratè *sacrificium* à veteribus sæpenumero vocetur. Cùm urgentur Papistæ ut designent hoc quod vocant *reale sacrificium*, valde fluctuant & perplexantur. Bellarminus ait, *Panem & vinum aliquo modo in Missa offerri; sed corpus & sanguinem Domini esse illud sacrificium quod propriè offertur & sacrificatur: ità tamen ut panis & vinum, corpus & sanguis Domini, non sint duo sacrificia, sed unum: quia non offertur panis simpliciter, sed panis transubstantiandus; neque corpus Domini absolutè, sed corpus Domini in specie panis, & ex pane confectum.* Quot verba, tot penè ænigmata, nè dicam portenta; quibus debellandis non vacat. Dico breviter, Panem & vinum, nullo modo consideratum, esse posse sacrificium illud reale de quo disceptatur. In confesso est apud omnes, sacrificium hoc, quod vocamus *reale* & *propitiatorium*, esse semper idem numero, & unicum: at novum vinum, novi panes in Missa quotidie consecrantur. Est etiam tale,

Lib. 1. de Missa, cap. 27.

tale, ut suâ virtute & efficaciâ hominum peccata possit expiare: At sicut sanguis hircorum & taurorum non potuit delere peccata; ità nec panis & vini efficacia poterit eò pertingere. Constat itaque panem & vinum non esse illud sacrificium, aut rem illam sacrificandam, quam in Missa frustra quærimus. Sed neque corpus & sanguis Christi in Missa adest ut sacrificium Deo identidem offerendum. Agnoscimus lubenter, in cœna Dominica ritè administrata offerri & applicari nobis credentibus, unà cum ipso Christo, perpetuam illam vivificam & salutiferam efficaciam sacrificii in ara crucis semel oblati: at hoc sacrificium in Missa quotidie posse & debere iterari, ibíque corpus & sanguinem Christi sacerdoti subjacere, ut rem ab illo sacrificandam, id demum pernegamus.

Repugnat ipsa natura sacrificii: nam res sacrificanda est aliquid visibile, & in externos hominum sensus incurrens; sic enim ipse Bellarminus, *In omni sacrificio propriè dicto requiritur res sensibilis quæ offeratur.* Nos igitur requirimus ut ostendant nobis Papistæ visibile & sensibile corpus Christi, quod dicunt esse in Missa sua propriè dictum sacrificium: hoc cùm non poterunt, fateantur se vacuas panis & vini species Deo offerre est necesse. *De Miss. l. 1.*

Porrò, autore eodem Bellarmino, *omnia quæ verè & propriè dicuntur sacrificia, necessariò destruenda erant per occisionem in ipso actu sacrificandi:* at Christi corpus impassibile est, nec potest destrui aut occidi: ergò nec sacrificari. Hîc confugiunt ad receptam, sed frivolam planè distinctionem, de sacrificio *cruento* & *incruento.* Verùm si occisio sit de ratione sacrificii, illud quod appellant incruentum sacrificium, nihil aliud erit quàm repræsentatio veri & realis sacrificii; ac proinde haud reale sacrificium. Nam si sæpe offerat seipsum Christus, oportet eum sæpe pati; cùm oblatio Christi à passione ejus sive morte distincta, sit figmentum sibi ipsi contradictorium. *Ibid.* Heb. 9. 26.

Ad hæc, verum & reale sacrificium Christi sub ipso actu offerendi consideratum, habet secum conjunctam actualem satisfactionem pro peccatis. Nam Christus non alio fine traditus fuit, quàm ut satisfaceret pro nobis. *Dedit semetipsum pro peccatis nostris*, inquit Apostolus ad Gal. 1. 4. Intelligi ergò nullo modo potest, quomodo hoc sacrificium millies Deo offeratur, quin ut eâdem operâ ἀντίλυτρον pro peccatis nostris millies Deo persolvatur. At hoc repugnat sacræ Scripturæ dicenti Christum pro peccatis semel passum esse: repugnat etiam æquitati divinæ, quæ ob unum idémque debitum non exigit satisfactionem iteratam. Obtendunt satisfactionem olim in cruce præstitam, in Missæ sacrificio non *iterari*, sed *applicari:* unde Papistæ nonnulli negant Missam esse sacrificium *propitiatorium*, & asserunt tamen esse sacrificium *applicatorium.* Rom. 4. 25. 1. Cor. 15. 3. Heb. 10. *Gropp. Instit. & Antidiag. Colon.* At hosce etiam considerâsse

oportuit, aliud planè eſſe applicationem ſacrificii olim exhibiti, aliud ipſum ſacrificium; quod non novâ ſacrificatione, ſed fideli apprehenſione, his aut illis particularibus perſonis reſtat applicandum.

Denique, corpus & ſanguis Chriſti non ſubeunt rationem ſacrificii, niſi quatenus Deo oblata, juxta illam formam, quam ipſe Deus ab omni æternitate præſcripſit. Ordinavit autem Deus Pater, ut Filius ſuus ſemel, à ſeipſo, ídque in ara crucis, offerretur. Corpus igitur & ſanguis Chriſti cùm ſæpe offeruntur Deo, cùm à ſacerdotibus ad hoc nunquam vocatis, cùm denique abſque ſanguinis effuſione, nullo modo poſſunt ſacrificii propriè dicti nomen aut notionem ſuſtinere. Atque hæc de primo errore, quo fingitur in Miſſa eſſe reale, externum, & propriè dictum ſacrificium; tranſeo ad ſecundum.

2. Secundò igitur contendunt Pontificii, Presbyteros ſuos eſſe ſecundarios quoſdam novi Teſtamenti ſacerdotes, & in Miſſa ſua actionem ſacrificandi propriè dictam præſtare.

Sed nobis Jeſus Chriſtus eſt ſolus & æternus, neque ſucceſſorum neque vicariorum indigus novi Teſtamenti ſacerdos. Quæro enim, cui bono alii ſacerdotes ſubſtituerentur ipſi Chriſto. Non ut ſacrificium ejus adumbrent tanquam futurum: eſt enim olim Deo exhibitum, non hodie exhibendum. Non ut ſignificent tanquam factum: nam repræſentare illud ut factum, eſt ſacramentum celebrare, non ſacrificium offerre. Non denique ut agant quod actum fuit ab ipſo Chriſto ſeipſum offerente: nam hoc & inutile eſſet, ſi fieret, & planè impoſſibile eſt ut fiat.

Hiſce accedit, In novo Teſtamento, eundem eſſe Sacerdotem, Victimam, & Mediatorem: ſacrificuli Pontificii Victimæ locum nolunt ſubire; nè igitur in Sacerdotis aut Mediatoris officium ſe ingerant. Denique, in novo Teſtamento nemo conſtitutus eſt ad offerendum pro peccato, niſi qui *pius* ſit, *innocens*, *impollutus*, & *ſegregatus à peccatoribus*. Si enim perſona offerentis non ſit expers peccati, quantivis pretii ſit res oblata, non poterit Deum placare, & aliorum peccata expiare. E turba igitur ſacrificulorum ſuorum dent nobis vel unum innocentem & à peccatoribus ſegregatum, nos illum pro novi Teſtamenti ſacerdote agnoſcemus. Miniſtros itaque Evangelicos ad prædicandum Evangelium, ſacramenta adminiſtranda, Eccleſiámque Chriſti gubernandam à Chriſto conſtitutos fatemur: ſacerdotes autem aliquos fuiſſe Chriſto ſuccenturiatos ad opus ſacrificandi indies iterandum, nec fateri poſſumus, nec credere debemus.

Hebr. 7. 26.

Veruntamen quoniam vel invito Chriſto volunt eſſe novi Teſtamenti ſacerdotes, oſtendant nobis quomodo aut ubi in Miſſa fungantur hâc actione ſuâ ſacrificatoriâ. Mirus profectò

ſacerdos

ſacerdos eſt, qui non intelligit quando ſacrificium ſuum offerat. Atque hîc operæpretium erit videre, quàm miſeris modis ſe torqueat Bellarminus, ut inveniat qua in re actio ſacrificandi ſita ſit, quam ſacerdotes Miſſatici dicunt ſe quotidie in Miſſa ſua peragenda exercere. Primò, nimis otioſè multa enumerat, in quibus ſita non eſt. Dein, illorum ſententiam tanquam probabilem commemorat, qui eam conſtituunt in ipſis verbis conſecratoriis, *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus.* Nam cùm vi horum verborum, *Hoc eſt corpus meum,* ſolum corpus ſine anima & ſanguine in altari conſtituatur; & rurſus vi iſtorum, *Hic eſt ſanguis meus,* ſolus ſanguis in eodem altari ponatur; ſanguinis autem à corpore ſeparatio, ſit vera & propria immolatio: hinc concludunt, ſacrificulum conſecrantem verè immolare Chriſtum. Nè tamen hoc fiat modo cruento, tandem σοφὸν hoc φάρμακον adjiciunt, *Quamvis vi verborum corpus ſolum & ſanguis ſolus ſeorſum à corpore incipiunt eſſe in altari; tamen vi naturalis concomitantiæ inhiberi, nè verè ſanguis aut anima à corpore ſeparentur.* Sed lapides profectò loquuntur. Nam ſi actio ſacrificandi in eo ſita ſit, quòd per verba ſacerdotis vera ſeparatio fiat ſanguinis à corpore; & hanc ſeparationem concomitantia naturalis de facto impediat; actum etiam ſacrificandi ſimul impediat eſt neceſſe. Pontificiis igitur ſacrificulis non debet Chriſtus quòd indies haud juguletur; nam quantum in ipſis eſt hoc agunt, ut illum reapſe interficiant: ſed pia ac miſericors concomitantia intervenit, illúmque à præſentanea morte liberat. Verùm hoſce mittamus, quorum ſententiæ Bellarminus fatetur animam ſuam non poſſe plenè acquieſcere: audiamus ergò quid ipſe apportet novi & ſolidi. Hanc igitur actionem ſacrificandi ipſe dicit in tribus eſſe conſtitutam. Primùm, in eo, *quòd per ſacerdotalem Euchariſtiæ conſecrationem res profana fiat ſacra: panis enim res terrena, per conſecrationem fit corpus Chriſti.* De tranſubſtantiatione litem in præſentiarum non movebimus; quæ, ſi concederetur, *miraculi,* non *ſacrificii,* actionem importaret. Neque etiam ad ſacrificii eſſentiam quicquam facit, ut res profana fiat ſacra, niſi eadem numero res quæ antea fuit profana immoletur Deo poſtquam facta eſt ſacra. Dicat igitur Bellarminus, Pontificios ſacerdotes panem ſacrificare, & nos dicemus eos ſacrificandi actionem qualem qualem exercere.

De Miſſ. l. 27.

Secundò, actionem ſacrificandi in eo ponit, *quòd res illa ſacra ex profana effecta Deo offeratur, dum vi conſecrationis in altari ponitur: nam victimam in altari ponere, eſt reipſa illam Deo offerre.* Sed quis ferre poteſt æquis auribus aut animis, ut ſacratiſſimum Chriſti corpus, Deóq; offerendum, ex re profana effici dicatur? Dein, quis concedat idem eſſe, mirificâ quâdam vi verborum Chriſtum in altari collocare, & eundem Deo ſacrificare? Eſſet illud quidem prævium ad ſacrificandi actionem; ſed eâ poſitâ, niſi mactatio ſequatur,

quatur, actio sacrificandi non indè demonstratur. Denique, præter aram crucis, nullum nos altare agnoscimus, in quo Christus collocetur tanquam victima Deo Patri sacrificanda.

Tertiò, dicit actionem sacrificandi in eo potissimùm sitam, *ut res quæ offertur, ad veram, realem, & externam destructionem ordinetur*; hoc autem fieri ait, *cùm post consecrationem Christi corpus manducatur à sacerdote. Nam in hac manducatione, corpus Christi amittit suum esse sacramentale, & desinit realiter esse in altari.* Sed nihil fingi potuit magis ineptum, aut à proposito alienum; quamvis Bellarminus se hîc acu rem tetigisse opinetur. Nam primò doceat ubi decreverit Deus Filium suum per modum manducationis esse sibi sacrificandum: aut quis unquam putaverit idem esse, corpus humanum manducare, & illud Deo sacrificare.

Scrupulus etiam ille restat Bellarmino eximendus: cur sacerdos manducans corpus Christi dicatur illud sacrificare; quivis autem Christianus idem faciens, non tamen idem fecisse judicetur. Denique monendus est, non sufficere ad sacrificii realis essentiam, quòd victima in altari posita amittat suum esse *sacramentale*, nisi simul amittat suum esse *animale*. Hactenus igitur in Missa Pontificia, neque sacrificium propriè dictum, neque sacerdotem, neque actionem ipsam sacrificandi, vel ipsi Missarum opifices nobis ostendere potuerint. Tertium & ultimum errorem jam coarguamus.

3. Statuunt Papistæ, hoc quod somniârunt sacrificium, pro intentione sacerdotis offerentis posse ad quosvis homines particulares, sive vivos sive mortuos, applicari; ità ut ex ipso opere operato consequantur remissionem à pœnis & culpis, aliáque spiritualia & temporalia beneficia.

1. Hic modus applicationis fictitius est. Scripturæ docent sacrificium Christi efficaciter applicari huic & illi singulari personæ ad remissionem peccatorum *principaliter* per operationem Spiritûs sancti fidem in humanis cordibus excitantis, *instrumentaliter* per prædicationem Evangelii & Sacramentorum administrationem, eâdem fide mediante. Per opus autem operatum cujuscunque sacrificuli posse illud vivificum sacrificium applicari præsentibus vel absentibus, pœnitentibus vel impœnitentibus, vivis denique vel mortuis, soli audent asserere qui frontem habent ferream; soli possunt credere, qui cor habent plumbeum. Rom. 3. 25. Nos Apostolo fidem adhibemus, qui docet Deum proposuisse Christum ut esset unicuique ἱλαστήριον per fidem ipsius credentis, non per opus operatum conducti sacerdotis.

2. Hic modus applicationis est Christo injurius. Nam Christi sacrificium tantæ efficaciæ est, ut, si singulariter applicetur cuivis peccatori, necesse sit eum Deo reconciliari & à peccatis suis protinus liberari. At sacrificuli, dum pro uno & eodem homine

homine innumeras Miſſas decantant, apertè profitentur, pretioſiſſimum Chriſti ſanguinem particulari perſonæ ſæpenumero applicatum, vix tandem illum poſſe ab omni culpa & pœna abſolvere. Quam bene hæc inter ſe cohæreant, ut ſacrificium infinitæ virtutis deſignatæ perſonæ applicetur, & eadem tamen perſona non protinus à peccatis ſuis liberetur, ego fateor me tardiorem quàm ut poſſim intelligere.

3. Hic modus applicationis eſt planè ſupervacaneus. Nam quotquot mediante fide & pœnitentiâ confugiunt ad ſacrificium crucis, impetrant remiſſionem peccatorum, etiamſi Miſſa nulla eorum nomine celebretur: quotquot autem fide carent & pœnitentiâ, etiamſi tota natio ſacrificulorum ſeſe diſrumperent Miſſis reboandis, nunquam tamen à peccatis abſolventur. Sed fortaſſe ſacrificium Miſſæ donum pœnitentiæ illis omnibus impetrat quibus ex ſacerdotis intentione applicatur. Nè illud quidem: nam innumeri proculdubio manent inconverſi, pro quibus eripiendis Miſſificatores illi ſtrenuè deſudârunt. At ſaltem novam aliquam diſpoſitionem impetrat, quâ mediante poſſent ſe ad Deum convertere, ſi arbitrii ſui libertate hanc gratiam non repellerent. Verùm adhuc urgeo. Quâ confidentiâ audent ſacrificuli ſingulari cuicunque perſonæ nominatim Chriſti vivificum ſacrificium applicare, cùm prorſus ignari ſint an ille ſit unus ex immundis illis porcis necne, qui gratiam Dei contemnet, & hanc margaritam ſub pedibus conculcabit? *Bellarm. de Miſſ. 2. 5.*

Denique, hic modus applicationis ex opere operato ſacerdotis, eſt pluſquam Miniſterialis, & ſacerdotes Pontificios extollit longè ſupra ipſos Chriſti Apoſtolos. Nam Apoſtoli hoc ſacrificium particularibus perſonis non aliter applicârunt quàm prædicando, & ſacramenta adminiſtrando, idque ſub conditione fidei & pœnitentiæ. At Pontificii, dum Miſſas celebrant, abſolutè illud applicant cuivis pro arbitrio ſuo. Privilegium pluſquam humanum. Nam qui fontem vitæ poteſt particularibus perſonis applicare prout ipſi viſum fuerit, is poteſt iiſdem gratiam & vitam æternam infallibiliter comparare. Sed tædet me errores tam craſſos prolixè refellere. Concludo ex iis omnibus quæ hactenus diſputavi, Miſſam Pontificiam non eſſe ſacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis, ſed fœdiſſimum lucri aucupium ex vivis & mortuis.

Quæstio XIIII.

Antiqui Patres non meruerunt Christi incarnationem, nec aliquas ejus circumstantias.

APud noſtros Theologos, qui humanis meritis nihil tribuunt, controverſia hæc nullum planè locum habet. Apud Papiſtas autem, qui ſuis meritis toti turgent, nè Redemptor quidem mundi acceptus erit, niſi ex aliquo ſaltem merito humano ad homines miſſus defendatur. Adeò ingratum eſt iſtis hominibus, quicquid ex pura Dei gratia dimanat. Quandoquidem igitur propria ſua merita non potuerunt hac in re obtrudere, ad Patrum antiquorum merita ſe recipiunt; quos ſi non ex *condigno*, tamen ex *congruo*; ſi non *ipſam incarnationem*, tamen aliquas ſaltem ejus *circumſtantias* meruiſſe contendunt.

Nos è contrà primò oſtendemus, ipſum beneficium incarnationis non cadere ſub ullis meritis Patrum antiquorum: dein, nè circumſtantias quidem ejuſdem.

Si nullum aliud argumentum nobis ſuppeteret, illud ſatis eſſe deberet, quòd Scripturæ conſtanter hoc beneficium referunt ad miſericordiam & benignitatem Dei Patris Filium ſuum mittentis, non ad merita qualiacunque ſive antiquorum ſive modernorum. Zacharias, apud Lucam Evangeliſtam, hoc beneficium humano generi indultum canit, non ut meritis Patrum antiquorum redderetur præmium debitum; ſed ut Deus uteretur miſericordiâ erga illos Patres, ac memorem ſe oſtenderet jurisjurandi quod juravit Abrahamo: ídque διὰ σπλάγχνα ἐλέους, *per viſcera miſericordiæ*, ſive *intimam ſuam miſericordiam*, ut vertit Beza. Paulus Apoſtolus nunquam commemorat hujus beneficii aliam cauſam quàm Dei [a] χρηστότητα, φιλανθρωπίαν, [b] πολλὴν ἀγάπην, & conſimilia. Quid multa? ipſe Chriſtus, qui Patri fuit à conſiliis, apertè dixit,

Luc. 1. 72.

[a] Tit. 3. 4.
[b] Epheſ. 2. 4.

dixit, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum mitteret, &c.* Joann. 3. 16.
Conticeſcant ergò humana merita, ſive de *condigno*, ſive de *congruo*; & totum hoc beneficium, quantum quantum eſt, totum tranſcribant miſericordiæ divinæ.

Secundò, palàm eſt, Deum deſtinaſſe ac decreviſſe Chriſtum mundo fontem ac principium gratiæ toti humano generi; adeò ut quicquid boni ſupernaturalis habuerint, potuerint, fecerint ſancti Patres, id totum Meſſiæ venturo, in quem crediderunt, fuerit tribuendum. Quorum igitur omnia (quæ vocantur) merita à Chriſto incarnando fluxerunt, illi Chriſti incarnationem ſuis meritis non promeruerunt. Veriſſima ſiquidem eſt illa regula Scholaſticorum, & in rectæ rationis judicio fundatiſſima, *Principium meritum non cadit ſub meritum.*

Tertiò, conſentiunt Theologi ipſam humanam naturam Chriſti non meruiſſe hanc incarnationem, quæ hypoſtaticam ejuſdem cum Deitate unionem continet. Quæ igitur dementia eſt, putare Patres quiddam altius & melius promeruiſſe ipſi Chriſto, quàm ipſe ſibi promeruerit! His adde, Chriſti incarnationem eſſe cum beneficio redemptionis neceſſario quaſi nexu copulatam; adeò ut qui tueri velit Patres meruiſſe incarnationem Chriſti, tueri ſimul debeat eos meruiſſe redemptionem generis humani, ac proinde & ſuam. Sub particularium autem perſonarum meritis cadere beneficium reſtaurati humani generis, eſt prorſus incredibile.

Quartò, qui maximè extollunt merita operum, ſtatuunt tamen ultimum præmium quod illis debetur, eſſe fruitionem Dei per viſionem beatificam: quia ut inter ſemen & arborem, ità inter gratiam & gloriam ſit juſta quædam proportio. Ut hoc concedatur, de quo nunc non eſt diſputandi locus, duo tamen obſtant quominus incarnatio Chriſti ullis Patrum operibus tanquam præmium debeatur. Unum, quòd in hac retributione gloriæ omnia illorum bona opera fuerunt cumulatiſſimè compenſata; tale itaque ſuperpondium, quale eſt incarnatio Chriſti, ex merito vendicare nequeunt. Alterum, quòd inter opera gratiæ & incarnationem Chriſti, quæ ſita eſt in unione hypoſtatica, nulla omnino proportio reperiatur, cùm ſint res diverſorum ordinum. Nihili igitur ſunt quæcunque Patrum opera, ſi ad hoc tale ac tantum bonum conferantur.

Hiſce omnibus ultimò accedat, ad fundandam meriti rationem eſſe neceſſarium, ut præcedat Dei promiſſio, vel pactum gratuitum, quòd talia opera tali præmio velit compenſare. Evolvant igitur veteris inſtrumenti Scripturas univerſas, ac verbulum unum proferant, quo ſignificetur incarnationem Chriſti promiſſam fuiſſe Patribus ſub quorumcunque operum conditione. Cùm nihil tale occurrat, planum eſt, non ex ullis horum aut illorum meritis, ſed ex communi omnium mortalium miſeria, &

mera Dei miſericordia, hanc incarnationem Chriſti profluxiſſe. Atque hactenus de ipſa *re*; ad *circumſtantias* veniamus.

Sentiunt ergò nonnulli, Utcunque Patres non potuerint mereri ipſam Chriſti incarnationem, tamen meruiſſe aliquas ejus circumſtantias: in quibus præcipuè urgent Genus & Tempus. Dicunt enim Abrahamum, alióſque Sanctos meruiſſe, ut Chriſtus ex illorum ſemine, & gente Judaicâ naſceretur: Simeonem, Zachariam, reliquóſque ardentibus ſuis precibus meruiſſe accelerationem incarnationis, ut illis nempe viventibus & videntibus Chriſtus naſceretur.

Pro Abrahamo obtendunt illud Geneſ. 22. 18. *Quia feciſti hoc, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Vocabulum *Quia*, ut illis placet, denotat cauſam meritoriam: quaſi Deus dixiſſet, Egregio fidei & obedientiæ tuæ merito, in hoc opere ſe exerenti, tribuam hoc præmium, ut Meſſias ex ſemine tuo naſcatur.

Sed parùm attendunt, promiſſionem, in qua ratio meriti fundatur à Scholaſticis, ſemper oportere ipſum opus præcedere: hæc autem promiſſio ſubſecuta eſt; ac proinde ad meritum operis demonſtrandum nihil facit. Porrò, non quia fide & obedientiâ præpollebat cæteris hominibus, electus eſt Abrahamus, ut ex ejus ſemine Chriſtus naſceretur: ſed quia Deus ab æterno decreverat Abrahamum hoc honore afficere, ideo eum tam egrègiis donis ornavit. Denique verbulum illud, *Quia*, quo ſolo nititur argumentum, non habet eam vim, ut *cauſam meritoriam* exprimat, ſive ex *congruo*, ſive ex *condigno*; ſed quamlibet *motivam*, quam Deo complacitum eſt quaſi arripere, poſtquam apud ſe decreverit hominibus facere benignè.

Jam ſecundo in loco, quod ad temporis circumſtantiam attinet, opinantur nonnulli, antiquos Patres poſtulâſſe accelerationem incarnationis, ac merito orationis ſuæ impetrâſſe. Inſtant autem in Simeone, quem affirmant aſſiduis precibus meruiſſe ut antequam è vita exiret Chriſtus naſceretur, quò illum intueri, & ambabus (quod aiunt) ulnis complecti poſſet. Hujus autem argumenti fundamentum eſt, Illud dari ex merito, quod rectè, piè, & perſeveranter petenti, à Deo conceditur.

Sed ea ſumunt ad concludendum, quorum iis nihil concedemus. Negamus unquam orâſſe Patres, ut Deus miſſionem Filii acceleraret: nôrunt enim bene, Deum ante omnem prævisionem humanorum operum prædeſtinâſſe, non modò incarnandum fore Chriſtum, ſed tali tempore incarnandum. Unde illud Apoſtoli, *Poſtquam venit* τὸ πλήρωμα τῦ χρόνυ, *miſit Deus Filium ſuum.* Gal. 4. 4. Fruſtra igitur Patres ejus rei accelerationem petiiſſent, quam ſciebant ante hanc temporis plenitudinem fieri nullo modo potuiſſe. Piis quidem votis & optatis exprimebant ſubindè deſiderium illud videndi Meſſiæ, quo vehementer flagrabant:

grabant: interim hiſce illorum deſideriis effici, ut præſtitutum tempus contraheretur, nunquam cogitârunt. Negamus etiam ipſum Simeonem meruiſſe accelerationem adventûs Chriſti. Scribit Lucas illum expectâſſe conſolationem Iſraelis; ſcribit inſuper divinitus ei nuntiatum fuiſſe, non viſurum mortem, priuſquam vidiſſet Chriſtum: at de accelerata incarnatione, aut precibus in eum finem effuſis, verbum nullum. Denique & illud negamus, ex merito dari hominibus ea omnia beneficia quæ Deus piè & perſeveranter orantibus largitur. Nam Deus orationis officium à nobis exigit & expectat, etiam ut ea in nos conferat, quæ gratuitò nobis donare decrevit: atque talia beneficia tandem obtinemus, piâ & perſeverante noſtrâ oratione, tanquam *medio*, non tanquam *merito*, interveniente. Nihil igitur vetat quin concludamus, Antiquos Patres nec meruiſſe Chriſti incarnationem, nec aliquas ejus circumſtantias.

Quæstio XV.

Tota Potestas Sacerdotum est spiritualis.

PEr *Sacerdotes* intelligimus novi Testamenti Ministros, præsertim Ecclesiæ Antistites, quos antiqui Patres, quia non civili aliquo sed sacro munere funguntur, *Sacerdotes* appellârunt. Illam autem potestatem in hac quæstione solummodo respicimus, quam obtinent ipso jure Sacerdotii sui. Sacerdotes etenim, quà patres, habent in liberos suos potestatem paternam; quà domini, obtinent in servos suos potestatem herilem; quà à Principibus publicæ pacis conservatores sunt constituti, exercent jurisdictionem quandam civilem. Sepositâ igitur illâ omni potestate, quæ quovis alio titulo personis Ecclesiasticis ritè convenire potest, affirmamus, jure sacerdotalis officii nullam aliam aut vendicare aut exercere posse, præter meram spiritualem. Spiritualem autem vocamus, quæ dirigit ac gubernat homines sibi subditos in ordine ad bonum suum spirituale & supernaturale, per media spiritualia & supernaturalia. Hisce prælibatis, ostendemus totam potestatem Sacerdotum esse spiritualem.

1. Quod patet primò, Ab ipso fonte sacerdotalis potestatis, summo nostro Sacerdote Jesu Christo. Nam qualem ipse in procuranda Ecclesiæ salute exercere voluit, talem Apostolis ac Discipulis suis commisit, talémque illi ad successores suos, Episcopos ac Presbyteros, transmiserunt. Christus autem solam spiritualem potestatem sibi vendicavit, Joann. 18.36. *Regnum meum non est ex hoc mundo*; id est, Ego temporalem potestatem, qualis est Regum & Principum terrenorum, mihi non assumo; sed spirituale regnum in cordibus fidelium administro. Si Christus in Ecclesia colligenda contentus fuit spirituali potestate, non est quòd Ministri ejus audeant temporalem sibi vendicare. Hoc argumento convictus Bellarminus, nè Pontifici quidem Romano *directè* tribuit potestatem illam temporalem. Quòd autem *indirectè* conatur eam ad Pontificem suum pertrahere, merum ludibrium

brium eſt. Non enim Chriſtus putandus eſt *indirectè* dediſſe cuiquam, quod *directè* negavit; aut *indirectè* ſpoliâſſe Reges ſuâ temporali poteſtate, quâ *directè* Deus ipſe eos armavit.

Secundò, perpendamus proprios actus Sacerdotales: ex illis enim qualis ſit ipſa poteſtas apparebit. Sacerdotum eſt, prædicando vocare homines ad Chriſtum, vitámque ſpiritualem in Chriſto participandam: Sacramenta diſpenſando, vocatos, ac vitâ ſpirituali donatos, confirmare & nutrire: excommunicando, morbidos à ſanis ſeparare, ut ad ſanitatem redeant, alióſque interim ſuâ contagione haud inficiant. Hiſce adde, Quæcunque alia commemorari poſſunt Sacerdotum munera propriè dicta, nullum occurret in quo ſpiritualis poteſtatis limites tranſiliant. Nam in hiſce omnibus media ſpiritualia tantummodo adhibentur ad finem ſpiritualem; quibus ſi nihil promoveant, non habent Sacerdotes quod agant ampliús. Neminem ſiquidem corporali pœnâ coërcere, neminem bonorum ablatione multare, neminem incarceratione domare poſſunt. Sic ipſe Chriſtus inſtituit Apoſtolos ac diſcipulos ſuos, uti videre eſt Luc. 9. 2, 5. *Miſit eos ut prædicarent regnum Dei.* Sed fac refractarios nolle hoc Evangelium admittere; num poteſtatem aliquam temporalem exercebunt? Nihil minús: Jubentur pulverem à pedibus ſuis excutere in teſtimonium adverſus tales, ſed poteſtate aliquâ externâ illos cogere non jubentur. Nam, ut verè Rupertus, *Virga Regum eſt virga dominationis, virga Diſcipulorum Chriſti virga eſt dilectionis*; lib. 8. in Matth. cap. 10. 2.

Tertiò, ſi Deus poteſtatem aliquam temporalem Miniſtris Evangelicis concedere voluiſſet, conceſſiſſet utique illis media ad talem poteſtatem exequendam. Non eſt enim credibile, ſapientiſſimum Deum dare hominibus poteſtatem aliquam, & prorſus eos deſtituere omnibus illis auxiliis neceſſariis, abſque quibus ea poteſtas in actum exire nullo modo poteſt. Quæro igitur, quas copias, quos ſatellites, quos faſces & ſecures Apoſtolis ipſis, aut eorum ſucceſſoribus, Chriſtus præparaverit. Non enim *uſui*, ſed *ludibrio* eſt poteſtas omnis temporalis, hiſce adminiculis nudata. Reſpondebit nobis ipſe Chriſtus, Si temporalem poteſtatem ſpectemus, ipſos Apoſtolos nullis præſidiis ad illam exercendam fuiſſe armatos, ſed tanquam agnos inermes in medium luporum miſſos. Ex altera parte reſpondebit Paulus, Si ſpiritualem poteſtatem attendamus, abunde inſtructos fuiſſe armis ſpiritualibus ad evertendam omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Hoc manifeſto indicio eſt, totam illorum poteſtatem fuiſſe ſpiritualem; quod olim apud ipſos Pontificios, imò apud ipſos Pontifices, in confeſſo fuit. Sic enim Nicolaus Papa apud Gratianum, *Eccleſia gladium non habet niſi ſpiritualem, quo non occîdit, ſed vivificat.*

Denique, vel indè colligitur, Sacerdotes temporalem poteſtatem

2.

3.

Luc. 10. 3.

2. Cor. 10. 4, 5.

Cauſ. 33. quæſt. 2.

4.

ſtatem non habere, quòd quoties opus eâ ſit, teneatur Eccleſia ad Regem, vel quemlibet ſummum Magiſtratum recurrere.

Rom. 13. Docuit hoc Apoſtolus, ubi Magiſtratum politicum gladio accinxit, ut Dei Miniſter ſit in malis puniendis, boniſque remunerandis. Quando igitur divinâ benignitate Reges Chriſtianam religionem amplectuntur, ad eos ſpectat in ſuo regno bona jubere, mala prohibere, non ſolùm quæ pertineant ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ ad divinam religionem; ut verè

contra Creſc. lib. 3. cap. 51. Auguſtinus. Tenetur ergò Eccleſia, ubi opus eſt poteſtate temporali, non eam ſibi uſurpare quam nullam à Deo accepit; ſed ad ſupremum Magiſtratum confugere, qui tali poteſtate

Concil. Tom. 3. munitus incedit. Unde illud in Concilio Pariſienſi, *Quod non prævalent Sacerdotes efficere per doctrinæ ſermonem, id Principes ſæculi imperare debent per diſciplinæ terrorem.* Hinc etiam illa

Rubric. Regula Eccleſiæ præſcripta apud Gratianum, *A Regibus terræ contra inimicos ſuos auxilium petat Eccleſia*, Cauſ. 23. Ex hiſce omnibus ſatis perſpicuum eſt, totam poteſtatem, quæ reſidet in Sacerdotibus, eſſe ſpiritualem. Pluribus haud eſſet opus, niſi quòd Pontifex Romanus huic veriſſimæ concluſioni reluctatur, ſibíque vendicat ſummam quandam poteſtatem temporalem, etiam contra Reges ipſos, qui in ſummo culmine temporalis poteſtatis ab ipſo Deo ſunt collocati. Agè igitur, inſanam iſtius homunculionis ſuperbiam rationibus aliquot retundamus.

Illud imprimis aſſumo (quod puto me ſatis demonſtrâſſe) Romanum Epiſcopum, quà Epiſcopum, nullam temporalem poteſtatem obtinere, nedum ſummam & ſupremam in ſummos & ſupremos Reges. Hoc igitur titulo Epiſcopali, ſi demus Pontifici Romano temporalem poteſtatem, danda eſt utique & cæteris omnibus Epiſcopis; quod nemo adhuc auſus eſt affirmare.

Cont. Auxent. Nam (ut loquitur Ambroſius) *Sacerdotum arma ſunt preces & lacryma; aliter illi nec debent, nec poſſunt contra Reges pugnare.* Sed neque talem poteſtatem habet, quà Petri ſucceſſor: ſiquidem ipſe Petrus talem nunquam habuit. Imò, quod dixit Paulus,

Act. 25. 10. *Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari*, illud & Petrus verè dicere potuit; Oportet me temporalem Cæſaris poteſtatem agnoſcere, non in Cæſarem talem poteſtatem uſurpare. Denique, nec ut Chriſti vicarius, temporali aliquâ poteſtate

Occam. de Pot. Eccl. & ſecul. Bellarm. de Pont. Rom. lib. 5. cap. 4. Pontifex Romanus gaudebit. Nam, autore Occamo noſtro, adſtipulatore ipſo Bellarmino, Chriſtus vicario ſuo illam ſolummodo poteſtatem commiſit, quam ipſe homo mortalis exercuit: Chriſtus autem in ſtatu humiliatis ſuæ temporalem omnem poteſtatem, quaſi ſibi prorſus inutilem, repudiavit; ſpiritualem, quæ in cordibus hominum operatur, ſolummodo exercuit. Fruſtra igitur Pontifex Romanus ſe Chriſti vicarium jactitat, ut hoc prætextu ipſis Regibus imperet.

Porrò, cùm *Regem* nominamus, vel ipſo nomine, Papæ temporalem

poralem in eundem poteſtatem refutamus. Expreſſâ enim lege Dei cautum eſt, ut *omnis anima poteſtatibus* hiſce *ſupereminentibus ſubjecta ſit*: unde patet, illorum imperium non ſolùm conſtitutum eſſe ſuper milites, aut Laicos; ſed ſuper ipſos Sacerdotes, utì Gregorius Magnus confitetur. *Super Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem*, inquit Optatus. Tertullianus denique in Apologetico, *Imperatores in ſolius Dei poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes & ſuper omnes deos & homines.* Quî poteſt igitur Pontifex Romanus temporali poteſtate Imperatoribus aut Regibus eminere, penes quos ſuprema reſidet poteſtas temporalis? Supremo ſiquidem in eodem ordine nihil datur ſuperius. Aut quî poteſt in Reges ipſos vendicare temporalem aliquam poteſtatem, qui nullam habet ipſe niſi ab Imperatoribus & Regibus ſibi indultam? Unde illud Gerſonis, *Poteſtas temporalis Papæ poteſt abrogari per dominos temporales à quibus obtinuit.* Non putavit ergò poteſtatem Regum temporalem per Papam poſſe abrogari, quod nunc impudenter nimis aſſerunt Jeſuitæ.

Rom. 13. 1.

Epiſt. lib. 3.

Part. 3.

Poſtremò, non competit Papæ poteſtas temporalis ad deponendos vel coërcendos Reges, quia illorum coërctionem Deus ipſe ſpeciali quodam privilegio ſibi reſervavit. *Quis extendit manum ſuam in chriſtum Domini, & innocens erit? —— Niſi Dominus eum percuſſerit, &c.* 1. Sam. 26. 9, 10. *Rex à Deo tantùm puniendus pœnâ materiali*, inquit Alexander Halenſis, part. 3. quæſt. 4. m. 5. Notum eſt quàm acerbo animo ferat Pontifex Romanus, quoties inferior aliquis Epiſcopus *caſus Papali cognitioni reſervatos* (ut loquuntur Canoniſtæ) judicare præſumpſerit. Sciat igitur divini Numinis indignationem ſibi non minùs pertimeſcendam, ſi Regum punitionem, Deo ſoli reſervatam, temere uſurpare præſumat. Ambroſius, in illa verba Davidis, TIBI SOLI PECCAVI, *Rex*, inquit, *utique erat, homini ergò non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Aut Pontifex Romanus inficias ire debet ſe eſſe hominem, aut fateri, quoad temporalem pœnam infligendam, Regem ſibi minimè eſſe obnoxium. Contra veritatem tam claram illud unum obtenditur, Hanc temporalem Papæ ſupra Reges poteſtatem, ſolummodo in ordine ad bonum ſpirituale animarum, eſſe eidem tribuendam. Hoc autem reſpectu, talem poteſtatem planè neceſſariam eſſe contendunt; alioquin Reges idololatræ, hæretici, & in Deum impii, poſſent idololatriam ſtabilire, hæreſin fovere, imò totum cultum divinum evertere. Sed res ipſa loquitur contrarium. Stetit enim ac floruit religio Chriſtiana ſub Paganis, hæreticis, atque impiis Imperatoribus; quamvis nemo Pont. Rom. aut exercuerit, aut exercere potuerit talem poteſtatem. Quomodo igitur interim defenſa fuit religio, ſi principes ſævientes nemo potuit compeſcere? Reſpondeo Lactantii verbis, *Non occidendo, ſed moriendo; non ſævitiâ, ſed patientiâ; non ſcelere, ſed fide.*

Apol. David. cap. 10.

Inſtit. 5. 20.

fide. Temporalis ergò potestas Pontificis Romani non est medium necessarium, in ordine ad spirituale bonum animarum. Addam & illud, Non esse medium idoneum & accommodatum: quod ex eventu satis superque liquet. Nunquam enim Romanus Sacerdos Reges aut Imperatores, sub religionis & Ecclesiæ prætextu, temporalibus armis oppugnavit, quin eâdem operâ Rempublicam bello civili, Ecclesiam schismate pernicioso, ac totum ferè orbem Christianum infinitis scandalis & miseriis repleverit & obruerit. Exemplo sit Monarchomachorum Princeps Hildebrandus, qui, cùm Henricum Imperatorem per totum ferè vitam suam miris modis vexâsset, tandem ductus pœnitentiâ, fatetur se valde peccâsse, & suadente Diabolo contra humanum genus iram & odium concitâsse; ut refert Sigebertus in Chronographia. En suasorem usurpatæ hujus potestatis! scilicet ipsum Diabolum. En fructum! non spiritualem aliquam Ecclesiæ utilitatem, sed humani generis cladem ac calamitatem. Denique, ut absolvam verbo, si Papa usurpatione temporalis potestatis adversus Reges posset bonum spirituale Ecclesiæ promovere, tamen tali medio opitulante bonum Ecclesiæ non esset promovendum. Nullus siquidem actus in se illicitus, est ad bonum quodcunque ordinabilis: Sacerdoti autem egredi vocationis suæ limites absque expresso Dei mandato, atque Reges vi & armis impugnare, est actus planè illicitus, ordini à Deo constituto contrarius; ac proinde in ordine ad Deum haud unquam usurpandus.

Anno 1085.

Quæstio XVI.

Pronitas ad malum non fluit ex principiis naturæ integræ.

PRonitatem ad malum appellamus habitualem quandam inclinationem ſive voluntatis, ſive inferioris appetitûs, ad ea deſideranda & facienda, quæ legi divinæ adverſantur. Talem inordinatam propenſionem ex principiis naturæ integræ neceſſitate quâdam naturali dimanare, nonnulli docuerunt; fuiſſe tamen in Adamo ante lapſum originalis juſtitiæ vinculo, nè foras in actum erumperet, quaſi conſtrictam & ligatam. Hunc errorem avidè amplexati ſunt quidam Jeſuitæ, non alio (ut mihi videtur) conſilio, quàm ut alios ſuos errores graviſſimos huic fundamento poſſint ſuperſtruere. Nam ſi dederis illis, pronitatem ad malum, id eſt, rebellionem appetitûs ſenſitivi contra legem mentis, eſſe ex ipſius naturæ principiis ſibi relictis oriundam; protinus inferent, hanc concupiſcentiam rebellem non eſſe peccatum; renatos hâc non obſtante eſſe perfectè juſtos, & omni peccato inhærente immunes; opera renatorum eſſe perfectè juſta, & ad amuſſim legis divinæ conformata; ahâque ejuſdem farinæ quamplurima.

Dominicus Soto, de Nat. & Grat. lib. 1. cap. 2, & 13.

Sed miſſis cæteris omnibus, audiamus Bellarminum: qui rectè agnoſcit Adamum in gratia conditum fuiſſe; imaginatur tamen ſtatum quendam purè naturalem, in quo condi potuit tam gratiæ expers quàm peccati; atque indè ſatis otioſè philoſophatur, qualis hic homo fuiſſet in puris naturalibus, ad eum quem finxit modum conſtitutus. Docet autem, *Statum hujus hominis in puris naturalibus conſiderati, non magis differre à præſenti ſtatu hominis lapſi, quàm differat homo nudus ab homine veſtibus ſpoliato.* Quin addit, *Naturalem carnis noſtræ impetum non eſſe nunc magis rebellem quàm ante peccatum in illo ſtatu purè naturali futurus erat; neque pura naturalia fuiſſe ſæviora aut puriora ante peccatum, quàm*

De Grat. primi homin. cap. 5, & 7.

Quæstio XV.

Tota Potestas Sacerdotum est spiritualis.

PEr *Sacerdotes* intelligimus novi Testamenti Ministros, præsertim Ecclesiæ Antistites, quos antiqui Patres, quia non civili aliquo sed sacro munere funguntur, *Sacerdotes* appellârunt. Illam autem potestatem in hac quæstione solummodo respicimus, quam obtinent ipso jure Sacerdotii sui. Sacerdotes etenim, quà patres, habent in liberos suos potestatem paternam; quà domini, obtinent in servos suos potestatem herilem; quà à Principibus publicæ pacis conservatores sunt constituti, exercent jurisdictionem quandam civilem. Sepositâ igitur illâ omni potestate, quæ quovis alio titulo personis Ecclesiasticis ritè convenire potest, affirmamus, jure sacerdotalis officii nullam aliam aut vendicare aut exercere posse, præter meram spiritualem. Spiritualem autem vocamus, quæ dirigit ac gubernat homines sibi subditos in ordine ad bonum suum spirituale & supernaturale, per media spiritualia & supernaturalia. Hisce prælibatis, ostendemus totam potestatem Sacerdotum esse spiritualem.

1. Quod patet primò, Ab ipso fonte sacerdotalis potestatis, summo nostro Sacerdote Jesu Christo. Nam qualem ipse in procuranda Ecclesiæ salute exercere voluit, talem Apostolis ac Discipulis suis commisit, talémque illi ad successores suos, Episcopos ac Presbyteros, transmiserunt. Christus autem solam spiritualem potestatem sibi vendicavit, Joann. 18. 36. *Regnum meum non est ex hoc mundo*; id est, Ego temporalem potestatem, qualis est Regum & Principum terrenorum, mihi non assumo; sed spirituale regnum in cordibus fidelium administro. Si Christus in Ecclesia colligenda contentus fuit spirituali potestate, non est quòd Ministri ejus audeant temporalem sibi vendicare. Hoc argumento convictus Bellarminus, nè Pontifici quidem Romano *directè* tribuit potestatem illam temporalem. Quòd autem *indirectè* conatur eam ad Pontificem suum pertrahere, merum ludibrium

brium eſt. Non enim Chriſtus putandus eſt *indirectè* dediſſe cuiquam, quod *directè* negavit; aut *indirectè* ſpoliâſſe Reges ſuâ temporali poteſtate, quâ *directè* Deus ipſe eos armavit.

Secundò, perpendamus proprios actus Sacerdotales: ex illis enim qualis ſit ipſa poteſtas apparebit. Sacerdotum eſt, prædicando vocare homines ad Chriſtum, vitámque ſpiritualem in Chriſto participandam: Sacramenta diſpenſando, vocatos, ac vitâ ſpirituali donatos, confirmare & nutrire: excommunicando, morbidos à ſanis ſeparare, ut ad ſanitatem redeant, alióſque interim ſuâ contagione haud inficiant. Hiſce adde, Quæcunque alia commemorari poſſunt Sacerdotum munera propriè dicta, nullum occurret in quo ſpiritualis poteſtatis limites tranſiliant. Nam in hiſce omnibus media ſpiritualia tantummodo adhibentur ad finem ſpiritualem; quibus ſi nihil promoveant, non habent Sacerdotes quod agant ampliús. Neminem ſiquidem corporali pœnâ coërcere, neminem bonorum ablatione multare, neminem incarceratione domare poſſunt. Sic ipſe Chriſtus inſtituit Apoſtolos ac diſcipulos ſuos, uti videre eſt Luc.9.2,5. *Miſit eos ut prædicarent regnum Dei.* Sed fac refractarios nolle hoc Evangelium admittere; num poteſtatem aliquam temporalem exercebunt? Nihil minús: Jubentur pulverem à pedibus ſuis excutere in teſtimonium adverſus tales, ſed poteſtate aliquâ externâ illos cogere non jubentur. Nam, ut verè Rupertus, *Virga Regum eſt virga dominationis; virga Diſcipulorum Chriſti virga eſt dilectionis*; lib.8.in Matth.cap.10. 2.

Tertiò, ſi Deus poteſtatem aliquam temporalem Miniſtris Evangelicis concedere voluiſſet, conceſſiſſet utique illis media ad talem poteſtatem exequendam. Non eſt enim credibile, ſapientiſſimum Deum dare hominibus poteſtatem aliquam, & prorſus eos deſtituere omnibus illis auxiliis neceſſariis, abſque quibus ea poteſtas in actum exire nullo modo poteſt. Quæro igitur, quas copias, quos ſatellites, quos faſces & ſecures Apoſtolis ipſis, aut eorum ſucceſſoribus, Chriſtus præparaverit. Non enim *uſui*, ſed *ludibrio* eſt poteſtas omnis temporalis, hiſce adminiculis nudata. Reſpondebit nobis ipſe Chriſtus, Si temporalem poteſtatem ſpectemus, ipſos Apoſtolos nullis præſidiis ad illam exercendam fuiſſe armatos, ſed tanquam agnos inermes in medium luporum miſſos. Ex altera parte reſpondebit Paulus, Si ſpiritualem poteſtatem attendamus, abunde inſtructos fuiſſe armis ſpiritualibus ad evertendam omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Hoc manifeſto indicio eſt, totam illorum poteſtatem fuiſſe ſpiritualem; quod olim apud ipſos Pontificios, imò apud ipſos Pontifices, in confeſſo fuit. Sic enim Nicolaus Papa apud Gratianum, *Eccleſia gladium non habet niſi ſpiritualem, quo non occîdit, ſed vivificat.* 3. Luc.10.3. 2.Cor.10.4,5. Cauſ.33.quæſt.2.

Denique, vel indè colligitur, Sacerdotes temporalem poteſtatem 4.

ſtatem non habere, quòd quoties opus eâ ſit, teneatur Eccleſia ad Regem, vel quemlibet ſummum Magiſtratum recurrere. Docuit hoc Apoſtolus, ubi Magiſtratum politicum gladio accinxit, ut Dei Miniſter ſit in malis puniendis, boníſque remunerandis. Quando igitur divinâ benignitate Reges Chriſtianam religionem amplectuntur, ad eos ſpectat in ſuo regno bona jubere, mala prohibere, non ſolùm quæ pertineant ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ ad divinam religionem; ut verè Auguſtinus. Tenetur ergò Eccleſia, ubi opus eſt poteſtate temporali, non eam ſibi uſurpare quam nullam à Deo accepit; ſed ad ſupremum Magiſtratum confugere, qui tali poteſtate munitus incedit. Unde illud in Concilio Pariſienſi, *Quod non prævalent Sacerdotes efficere per doctrinæ ſermonem, id Principes ſæculi imperare debent per diſciplinæ terrorem.* Hinc etiam illa Regula Eccleſiæ præſcripta apud Gratianum, *A Regibus terræ contra inimicos ſuos auxilium petat Eccleſia*, Cauſ. 23. Ex hiſce omnibus ſatis perſpicuum eſt, totam poteſtatem, quæ reſidet in Sacerdotibus, eſſe ſpiritualem. Pluribus haud eſſet opus, niſi quòd Pontifex Romanus huic veriſſimæ concluſioni reluctatur, ſibíque vendicat ſummam quandam poteſtatem temporalem, etiam contra Reges ipſos, qui in ſummo culmine temporalis poteſtatis ab ipſo Deo ſunt collocati. Agè igitur, inſanam iſtius homuncionis ſuperbiam rationibus aliquot retundamus.

Rom. 13.

Contra Creſc. lib. 3. cap. 51.

Concil. Tom. 3.

Rubric.

Illud imprimis aſſumo (quod puto me ſatis demonſtrâſſe) Romanum Epiſcopum, quà Epiſcopum, nullam temporalem poteſtatem obtinere, nedum ſummam & ſupremam in ſummos & ſupremos Reges. Hoc igitur titulo Epiſcopali, ſi demus Pontifici Romano temporalem poteſtatem, danda eſt utique & cæteris omnibus Epiſcopis; quod nemo adhuc auſus eſt affirmare. Nam (ut loquitur Ambroſius) *Sacerdotum arma ſunt preces & lacryma; aliter illi nec debent, nec poſſunt contra Reges pugnare.* Sed neque talem poteſtatem habet, quà Petri ſucceſſor: ſiquidem ipſe Petrus talem nunquam habuit. Imò, quod dixit Paulus, *Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari*, illud & Petrus verè dicere potuit; Oportet me temporalem Cæſaris poteſtatem agnoſcere, non in Cæſarem talem poteſtatem uſurpare. Denique, nec ut Chriſti vicarius, temporali aliquâ poteſtate Pontifex Romanus gaudebit. Nam, autore Occamo noſtro, adſtipulatore ipſo Bellarmino, Chriſtus vicario ſuo illam ſolummodo poteſtatem commiſit, quam ipſe homo mortalis exercuit: Chriſtus autem in ſtatu humilitatis ſuæ temporalem omnem poteſtatem, quaſi ſibi prorſus inutilem, repudiavit; ſpiritualem, quæ in cordibus hominum operatur, ſolummodo exercuit. Fruſtra igitur Pontifex Romanus ſe Chriſti vicarium jactitat, ut hoc prætextu ipſis Regibus imperet.

Cont. Auxent.

Act. 25. 10.

Occam. de Pot. Eccl. & ſecul. Bellarm. de Pont. Rom. lib. 5. cap. 4.

Porrò, cùm *Regem* nominamus, vel ipſo nomine, Papæ temporalem

poralem in eundem poteſtatem refutamus. Expreſſâ enim lege Dei cautum eſt, ut *omnis anima poteſtatibus* hiſce *ſupereminentibus ſubjecta ſit*: unde patet, illorum imperium non ſolùm conſtitutum eſſe ſuper milites, aut Laicos; ſed ſuper ipſos Sacerdotes, uti Gregorius Magnus confitetur. *Super Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem*, inquit Optatus. Tertullianus denique in Apologetico, *Imperatores in ſolius Dei poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes & ſuper omnes deos & homines.* Quî poteſt igitur Pontifex Romanus temporali poteſtate Imperatoribus aut Regibus eminere, penes quos ſuprema reſidet poteſtas temporalis? Supremo ſiquidem in eodem ordine nihil datur ſuperius. Aut quî poteſt in Reges ipſos vendicare temporalem aliquam poteſtatem, qui nullam habet ipſe niſi ab Imperatoribus & Regibus ſibi indultam? Unde illud Gerſonis, *Poteſtas temporalis Papæ poteſt abrogari per dominos temporales à quibus obtinuit.* Non putavit ergò poteſtatem Regum temporalem per Papam poſſe abrogari, quod nunc impudenter nimis aſſerunt Jeſuitæ.

Rom. 13. 1.

Epiſt. lib. 3.

Part. 3.

Poſtremò, non competit Papæ poteſtas temporalis ad deponendos vel coërcendos Reges, quia illorum coërcitionem Deus ipſe ſpeciali quodam privilegio ſibi reſervavit. *Quis extendet manum ſuam in chriſtum Domini, & innocens erit? —— Niſi Dominus eum percuſſerit, &c.* 1. Sam. 26. 9, 10. *Rex à Deo tantùm puniendus pœnâ materiali*, inquit Alexander Halenſis, part. 3. quæſt. 4. m. 5. Notum eſt quàm acerbo animo ferat Pontifex Romanus, quoties inferior aliquis Epiſcopus *caſus Papali cognitioni reſervatos* (ut loquuntur Canoniſtæ) judicare præſumpſerit: Sciat igitur divini Numinis indignationem ſibi non minùs pertimeſcendam, ſi Regum punitionem, Deo ſoli reſervatam, temere uſurpare præſumat. Ambroſius, in illa verba Davidis, TIBI SOLI PECCAVI, *Rex*, inquit, *utique erat, homini ergò non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Aut Pontifex Romanus inficias ire debet ſe eſſe hominem, aut fateri, quoad temporalem pœnam infligendam, Regem ſibi minimè eſſe obnoxium. Contra veritatem tam claram illud unum obtenditur, Hanc temporalem Papæ ſupra Reges poteſtatem, ſolummodo in ordine ad bonum ſpirituale animarum, eſſe eidem tribuendam. Hoc autem reſpectu, talem poteſtatem planè neceſſariam eſſe contendunt; alioquin Reges idololatræ, hæretici, & in Deum impii, poſſent idololatriam ſtabilire, hæreſin fovere, imò totum cultum divinum evertere. Sed res ipſa loquitur contrarium. Stetit enim ac floruit religio Chriſtiana ſub Paganis, hæreticis, atque impiis Imperatoribus; quamvis nemo Pont. Rom. aut exercuerit, aut exercere potuerit talem poteſtatem. Quomodo igitur interim defenſa fuit religio, ſi principes ſævientes nemo potuit compeſcere? Reſpondeo Lactantii verbis, *Non occidendo, ſed moriendo; non ſævitiâ, ſed patientiâ; non ſcelere, ſed fide.*

Apol. David. cap. 10.

Inſtit. 5. 20.

fide. Temporalis ergò potestas Pontificis Romani non est medium necessarium, in ordine ad spirituale bonum animarum. Addam & illud, Non esse medium idoneum & accommodatum: quod ex eventu satis superque liquet. Nunquam enim Romanus Sacerdos Reges aut Imperatores, sub religionis & Ecclesiæ prætextu, temporalibus armis oppugnavit, quin eâdem operâ Rempublicam bello civili, Ecclesiam schismate pernicioso, ac totum ferè orbem Christianum infinitis scandalis & miseriis repleverit & obruerit. Exemplo sit Monarchomachorum Princeps Hildebrandus, qui, cùm Henricum Imperatorem per totum ferè vitam suam miris modis vexâsset, tandem ductus pœnitentiâ, fatetur se valde peccâsse, & suadente Diabolo contra humanum genus iram & odium concitâsse; ut refert Sigebertus in Chronographia. En suasorem usurpatæ hujus potestatis! scilicet ipsum Diabolum. En fructum! non spiritualem aliquam Ecclesiæ utilitatem, sed humani generis cladem ac calamitatem. Denique, ut absolvam verbo, si Papa usurpatione temporalis potestatis adversus Reges posset bonum spirituale Ecclesiæ promovere, tamen tali medio opitulante bonum Ecclesiæ non esset promovendum. Nullus siquidem actus in se illicitus, est ad bonum quodcunque ordinabilis: Sacerdoti autem egredi vocationis suæ limites absque expresso Dei mandato, atque Reges vi & armis impugnare, est actus planè illicitus, ordini à Deo constituto contrarius; ac proinde in ordine ad Deum haud unquam usurpandus.

Anno 1085.

Quæſtio XVI.

Pronitas ad malum non fluit ex principiis naturæ integræ.

PRonitatem ad malum appellamus habitualem quandam inclinationem ſive voluntatis, ſive inferioris appetitûs, ad ea deſideranda & facienda, quæ legi divinæ adverſantur. Talem inordinatam propenſionem ex principiis naturæ integræ neceſſitate quâdam naturali dimanare, nonnulli docuerunt; fuiſſe tamen in Adamo ante lapſum originalis juſtitiæ vinculo, nè foras in actum erumperet, quaſi conſtrictam & ligatam. Hunc errorem avidè amplexati ſunt quidam Jeſuitæ, non alio (ut mihi videtur) conſilio, quàm ut alios ſuos errores graviſſimos huic fundamento poſſint ſuperſtruere. Nam ſi dederis illis, pronitatem ad malum, id eſt, rebellionem appetitûs ſenſitivi contra legem mentis, eſſe ex ipſius naturæ principiis ſibi relictis oriundam; protinus inferent, hanc concupiſcentiam rebellem non eſſe peccatum; renatos hâc non obſtante eſſe perfectè juſtos, & omni peccato inhærente immunes; opera renatorum eſſe perfectè juſta, & ad amuſſim legis divinæ conformata; aliáque ejuſdem farinæ quamplurima.

Dominicus Soto, de Nat. & Grat. lib. 1. cap. 2, & 13.

Sed miſſis cæteris omnibus, audiamus Bellarminum: qui rectè agnoſcit Adamum in gratia conditum fuiſſe; imaginatur tamen ſtatum quendam purè naturalem, in quo condi potuit tam gratiæ expers quàm peccati; atque indè ſatis otioſè philoſophatur, qualis hic homo fuiſſet in puris naturalibus, ad eum quem finxit modum conſtitutus. Docet autem, *Statum hujus hominis in puris naturalibus conſiderati, non magis differre à præſenti ſtatu hominis lapſi, quàm differat homo nudus ab homine veſtibus ſpoliato.* Quin addit, *Naturalem carnis noſtræ impetum non eſſe nunc magis rebellem quàm ante peccatum in illo ſtatu purè naturali futurus erat; neque pura naturalia fuiſſe ſaniora aut puriora ante peccatum, quàm*

De Grat. primi homin. cap. 5, & 7.

Ibid. cap. 5. & 7.

nunc ſunt poſt peccatum. Tandem conſidenter aſſerit, *Talem omnino fuiſſe hominem in puris naturalibus, ut in eo eſſet præceps illa in vitia inclinatio, quam nos in nobis poſt lapſum experimur.* Hæc autem opinionum portenta arceſſit ex ſola neceſſitate materiæ, præter intentionem Dei creantis; ac tuetur non poſſe aliter fieri, quin in homine ex ſpirituali & ſenſibili natura compoſito, ſit eadem planè rebellis & præceps concupiſcentia, quæ jam in homine peccatore ſe exerit; niſi aliunde coërceatur. Hiſce deliriis Bellarminianis opponimus hanc theſin noſtram, *Pronitas ad malum non fluit ex principiis naturæ integræ*; id eſt, Rebellis inclinatio appetitûs, quâ pronus & præceps fertur ad concupiſcendum contra ipſam legem mentis, eſt naturalis rectitudinis depravatio; neque fluxit à conditione materiæ, ſed à corruptione ipſius naturæ: quod hiſce argumentis evincemus.

Argum. 1. Ipſe Deus, qui hominem creavit, tam corporis quàm animi, tam materiæ quàm formæ autor fuit, atque utrumque ſuis proprietatibus atque diſpoſitionibus ornavit & inſtruxit. Si igitur propenſio illa ad rebellandum, & præceps ad vitia inclinatio ex conditione puræ materiæ fluxerit, Deum (quod nefas eſt) hujus vitioſæ & inordinatæ inclinationis autorem agnoſcimus. Bellarminus reſpondet, Deum ſcilicet non eſſe habendum pro autore hujus inordinatæ concupiſcentiæ; quia præter intentionem Dei creantis ex neceſſaria materiæ conditione conſequitur: ſicuti faber ferrarius non eſt autor rubiginis, quamvis faciat gladium ferreum, ex neceſſitate materiæ rubigini obnoxium. In hac ſimilitudine omnia ſunt diſſimilia. Faber iſte, infirmus & imperitus homuncio eſt, qui materiam ferream non ipſe facit, ſed factam & diſpoſitam invenit: at humanæ naturæ opifex, eſt Deus ipſe ſapientiſſimus & omnipotentiſſimus; qui materiam non aliunde accipit, qualem reperit; ſed ex nihilo creavit, qualem voluit. Sed ut alia mittamus, Illud quod à Bellarmino ſupponitur, *Deum* nempe *non poſſe creare hominem ex anima rationali & materia ſenſibili compoſitum, quin, præter divinam intentionem, homo ità conſtitutus habeat præcipitem inclinationem ad ſenſibilia*, blaſphemiæ proximum eſt, & in omnipotentem Deum valde contumelioſum. Nam quod poteſt eſſe tantum in terræ materia venenum, ut, præter omnipotentis Dei intentionem, neceſſariò animam ſibi conjunctam in vitia agat præcipitem? Concedimus, ex unione ſpiritualis ſubſtantiæ ad ſenſibilem, ſequi neceſſariò inclinationem animæ unitæ ad ſenſibilia; ſed inordinatam, rebellem, præcipitem inclinationem ad ſenſibilia indè ſequi, niſi fræno injecto compeſcatur, nullo modo eſt concedendum. Quanquam & illud parùm conſentaneum eſt, ut Deus ſtatuatur ſupernaturali fræno voluiſſe hanc inclinationem carnis in perpetuum cohibere, ſi ea fuiſſet pro conditione humanæ materiæ naturalis. Non enim ſolet Deus naturales

motus

motus creaturarum abolere. Et ſanè perineptum eſt, Primò, fingere talem inclinationem rebellem competere homini ſecundum principia puræ & integræ naturæ: ac deinde, Deum inducere, hanc naturalem inclinationem, ſupernaturali quodam pharmaco, quaſi reprimentem. Quantò rectiùs Hugo de Sancto Victore! qui docet, *in ſtatu innocentiæ carnem tanquam jumentum mite ſuaviter portâſſe ſpiritum, nec fræno, nec calcaribus inſtructum: Vel ſi forte franum ibi eſſet, quo caro, neſcia per ſe incedere, regeretur; haud opus tamen fuiſſe fræno, quo cohiberetur; quia non fuit impetuoſa.* De ſacr. Fidei, lib. 1. part. 7. cap. 19.

Secundò, hoc Bellarmini novum inventum communi ſententiæ omnium Theologorum adverſatur, qui unanimi conſenſu docuerunt, per lapſum Adami hominem fuiſſe ſpoliatum ſupernaturalibus, vulneratum in ipſis naturalibus; vel, ut Lombardi verbis utar, *per peccatum originis naturalia bona in ipſo homine fuiſſe corrupta, gratuita detracta.* At ſi Bellarmino fidem adhibemus, naturalia in nobis non minùs pura & ſana ſunt poſt peccatum, quàm fuerunt ante peccatum: imò *liberatus* & *emancipatus* potiùs in naturalibus homo lapſus dicatur, quàm *vulneratus* aut *corruptus.* Nam ipſo lapſu excuſſit ſolummodo frænum ſupernaturale, & ſic rediit ex ſententia Bellarmini ad ſtatum purè naturalem. Ubi ergò illa vulneratio, illa corruptio naturæ humanæ per peccatum facta? ubi illa fœditas & contagio, quæ tam perſonam inficit quàm naturam, ad poſteros per generationem propagata? Profectò hæc Theologorum axiomata (ſi obtineat illud Bellarmini, *Statum hominis lapſi nihilo deteriorem aut impuriorem eſſe ſtatu hominis in puris naturalibus conſiderati*) in fumum omnia evanuerunt. Sed accipite hac de re antiqui & docti Theologi Guilielmi Pariſienſis ſententiam, *Si conſideremus ſtatum hominis antequam peccavit, in puritate & nobilitate ſolarum perfectionum naturalium, & ſtatum præſentis hujus corruptionis cum qua naſcimur; inveniemus quòd ſtatus ille fuerit verè humanus, hic autem ſtatus ex magna parte brutalis.* Bellarminianus igitur homo in puris naturalibus, Pariſienſi nihil aliud jam eſt, quàm in impuris brutalibus conſtitutus. *Argum.* 2. *Lib.* 2. *diſtinct.* 25. *De univerſ. part.* 2 *cap.* 59. *pag.* 851.

Tertiò, illud vel maximè probat hanc pronitatem ad illicita deſideria non ex conditione materiæ ſenſibilis originem ducere, quòd in ſuperiore parte animæ non minùs ſe exerat quàm in inferiore; quódque ad objecta ſpiritualia æquè ſe extendat atque ad carnalia & ſenſibilia. Præclarum eſt illud Auguſtini, *Voluntas ſine charitate eſt tota vitioſa cupiditas.* Non dicit inferiorem & ſenſibilem appetitum eſſe hoc vitio effrænis concupiſcentiæ inquinatum; ſed ipſam voluntatem totam, quaſi verſam eſſe in vitioſam cupiditatem. Imò ipſe Bellarminus ait, *Quamvis concupiſcentia in carne potiſſimùm reſideat, tamen non eſſe negandum etiam in parte ſuperiore ſimile vitium inveniri. Nam ea quoque animi pars prona* *Argum.* 3. *Retract.* 1. 15. *De Amiſſ. Grat. lib.* 5. *cap.* 15.

eſt ad concupiſcendos honores, inanem gloriam, aliáſque vanitates; & (etiamſi nolimus) interdum parit ejuſmodi deſideria. Hîc igitur quæro, Unde pronitas ad ſuperbiendum, ad invidendum, ac ad alia vitia ſpiritualia? Profectò hæc concupiſcentia inordinata, quæ nihil aliud eſt quàm effrænis libido fornicandi cum creatura, non poteſt à conditione materiæ oriri quoad mentem & voluntatem; quandoquidem præcipites feruntur ad objecta quæ minimè materialia ſunt, neque ſenſibus ſubjiciuntur. Nugas igitur agit Bellarminus, quando eam concupiſcentiam ſolùm ad materiæ conditionem refert, quæ reſpicit ſenſibilia; eam interim quæ inordinatè appetit inſenſibilia, ad eandem materiæ conditionem referre nequeat. Nos cum Auguſtino dicimus, hoc malum concupiſcentiæ, ſive ſuperiorem ſive inferiorem animæ partem ſpectemus, *non fuiſſe naturæ noſtræ Deo opifice congenitum, ſed à peccante natura in peccatricem naturam tranſiſſe.* Quemadmodum enim ebrietas, unum vitium cùm ſit, tamen ità turbat animam corpúſque, ut nec illa nec illud quicquam facere poſſit decorè & ordinatè: ità originale peccatum, quod actu unum eſt in ſingulis, mentem occæcat, voluntatem pervertit, appetitum ſenſitivum corrumpit, totum denique hominem depravat. Impiè igitur à materiæ conditione illud concupiſcentiæ malum arceſſit Bellarminus, quod ab originalis peccati contagione erat arceſſendum.

Hypog. lib. 4.

Argum. 4.

Quartò, illud diligenter perpendendum eſt, Facultatem concupiſcibilem, ſive appetitum ſenſitivum in homine, non eſſe *animæ brutæ* potentiam, ſed *animæ rationalis*. Non enim ità ineptiendum eſt, ut putemus ipſam carnem, aut animam quandam irrationalem in nobis appetere carnalia & ſenſibilia; ſed anima rationalis carnali & ſenſibili corpori unita, ea eſt quæ carnalia & ſenſibilia, ſive ordinatè ſive inordinatè, concupiſcit. Sic Hugo de Sancto Victore, *Eſt ipſe ſpiritus qui in appetitu carnalium menſuram excedit.* Et ante eum Auguſtinus, *Ægritudo animi rationalis eſt, cùm bonis inferioribus delectatus, ſuperiora ex parte appetit, ex parte non appetit; ideóque in duas dividitur voluntates.* Craſſus eſt igitur error Bellarmini, quando præcipitem concupiſcentiam ex conditione materiæ ità elicit, quaſi aut ipſa materia carnis appeteret carnalia, aut anima rationalis carni unita, quâdam naturæ neceſſitate raperetur ad appetendum carnalia contra legem & imperium ipſius rationis. Meminiſſe ergò debuit Jeſuita, Animale *humanum* ſpecie differre ab animali *brutorum*: atque in homine unam & eandem eſſentiam eſſe, in qua duplex fundatur appetitus: unus rationalis, tendens ad ſuperiora & ſpiritualia; alter ſenſitivus, tendens ad inferiora & ſenſibilia: ſed ità tendens naturaliter, uti decet appetitum ſenſitivum, non *brutum*, ſed *ſub regno rationis natum*, & *rationis lumine gubernatum*. Nam actus appetitus ſenſitivi, in creatura rationali, natus eſt menſurari

Cap. 19. de ſacr. lib. 1. part. 7. & cap. 23. Apud Bed. in 5. ad Galat.

Vide Durand. lib. 3. D. 33. quæſt. 3.

per

per actum rationis. Ut ergò demus Bellarmino, ſenſitivum appetitum in brutis naturali impetu ferri præcipitem in objectum delectabile; tamen cum Gerſone defendemus, *Eſſe aliquem actum proprium ſenſualitatis ſimpliciter, qui non eſt proprius ſenſualitatis humanæ.* Ex unione ad materiam ſenſibilem ſequitur in anima rationali appetitus naturalis rerum ſenſibilium: ſed ex conditione materiæ non redundat in animam rationalem naturalis pronitas ad inordinatè appetendum ſenſibilia. Unde Aquinas, *Hæc concupiſcentia per quam prona eſt concupiſcibilis, ut feratur in delectabile ſenſûs præter ordinem rationis, eſt contra naturam hominis in quantum eſt homo.* Planiùs ac breviùs 1. 2. quæſt. 82. art. 3. *Concupiſcentia quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam.* Non igitur ineſſet talis concupiſcentia homini in puris naturalibus conſtituto; ut vult Bellarminus.

Part. 2. fol. 160. b.

Quæſt. diſp. de pec. Or. art. 2.

Quintò, ipſa hæc pronitas, vel præceps inclinatio ad concupiſcendum contra legem mentis, ab Apoſtolo Paulo *peccatum* ſubindè appellatur; ab Auguſtino, Proſpero, reliquíſque Patribus, adeóque ab ipſo ſententiarum Magiſtro, *peccatum originale* cenſetur; Denique, ab omnibus Theologis, per generationem ad nos propagata, & in ipſa nativitate contracta aſſeritur. Nihil horum eſt, quod non confirmat ſententiam noſtram, & ab imis fundamentis eruit Bellarminianam. Nam ſi hæc concupiſcentia habitualis, ſive pronitas ad rebellandum contra legem mentis, ſit peccatum; tum nullo modo ineſſe potuit homini in puris naturalibus conſiderato, aut latere quaſi conſopita & vincta in principiis naturæ integræ: pura enim integri hominis naturalia omnem peccati labeculam excludunt. Porrò, ſi hæc rebellis concupiſcentia ſit ipſiſſimum peccatum originale, tum eſt poſterior lapſu Adami, ac proinde in naturæ integræ principiis ſedem habere nullo modo potuit. Denique, ſi mediante generatione carnali ab Adamo peccante in nos peccatores fuit propagata, tum in ſtatu purè naturali ex neceſſaria conditione materiæ non fuiſſet enata. Vix merentur refutationem, quæ ſolent huic argumento à Papiſtis reſponderi. Dicit Bellarminus hanc concupiſcentiam inordinatam non eſſe propriè peccatum. Quid igitur? an peccatum impropriè dictum in naturæ integræ principiis, tanquam ferocem belluam catenâ religatam, latitâſſe, credibile eſt? Credat Bellarminus; nos talibus inſomniis fidem non adhibemus. Porrò, quid cauſæ afferre poteſt, cur putemus Apoſtolum, Auguſtinum, reliquóſque omnes qui hanc concupiſcentiam *peccatum* appellant, impropriè loquutos? Illa ſanè verba Auguſtini peccatum propriè dictum depingunt, *Concupiſcentia carnis adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & Peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis; & Pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis; & Cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.* Sed aliter reſponderi

Argum. 5. Rom. 7.

Lib. 2. d. 30.

Vide Aug. lib. 5. cont. Jul. cap. 3.

Lib. 5. in Jul. cap. 3.

ſponderi ſolet, Hanc concupiſcentiam eſſe ſolummodo *materiale* originalis peccati, non *formale*. Quaſi materiale peccati originalis in homine puro & integro latere potuerit, quamvis formale non potuerit. Si tempus pateretur, facile eſſet hanc ineptam diſtinctiunculam diſcerpere: illud unum jam regero, Hanc concupiſcentiam inordinatam continere in ſe indebitam converſionem ad creaturam, & indebitam averſionem à Creatore, ac proinde genuinam peccati naturam habere. In animo fuit, pluribus argumentis ſententiam noſtram confirmâſſe, ac Bellarmini objectiunculas omnes diſpuliſſe, ſed occurrendum eſt tædio auditorum, & tempori cedendum. Hîc finis eſto.



Quæstio XVII.

Jesuitici Pontificii non possunt esse boni subditi.

NOn *esse*, extra controversiam est; clare loquuntur patrata in Reges facinora. Quærendum, an esse *possint* boni subditi: Non patiuntur vulgata à Jesuitis, & recepta ab omnibus Jesuitismis Pontificiis dogmata. Quisquis etenim doctrinam Jesuiticam probat, & in praxin deducit, is, sive *Clericus* sit sive *Laicus*, boni subditi nomen tueri nullo modo potest. De *Clericis* primò videamus.

Atque hîc illud tanquam satis manifestum assumo, Eos in bonis subditis, imò nè in subditis quidem esse numerandos, qui pertendunt se à jugo secularis potestatis adeò liberos, ut leges Principum vim coactivam in eos non obtineant; quinimo si contigerit eos in leges civiles peccare, asserunt se non posse à civili Magistratu puniri, imò nè trahi quidem ad tribunal ejus. Quales, quæso, subditi habendi sunt, qui, profitentur se nec Principum suorum legibus adstrictos, nec, si eas violent, judiciis aut pœnis obnoxios? Alia est Apostoli de bono subdito sententia ad Rom. 13. 1. ubi omnem animam potestatibus supereminentibus subjectam esse jubet: simúlque judicat ad hanc subjectionem pertinere, ut agnoscas te gladio Magistratûs subditum, si quid malefeceris; vers. 4. Jam ex adverso apud Jesuiticos Pontificios obtinuit illud Bellarminianum, *Clerici legibus civilibus, ut sunt leges Principum, non tenentur obligatione aliquâ coactivâ, sed solùm directivâ.* Quid si dirigi nolint? quid si hasce leges protervè sub pedibus conculcent? *Non possunt tamen* (eodem Bellarmino judice) *à Magistratu politico puniri, vel ullo modo trahi ad Magistratûs secularis tribunal.* Verùm, quid si crimen illud teterrimum admittant læsæ majestatis? Occurrit hîc nobis peropportunè Eudæmon Jesuita, atque suggerit, *A Clericis, qui jure subjectionis exempti sunt, propriè quidem majestatem non ladi:* quod Zimancha expressè docuit; *Clerici* scilicet *rebellionem non esse crimen læsæ majestatis,*

De Cler. lib. 1.

Ibid. cap. 28.

Apolog. cap. 34. pag. 110.

Aphoris. de cons.

majestatis, quia non est subditus Regi. Desinant itaque sese bonos subditos jactare, qui ne subditos quidem se esse debere adhuc agnoscent. Hactenus de dogmate exemptionis, quod pugnat cum ipsa ratione civilis subjectionis.

Huic accedat aliud dogma Jesuiticum de sigillo confessionis, quod sacerdotes Papisticos venenato illo dogmate infectos cogit sæpenumero boni & fidelis subditi officium negligere. Fac enim sanguinarios proditores conjurasse in caput Regis, ac in totam Rempublicam, idque per confessionem sacerdoti Pontificio revelâsse: si tamen is Jesuiticâ disciplinâ imbutus sit, dicet cum Eudæmone, *Ea quæ per confessionem dicuntur, nec pro capite Regis, nec pro totius Reipublicæ salute, enuntiari oportere:* vel, cum Gregorio de Valentia, *Quod aliquis tantùm in confessione cognovit, revelare nullo modo licet propter quemcunque finem, quantumvis videatur ad bonum commune referri.* Hoc theoremate Jesuitico imbutus Garnettus, obtendebat (sed falsò) se immane illud facinus de suffulminando toto hoc Regno non patefeciſse, quia scilicet per confessionem solummodo sibi innotuerat. Vestrum jam erit judicare, quales illi subditi sint, qui patriam & Principem suum perire potiùs volunt, quàm ut fictitium illud sigillum rescindant. Bonis profectò subditis salus Reipublicæ suprema lex est, nec Jesuitico isti insomnio posthabenda. Jesuiticum insomnium voco hoc de sigillo confessionis in tali causa figmentum, quia istis placuit, cæteris Pontificiis minimé. Loquatur pro reliquis omnibus Princeps Scholasticorum Halensis noster: *Sacerdos non tenetur quæcunque sibi revelata claudere sub sigillo, sed illa tantummodo quæ claudi debent secundum definitionem sanctorum; hæc autem sunt perpetrata, non perpetranda.* Viderit ergò Jesuiticus quilibet sacerdos, nè, dum sigilli adulterini immeritò rationem habeat, boni subditi existimationem meritò amittat. Sed vereor nè in quæstione de bonis subditis valde ἀπροσδιόνυσον videatur, de sacerdotibus Pontificiis ullam mentionem facere, qui nec *boni* esse solent, nec *subditi* esse volunt: Eos igitur missos faciamus, & veniamus ad Laicos: quos negamus bonos subditos esse posse, si Jesuiticis placitis fidem adhibere & parere voluerint.

Apolog. pag. 355.

Tom. 4. de Sigil. Confess.

Part. 4. quæst. 19. memb. 2. art. 2. pag. 331, &c.

Duo sunt Jesuitarum dogmata (ut de cæteris nihil dicam) quæ ab imis fundamentis revellunt fidem *Laicorum.*

Unum est, *Juramentum fidelitatis proprio suo Principi datum, autoritate Principis sive Præsulis externi, id est, Romani Pontificis, posse dissolvi.* Quid enim eum in officio boni subditi continebit, qui jurisjurandi religionem susque deque habuit? At hoc omnibus Laicis instillant Jesuitæ, *Debere eos erga Principem suum fidem fluxam, & non nisi ex arbitrio Papæ pendulam gerere; adeò ut si Papa jusserit eos renuntiare fidelitati suæ, & irruere in proprium Regem, ipsa pietas protinus cogat eos impios esse.* Bellarminus integro tractatu hoc egit, ut probaret *juramentum fidelitatis nè suscipi quidem*

Resp. ad Apol. pro jur. fidelit.

posse

poſſe à Papiſtis noſtris ſine fidei catholicæ abnegatione. Communis etiam ſententia eſt omnium Jeſuitarum, *Quodcunque fidelitatis juramentum, quacunque ſolennitate præſtitum & ſuſceptum, Papali autoritate abrogari poſſe.* Ut nihil aliud adjiciam, Quis illum dixerit fidelem ſubditum erga Principem ſuum, qui neque fidelis, neque ſubditus manebit, ſi aliter illi fuerit viſum, cui Reges, quò meliores & ſanctiores, eò magis ſolent eſſe inviſi?

Alterum quod Laicis Pontificiis ipſos nervos fidelitatis incîdit, illud eſt quod Jeſuitæ diſcipulis ſuis obtrudunt, nempe, *Non licere Chriſtianis tolerare Regem hæreticum, ſi ille conetur ſubditos ad ſuam hæreſin pertrahere*; ut Bellarminus ſtatuit. Atque nè in re tanti momenti fluctuent & vacillent animi novitiorum, Parſonius noſter confidenter affirmat, *De fide certum eſſe, quemcunque Principem Chriſtianum, ſi à religione catholica manifeſtò deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere ſtatim omni poteſtate & dignitate, idque ante prolatam Papæ ſententiam; poſſéque & debere ſubditos, ſi vires habeant, iſtiuſmodi hæreticum ex hominum Chriſtianorum dominatu ejicere.* Conſimilia habet Suares in libro de Cenſuris, diſp. 15. ſect. 6. pag. 262. Non eſt neceſſe hanc camarinam ultrà movere: illud unum cogitate (quod neminem veſtrorum latet) Noſtram religionem eſſe illam, quam Jeſuitæ vocant hæreſin; noſtróſque Reges Proteſtantes eſſe eos, qui, ex iſtorum ſententia, ſubditos ſuos à religione catholica avocare conantur. Eò igitur ſpectant prædicta theoremata, ut perſuadeant Pontificiis, Eos teneri, ſimulac vires acceſſerint, Proteſtantes ſuos Reges, ſub quorum ditione vivunt, adoriri, & de ſolio deturbare. Si hoc nondum tentaverint, Bellarminus veram cauſam incautè nimis effutivit; Non quòd animus illis deſit, ſed quòd vires temporales nondum illis adſint. Non abs re eſſet de cæca obedientia & æquivocatione Jeſuitica hoc in loco diſſerere; quæ duo Jeſuiticæ doctrinæ capita quiſquis diſcit, boni ſubditi officium eâdem operâ dediſcat eſt neceſſe. Nam cæca obedientia facit Jeſuiticos Pontificios ad omnia imperia, quantumvis impia, ſuperiorum ſuorum ſpiritualium exequenda paratiſſimos. Superiores autem illos aliquando ſuperſtitioſis hominibus ea injungere, ídque ſub opinione eximii cujuſdam meriti, quæ Regibus perniciem afferunt, utinam probatione indigeret. Jam quod attinet ad æquivocationem, ſive mentalem Jeſuitarum reſervationem, ſi legitimum Magiſtratum mendaciis & perjuriis eludere ſit nefas bono ſubdito, qui mutato ſolo nomine hoc faciunt, & confidenter ſe poſſe facere defendunt, nè ipſum quidem nomen aut boni viri, aut boni ſubditi poſſunt ſibi vendicare.

De Rom. Pontif. 5. 7.

Philopat. ſect. 2. pag. 109.

De Rom. Pontif. 5. 7.

Vide Valen. Tom. 4. de ſigil. con. punct. 4.

Quæstio XVIII.

Cultus religiosus creaturæ est idololatria.

HUic quæstioni tractandæ viam commodissimè patefaciet perspicua terminorum explicatio. Ordiamur à *Cultûs* vocabulo; quod nil aliud est, quàm obsequium alicui præstitum juxta ejus excellentiam. Obsequium autem tres actus includit: actum *mentis*, quo apprehendimus personæ honoratæ excellentiam; actum *voluntatis*, quo nos illi ut inferiores submittimus, & id debitis officiis agnoscere prompti sumus; actum *corporis*, quo signum nostræ demissionis ostendimus prostratione, inclinatione capitis, adgeniculatione, & similibus. Quod attinet ad *Religionis* vocabulum, indè originem trahit, quia nos religat uni omnipotenti Deo. Ità Lactantius, Instit. lib. 4. cap. 29. *Pietatis vinculo obstricti Deo, & religati sumus, unde ipsa Religio nomen accepit.* Sic Augustinus de Civit. lib. 10. cap. 1. *Si Cultus tantummodo dicatur, non soli Deo deberi videtur: sed Religio distinctiùs, non quemlibet, sed Dei cultum significat.* Aquinas etiam, qui classem ducit inter Scholasticos, hunc religionis cultum ad Deum restringit, 2.2. quæst. 81. *Religio*, inquit, *propriè importat ordinem ad Deum*, art. 1. Et, *Religio est virtus exhibens Deo famulatum in iis quæ specialiter pertinent ad Deum*, art. 8. Ut enim Temperantia hominem bonum reddit in ordine ad seipsum, Justitia in ordine ad proximum, ità Religio in ordine ad Deum. Hanc esse primariam & genuinam hujus vocabuli significationem, ex profanis etiam autoribus patet. *Religio* (inquit Orator) *est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamq; affert.* Et alibi, *Religio est, quæ Deorum cultu pio continetur.* Hæc in eum finem pluribus à me disputantur, quòd Pontificii Religionis cultum Angelis, Sanctis, imò picturis & stipitibus dispertiuntur. Sed nè in verborum aucupiis posita videatur hæc controversia, triplicem imprimis cultum vobis delineabimus: dein, proprios actus hujus religiosi cultûs ostendemus: postremò, Pontificiorum idololatriam

lolatriam detegemus, qui eos omnes creaturis communicant. Eſt igitur cultus omnis, vel *ſubjectionis civilis*, vel *reverentiæ* (ut ità dicam) *moralis*, vel *ſacroſanctæ religionis*.

Cultum *ſubjectionis civilis* appello obſequium illud quod alicui exhibetur ratione particularis eminentiæ, & dominii quod habet in alterum per aliquam primi Principii participationem. Quod obſcuriùs à me dictum eſt, exemplis illuſtro. Principes, & omnes qui ſunt cum imperio, habent aliquam ſummi Gubernatoris adumbrationem: cultus igitur civilis iis debetur, quatenus participant primi Principii ſimilitudinem in legitima poteſtate gubernationis. Sic Verbi Miniſtris, ſic parentibus honorem debemus, quatenus in procreandi & docendi officio, ſummi Creatoris & cœleſtis Doctoris referunt imaginem. Fundamentum igitur hujus civilis cultûs, eſt excellentia alterius, non ſimpliciter conſiderata, ſed cum reſpectu cujuſdam particularis poteſtatis in alium: ideóque ab Aquinate rectè appellatur *Legale debitum*; quia tenemur ad exhibitionem hujus cultûs, & politicis legibus, & expreſſo Dei mandato. 2. 2. *Quæſt.* 102. *art.* 2.

Venio ad cultum *reverentiæ moralis*, quem ſic definio, Eſt obſequium alteri debitum, propter ejus excellentiam in ſe conſideratam, abſque imperio aliquo honorati, aut ſubjectione honorantis. Verbi cauſâ, cùm conſidero Sanctos in cœlis, gratiâ, dignitate, ſcientiâ, innumeris denique donis præſtare nobis viatoribus; quanquam illis non ſubjiciamur politicâ aliquâ ordinatione, æquum tamen & juſtum arbitror, ut, ob tantam eorum eminentiam, eos reverentiâ & debito honore proſequamur. Eadem etiam Angelorum ratio eſt; quibus tamen & cultus *civilis* poteſt competere ratione *præfecturæ* & *cuſtodiæ*, & cultus ille *moralis* ratione *excellentiæ*. Sic ſanctos doctóſque viros in tranſmarinis regionibus, quibus nullo modo ſubjicimur, revereri tenemur. Hunc cultum non inſcitè appellat Aquinas *Debitum morale*, quia honeſtas jubet ut omni excellentiæ ſuus honos tribuatur. *Ibid.* Ad hunc cultum pertinet, Primò, ut mente agnoſcamus excellentiam alterius: Secundò, ut eam affectu & amore complectamur: Tertiò, ut imitemur pro virili: Ultimò (cùm res tulerit) ut vel *verborum* ſignis, id eſt, laudationibus, opinionem de eo conceptam teſtemur; vel *factorum*, id eſt, corporis incurvatione, vel quovis alio humilitatis ſigno, fateamur nos ei, quaſi digniori, faſces noſtros ſubmittere. Hunc cultum Angelis & Sanctis ultro concedimus; ſic enim Auguſtinus, *Honoramus Angelos charitate, non ſervitute.* Et, lib. 22. contra Fauſtum, *Colimus Martyres cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur homines ſancti.* *De vera religione, cap.* 55. Et alibi, *Honorandi ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* *De vera religione, cap.* 55.

Tandem accedo ad *cultum religioſum*, quem ità definio, Eſt obſequium ſupremum, illi ſoli debitum, qui eſt Principium &

Autor tam creationis quàm beatificationis noſtræ. Hanc ſententiam ſequitur Aquinas, contra Gentiles, lib. 3. cap. 120. ubi demonſtrat ſpecialem hunc cultum illi ſoli exhibendum à quo accepimus ſpeciale beneficium creationis. Quod attinet ad beatificationem, ſuppletur ab Auguſtino, Tract. 23. in Evang. Joann. *Hæc eſt religio Chriſtiana ut colatur unus Deus, quia non facit animam beatam niſi unus Deus.* Jam verò, ut propiùs ad inſtitutum noſtrum accedamus, Cultus hic religioſus habet elicitos quoſdam & proprios actus, eóſque vel *internos* vel *externos*. Primus actus internus eſt in *intellectu*, cùm apprehendit aliquem ſub ratione primi principii & ſummi boni. Secundus eſt in *voluntate*, cùm ſe devotè & humiliter eidem ſubjicit, quaſi ſuæ ſalutis autori. Quod attinet ad actus *externos*; incurvatio, proſtratio, & hujuſmodi, non ſunt ſimpliciter religioſi, ſed ex intentione agentis. Si quis eo animo ſe proſternat, ut eum quem colit, pro Numine adoret, eſt actus *cultûs religioſi:* ſin minùs, refertur ad *civilem*. Indubitati autem & certi actus religioſæ latriæ, ſunt ſacrificii oblatio, templi vel aræ dedicatio, votorum nuncupatio, invocatio, & ejuſmodi alia, quæ tam ex inſtitutione divina, quàm ex ipſa ſignificatione ad Deum ſolum referre tenemur. Idololatræ igitur omnes cenſentur, qui hoſce actus, qui propriè ſpectant cultum divinum, quovis prætextu exhibent creaturę. *Creatura* autem nomine complector non tantùm ſolem, lunam, ſtellas, Sanctos, Angelos; ſed ſtatuas & imagines; uno verbo, quicquid videri aut cogitari poteſt extra unum omnipotentem & verum Deum. Sed nè temere vagetur oratio noſtra, totam hanc de Pontificiorum Idololatria diſputationem ad certas propoſitiones revocabo. Quarum prima hæc erit,

Vide Auguſt. Epiſt. 49.

Prop. 1. *Imagines ad Trinitatem repræſentandam factæ, cultu religioſo adorari non poſſunt abſque manifeſta idololatria.*

Habemus ſuffragia ſaniorum Pontificiorum contra hanc Eccleſiæ Romanæ idololatriam. Aquinas, 3. part. quæſt. 25. art. 3. *Vero Deo, cùm ſit incorporeus, nulla imago corporalis poteſt poni:* ergò non poteſt in poſita imagine adorari. Damaſcenus, *Inſipientiæ ſummæ eſt & impietatis, figurare quod divinum eſt.* Durandus, *Fatuum eſt imagines facere ad repræſentandum Deum, vel eas venerari.* Ipſe Bellarminus, acerrimus ſuperſtitionis Papiſticæ propugnator, ſilentio ſuo agnoſcit, tam craſſam idololatriam defendi non debere. Ratiunculis quibuſdam conatur oſtendere, non illicitum eſſe Trinitatem iis figuris exprimere, quibus apparuerunt; cæterùm de Adoratione verbum nullum. Sorbonici doctores quadraginta abhinc annis publicam hanc confeſſionem ediderunt, *Cupimus imagines & picturas Trinitatis ſublatas ex omnibus templis aliiſque locis publicis privatiſque; quia & Scripturis, & Conciliis, & doctiſſimorum virorum ſuffragiis condemnantur.* Sed hiſce omnibus refragatur publica autoritas Romanæ Eccleſiæ:

Lib. 3. diſt. 9. quæſt. 2.

cleſiæ: paſſim enim in templis Deus Pater ſenis cani portat effigiem, Filius agni, Spiritus columbæ: & hæc non ſolùm pinguntur ad hiſtoriæ alicujus ſignificationem, ſed ad cultum atque adorationem. Audite ipſiſſima Cajetani verba, qui tam deploratæ cauſæ patrocinium ſuſcepit: *Eccleſiæ Romanæ uſus admittit Trinitatis imagines, eaq; pinguntur non ſolùm ut oſtendantur, ſed ut adorentur.* Argumentis igitur hunc errorem obruamus. *In Aquin. part. 3. quæſt. 25. art. 3.*

Primum ducetur à præcepto Dei: nam, ut rectè Aquinas, 2.2. q. 81. art. 2. Cultum aliquem Deo exhibere, eſt de dictamine rationis; at determinatum & verum exhibere, pendet ab inſtitutione divini juris. Jam verò cultus Dei in imagine manufacta non ſolùm deſtituitur Dei mandato, ſed etiam illi adverſatur. Omnem imaginum cultum carere mandato, probo ex confeſſione eorum qui eas docent colendas. Aquinas, part. 3. quæſt. 25. art. 3. *Apoſtoli*, inquit, *inſtinctu Spiritûs quædam tradiderunt Eccleſiis ſervanda, quæ non reliquerunt in ſcriptis: & inter hujuſmodi traditiones eſt imaginum veneratio.* Quod ait, in Scriptura mandatum non inveniri de adorandis imaginibus, id ad cauſæ meæ confirmationem aſſumo: quòd ſomniat de Apoſtolica traditione, id Pontificiis probandum relinquo. Alphonſus de Caſtro excuſat Epiphanium & Serenum Epiſcopum Maſſiliæ, quòd imagines oppugnaverint eâ ratione, quòd iis temporibus imaginum cultus nondum erat ab Eccleſia determinatus. Si verbo Dei niteretur hic cultus, nulla fuiſſet hæc excuſatio. Patet igitur ex Alphonſi ſententia, cultum imaginum neque unquam divino præcepto fuiſſe conſtitutum; neque priſcis illis temporibus, vel ipſius Romanæ Eccleſiæ autoritate, fuiſſe comprobatum. Accedat ultimò Concilii Nicæni confeſſio, art. 6. *Servantur à nobis multa ſine Scriptura; exempli cauſâ, imaginum veneratio.* Quæ verba Concilii ab ipſo Bellarmino afferuntur in controverſia de traditionibus. Hactenus adorationem imaginum non niti verbo Dei demonſtratum eſt; jam repugnare mandato Dei hunc cultum imaginum oſtendemus. Deut. 4. 15, 16, &c. *Non animadvertiſtis ullam ſimilitudinem quo die eſt allocutus vos Jehovah è medio ignis: Nè faciatis itaque vobis ſimilitudinem ullius ſimulachri.* Et Eſaiæ 40. 18. *Cui aſſimilabis Deum fortem, & quam ſimilitudinem comparabitis ei?* id eſt, Non debetis, non poteſtis ullâ imagine Deum immenſum repræſentare. At Pontificii in promptu habent quod reſpondeant Prophetæ; Deum ſcilicet Patrem aſſimilabimus ſeni longævo, Filium agno, Spiritum columbæ; & eoſdem hiſce figuris depictos colemus, adorabimus. At audiant quod habetur Deut. 5. 8, 9. *Nè facias tibi ſculptile, ullam imaginem eorum quæ ſunt in cœlis, &c. Nè incurves te illis, neque colas ea.* Atque hic obſervatione dignum eſt, non fuiſſe ſancitum, nè in ipſa quidem Nicæna Synodo (quæ imaginibus nimis dedita fuit) latriam ullis imaginibus eſſe exhibendam. Imò è contrà

Argum. 1.

Lib. 8. Cont. hær. In verbo Imago.

Nicæn. 2.

trà clarè docent, *Neminem Christianorum imagini latriam exhibere, quia hoc est gentilium fabulamentum, Dæmoniumque inventio.* Synod. Nic. 2. Actione 6. Trinitatis igitur imagines ad actum adorationis populo propositus, quas Romana Ecclesia probat, Synodus Nicæna explosit.

Argum. 2. *Aquin. 2. 2. quæst. 93. art. 2.*

Secundum argumentum ducetur à fine religiosæ adorationis, cui imagines istæ prorsus repugnant: omnis autem cultus fini suo non proportionatus, superfluus est. Finis autem religiosi cultus est, ut Deo gloria ascribatur qualis maxima, ut ejus infinita potentia agnoscatur. Jam verò imagines istæ, quantum in illis est, extenuant gloriam divinam ratione falsæ repræsentationis. Nam cùm invisibilis simulachro visibili, spiritus stipiti, infinitus exiguo lapidis vel ligni frusto assimilatur, *divina Majestas in simulachrorum soliditate facilè contemnitur,* Aug. de Civ. Dei, lib. 4. cap. 31. Unde illud Jeremiæ, cap. 10. vers. 8. *Ligni eruditionem esse doctrinam vanitatis*; & Prophetæ Abac. cap. 2. vers. 18. *Fusiles imagines esse doctores mendaciorum.* Ratione etiam ipsius artificis, & efficientis. Quantum enim dedecus Deo inuritur, cùm homunculis conceditur, ut pro suo arbitrio jubeant hanc imaginem Dei Patris personam repræsentare, illam Filii, alteram Spiritus sancti; atque ut latriâ deinde adorentur, nullo alio respectu, quàm quòd visum sit mortalibus, Immortalis nomen & repræsentationem illis ascribere! Unde illud Prudentii, *Forceps Myronis, Polycleti malleus, natura vestrùm est atque origo cælitum.* Hanc vesaniam exagitat Esaias, cap. 44. Ipsi etiam Poëtæ hoc nomine deos suos irrident, quòd penes artificem fuit, pro diis colerentur necne. Satyricus hanc ob causam horrorum custodem subsannat hisce versiculis,

Horat. lib. 1. Serm. Sat. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cùm faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum———

Idem verè dici potest de hisce Pontificiorum imaginibus. Senis enim imago, quæ colitur pro Deo, si ità visum fuisset pictori, si is maluisset, non Deum, sed Nestorem, vel quemvis senectionem adumbrasset. Rectè igitur Augustinus, *Opera hominum non sunt colenda: meliores sunt artifices.* Et Lactantius, *Quicquid simulatur, id falsum est: non religio in simulachris, sed mimus religionis est,* Inst. lib. 2. cap. 19.

Argum. 3.

Ultimum argumentum ducetur à ratione formali religiosæ adorationis, quæ non potest competere imaginibus, sive considerentur per se, sive in actu repræsentandi. Adoratio enim latriæ (ut antea demonstratum est) indè oritur, quòd apprehendimus aliquem ut ipsum principium creationis & beatificationis nostræ: sed ut largiamur Pontificiis quantùm ipsi volunt, nunquam tamen obtinebunt, Imaginem posse apprehendi ut principium beatificationis, sed ut repræsentativum hujus principii,

id que non ex præcepto ordinationis divinæ, ſed ex errore ſuperſtitionis humanæ. Nam verum eſt illud Mirandulani, *Nulla res creata de genere relationis terminabit adorationem latriæ*, In 900 concluſionibus, & in Apol. pag. 155. Cùm itaque religioſus cultus conveniat Deo ſolummodo ut honoratur in ſe, non autem ut colitur in imagine per participationem; efficitur, adorationem religioſam non deberi imaginibus, ſive à nobis conſiderentur in natura ſua, ſive in ipſo opere actualis repræſentationis.

Non opus eſt ut plura congeram argumenta; videamus paulliſper quo artificio Pontificii ſoleant tela hæc noſtra declinare & depellere. Illud ab omnibus imprimis jactatur, Imagines conſiderari poſſe, vel quatenus habent materiam vilem, ex lapide & ligno; formam artificialem, ex ſtatuarii vel pictoris artificio; vel denique, quatenus in animo cultoris faciunt actualem ipſius exemplaris repræſentationem. Fatentur non eſſe adorandas Dei vel Chriſti imagines, neque ratione materiæ, neque ratione formæ, ſed tantummodo ratione hujus actualis repræſentationis. At nil dici potuit vitioſius: Ipſiſſima enim Paganorum hæc defenſio eſt, apud Lactan. Idololatræ dicunt ſe non ipſas imagines timere, ſed eos quorum nominibus conſecratæ ſunt. Si enim liceat ſenis, columbæ, agni, vel hominis picturam adorare latriâ, quatenus repræſentat Deum vel Chriſtum animis noſtris; eodem jure licebit ſenem, agnum, columbam viventem adorare: nam habent parem, imò vivaciorem repræſentandi actum. De homine, concedit Aquinas id fieri poſſe, niſi ob hanc cauſam, quòd per ſe capax ſit honoris, & proinde periculum ſit, nè ille cultus homini ſuâ cauſâ delatus videretur. At hoc in agno & columba locum non habet: fatetur itaque Cajetanus, Siquis haſce creaturas veneraretur in quantum habent Dei ſimilitudinem, is latriæ cultum ipſi Deo exhiberet, non creaturæ. Cur igitur Romanenſes Deum non potiùs adorant in ipſis creaturis, quàm in depicta earum ſimilitudine? Nil aliud reſpondet Cajetanus, quàm, Non exerceri hujuſmodi cultum propter annexam occaſionem erroris. Videtis in quas anguſtias ſe conjiciant, qui, ut poſſint ſuperſtitioſam imaginum adorationem tueri, coguntur Ethnicum creaturarum cultum approbare. Bellarminus exemplo illuſtrat ſupradictam diſtinctionem; *Qui*, inquit, *adorat Regem veſtitum, adorat Regem ſimul & veſtes; cùm enim adoratur aliquis, adorantur per accidens omnia illi adjuncta. Cùm itaque per actum repræſentandi conjunguntur imago & exemplar, non adoramus imaginem propriè & per ſe, ſed ipſum Deum repræſentatum & quaſi veſtitum imagine.* Multa peccat in hoc exemplo Jeſuita; in eo autem turpiſſimè labitur, Quòd, cùm aliquis Regem veſtitum adoret, cultus, qui à Rege ipſo cauſam & initium ſumpſit, quaſi per reflexionem videtur devenire poſtea ad veſtes: at cùm Deum imagine repræſentatum aliquis adoret, è converſo

Inſtit. 2. 2.

De Imag. cult. 2. 20.

cultus initium ſumit ab imagine, & quaſi actu reflexo pervenit ad Deum. Id enim ipſi fatentur, cùm dicunt imagines eſſe idiotarum libros, & eos per ſenſibilem imaginem tendere ad Deum inſenſibilem. Motûs itaque initium eſt ab imagine ad Deum, non à Deo ad imaginem, quod Bellarmini exemplum præ ſe fert. Secundò, quod pro conceſſo ſumit, falſum eſt & ridiculum: Qui enim Regem veſtitum adorat, non magis Regem & veſtes colit, quàm qui Regem febricitantem aut leproſum, febrim vel lepram colere dicatur. Arctior enim eſt conjunctio morbi cum corpore, quàm veſtimenti. Ultimò, quod aſſerit de conjunctione imaginis & exemplaris, ſive *jus* ſpectemus, ſive *factum*, utrinque vacillat hæc conjunctio. De *jure* perſpicuum eſt, quia in ipſo actu colendi ea conjunguntur quæ Deus præſcripſit diſjungenda: Deus enim recuſat vel in imagine, vel cum imagine adorari; *Nulla imago ejus coli debet, niſi quæ hoc eſt quod ipſe*, Aug. Ep. 119. De *facto* etiam planum eſt; nam cùm ad Dei vel Chriſti imaginem longas preces demurmurant, non ſemper actu conjungunt cum imagine ipſum Deum aut Chriſtum. Ubi igitur actualis conjunctio, cùm imago adoratur, de Deo nè cogitatur quidem? Unde Auguſtinus, *Quis adorat vel orat intuens ſimulachrum, qui non ſic afficitur, ut ab eo ſe exaudiri putet?* In Pſalm. 113. Hanc difficultatem Bellarminus non attigit; at Cajetanus ingenuè fatetur eos *mente evagatâ* (ut illius verbis utar) *ſæpe colere imagines, & non actualiter conjungere exemplar cum imagine.* Sed hanc manifeſtam idololatriam obſcuriſſimæ diſtinctionis velo conatur obtegere. *Refertur*, inquit ille, *cultus ad Deum, quamvis non continuatione actualis cogitationis, virtute tamen primæ intentionis.* Nil tam ab omni ſenſu alienum eſt, quod non poſſit iſtâ diſtinctione defendi. Sumatur enim nobis aliquem eo animo templum ingredi ut vigilet & audiat, interim tamen obdormire; Cajetanus mirificâ hâc diſtinctione probabit illum jam tum vigilare cùm dormit. Dormit quidem ſimpliciter & actualiter: ſed vigilat tamen adhuc virtute primæ intentionis. Sed vereor nè ineptum videatur, haſce ineptias perſequi diutius: concludo primam hanc propoſitionem veriſſimo Eraſmi dicto, *Multò facilius omnem imaginum cultum poſſe removeri, quàm modum & rationem hujuſce cultûs ab ullo homine definiri.* Nè vobis tædio ſim, omitto adorationem crucis, reliquiarum; venio ad religioſum illum cultum quem Sanctis defunctis attribuunt: Sitque hæc ſecunda noſtra propoſitio,

Prop. 2. *Papiſtica Sanctorum invocatio cultum religioſum defert creaturæ; & proinde manifeſtam in ſe continet idololatriam.*

Oratio eſt actus religionis & latriæ: *orando* enim *profitemur nos Deo indigere tanquam autore omnium bonorum*; Aquin. 2. 2. quæſt. 83. art. 3. Atque ut incenſum & ſacrificium Deo ſoli ſub Lege veteri fuit exhibendum, ità etiam interna hæc & Evangelica ſacrificia, quæ ſunt illis Legalibus multò potiora. *Immola*

Deo

Deo ſacrificium laudis.— Invoca me in die tribulationis; & eruam te, & honorificabis me, Pſalm. 50. 14, 15. Et alibi, *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Quibus ex locis manifeſtum eſt, tam orationem, quàm ſacrificia ad Deum ſolum pertinere. Commune Pontificiorum effugium eſt, Invocari aliquem dupliciter: vel enim invocatur ut ipſe *autor gratiæ*, penes quem ſit implere quod petimus; vel ut *interceſſor*, qui poteſt ſcilicet à Deo impetrare quod cupimus. Vacillat utrumque membrum diſtinctionis. Pſal. 141. 2.

Primò, non ſunt invocandi ut interceſſores: Nam is ſolus mediator conſtitutus eſt *interceßionis*, qui fuit mediator *redemptionis*. 1. Joann. 2. 1. *Si quis peccaverit, advocatum apud Patrem habemus Jeſum Chriſtum, ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Cùm itaque nemo Sanctorum propitiatio eſt pro peccatis noſtris, nemo eorum hoc advocati officio fungi poteſt. Ipſe Chriſtus hoc docuit, Joann. 16. 23. In illo die in *nomine meo* petetis, non matris meæ, non Apoſtolorum, non martyrum meorum. Nam *nemo precatur accipere ea quibus indiget, à Deo & creaturis; ſed à Patre & Filio: ſiquidem per Filium dantur ea quæ in dationem veniunt*; Athanaſ. Serm. 4. Sed objiciunt, Licitum eſt viventium orationes in noſtrum commodum requirere; ergò multò magis Sanctorum in cœlis triumphantium. Reſpondeo, Si agnoſcunt prorſus diſſimilem eſſe rationem, cùm preces fratrum poſtulamus, & cùm Sanctos invocamus, non eſt quòd nos urgeant hoc exemplo: ſin defendant ſimilem eſſe, hiſce rationibus convincentur. Primò, cùm rogamus viventes ut velint Deo pro nobis ſupplicare, non id volumus, ut in virtute ſuorum meritorum officium interceſſionis exerceant, ſed ut unà nobiſcum per communem Interceſſorem Jeſum Chriſtum ſuppliciter Deum Patrem adeant. At Sanctis aſcribunt & nomen & officium proprium interceſſionis. Sic Aquinas, 2. 2. quæſt. 83. art. 4. *Oratio offertur Sanctis, ut eorum interpellatione & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum.* Sic Bellarminus, cap. 20. de Sanct. beat. ſcribit, *Sanctos, quamvis jam nec ſibi nec aliis mereantur, tamen ex meritis præcedentibus & ſibi & aliis impetrare quod orant.* Secundò, diſpar ratio eſt, eò quòd mutuæ vivorum preces nituntur promiſſione, præcepto, exemplo. Non autem præcepit nobis Deus, ut illos invocemus; nec Sanctis, ut particulares hominum petitiones ſibi commendarent: Neminem denique legimus in Scripturis, ante Legem, ſub Lege, vel poſt revelatum Evangelium, qui uſus fuerit hâc interceſſione Sanctorum.

Secundò, non ſunt invocandi ut interceſſores, quia incertum eſt nobis, preces noſtras audiant nécne: illi autem commendare debemus orationem noſtram, quem cognoſcimus & poſſe & velle eam Deo præſentare. Ut autem intelligatis hoc incertum eſſe, ut omittam Origenem, Nazianzenum, Auguſtinum, qui id

in dubium vocans, proponam pugnantes hac de re ipſorum Pontificiorum ſententias. Quidam volunt Sanctos preces noſtras ſcire ex Angelorum relatione. Sed hoc conſtare non poteſt, Tum quia fidelium orationes ſolo cordis affectu & internâ mentis agitatione nonnunquam exprimuntur; at Angeli neſciunt cogitationes noſtras, ergò non poſſunt de illis referre ad Sanctos: Tum quia Scripturæ paſſim docent, Angelos eſſe ipſius Dei nuncios & miniſtros; at nunquam innuunt eos eſſe miniſtros & quaſi tabellarios Sanctorum. Alii arbitrantur à Deo revelari illis Sanctis orationes noſtras, quos invocamus, eo ipſo momento quo preces fundimus. Sed hanc ſententiam refellit ipſa conſuetudo invocantium; dicunt enim, *Sancte Petre*, vel, *Sancte Paule, ora pro nobis:* at ſi hanc opinionem ſequerentur, dicendum eſſet, *Sancte Deus, Petro vel Paulo preces meas expone, ut is, poſtquam ex te hauſce cognoverit, poſſit eaſdem denuo tibi commendare.* Ultima ſententia cui Bellarminus ſubſcribit, hæc eſt, *Sanctos jam indè à principio beatitudinis ſuæ in ſpeculo divinitatis omnia quæ ad ſeipſos pertinent videre, & proinde eorum orationes qui eos invocant.* Reſpondeo, primò, Somnium hoc de ſpeculo nè ipſis quidem Scholaſticis valde probari. Aquinas, Quæſt. diſput. quæſt. 20. de ſcient. an. Ch. art. 4. *Cùm dicuntur*, inquit, *res eſſe in Deo, magis aſſimilatur illi modo quo effectus ſunt in cauſa, & concluſiones in principio, quàm modo illi quo formæ ſunt in ſpeculo.* Et art. 5. *Quidam in hoc decepti ſunt, quia æſtimabant modum videndi res in Deo ſimilem modo videndi res in ſpeculo materiali.* Secundò, ſi detur hoc ſpeculum, eſt tamen voluntarium, non naturale; & hujuſmodi, in quo nemo poſſit plura intueri quàm ipſe Deus velit revelare. Ultimò, quòd ait id ſaltem concedi oportere, *Eos videre omnia quæ ad ſe pertinent, & per conſequens invocantium preces*; reſpondeo, Si velit preces viventium pertinere ad Sanctos ordinatione juris divini, ſic falſum eſt: ſin intelligat pertinere ad eos opinione erroris humani, ſic frivolum eſt, nec concludit cauſam.

Bellarmin. de Sanctor. beatitudine, lib. 1. cap. 20.

Hactenus oſtendimus non eſſe invocandos ut *interceſſores*; jam aggredior alterum diſtinctionis membrum, & oſtendo Pontificios invocare Sanctos ut ipſos *datores beneficiorum*. Cùm Petrum invocant, hujuſmodi vocibus utuntur, *Sancte Petre, miſerere mei, aperi mihi aditum cæli.* Sic à reliquis Sanctis, ſine ullis ambagibus, ſanitatem, liberationem è periculis, & omnia ferè beneficia expoſcunt. Reſpondet Bellarminus, *Non de verbis laborandum, ſed de ſenſu: Nil aliud autem volunt, quàm ut ſuâ interceſſione beneficia hæc ab ipſo Deo impetrent.* Quandoquidem igitur ex verbis judicium fieri nolunt, ex ſcriptis ſaltem eorum quid ſentiant judicemus. Biel, qui Miſſæ canonem exponit, lect. 8. ſic ſcribit, *Pater cæleſtis dimidium regni ſui beatiſſimæ virgini conceſſit (quod in Eſther fuit præfiguratum, cui Aſſuerus dimidium regni*

regni ſui promiſit:) *Cùm enim duo ſunt cœleſtis regni bona principalia, juſtitia ſcilicet & miſericordia; ſibi reſervavit juſtitiam, virgini Mariæ conceſſit miſericordiam.* Bernardinus etiam in libro quem inſcribit MARIALE, *Provocare*, inquit, *oportet à tribunali juſtitiæ divinæ, ad tribunal miſericordiæ virginis Mariæ.* Et alibi, *Deus omnem gratiam Mariæ commiſit, quæ illam fideliter diſtribuit: omnes itaque gratiæ ab illa nobis communicantur.* Non moveo ulteriùs hanc camarinam: id unum infero, quicquid dicunt cùm rationibus & Scripturis premantur, receptam tamen eſſe in eorum Eccleſia hanc opinionem, Sanctos non ſolùm pro aliis intercedere, ſed etiam vel ipſos autores eſſe omnium bonorum; vel ſaltem hoc à Deo obtinuiſſe, ut poſſint pro ſuo arbitrio Dei gratiam hominibus diſpenſare. Quorum alterum divinitatem illis aſcribit, alterum Chriſti propriam functionem ad eos transfert. Sed invocationem defunctorum mitto; venio ad alia idololatriæ opera, quæ omnia unicâ hâc propoſitione complectar,

Pontificii, cùm vota, templa, & aras Sanctis concedunt, idololatriam committunt. *Propoſ. 3.*

Expediam omnia breviſſimè. Ad vota quod attinet, eſſe proprium religioſi cultûs actum ex Scripturis liquet. Eſaiæ decimo nono, verſu 21. *Innoteſcet Jehovah Ægyptiis,— & colent eum ſacrificio, & voventes votum Jehovæ pendent.* Ex definitione etiam Aquinatis id patet. *Votum* (inquit ille) *eſt promiſſio Deo facta, quâ ordinamus promiſſa in divinum obſequium: & eſt propriè actus latriæ, ſive religionis.* 2. 2. *queſt.* 88. *artic.* 5. Ex confeſſione denique ipſius Jeſuitæ: *Nomen voti* (inquit) *ſemper in Scriptura accipitur pro promiſſione facta Deo.* *Bellarm. de cultu Sanct. lib.* 3. *cap* 9. Audiamus igitur quid afferant in defenſionem tam craſſæ idololatriæ. Alii dicunt vota quæ Sanctis nuncupantur duas includere promiſſiones: unam quæ fit Sanctis, & illa eſt *materia* voti; alteram quæ fit Deo, & illa eſt *eſſentia* voti. Sed hanc ut ineptam rejicit ipſe Cajetanus. Nam in profeſſione Fratrum prædicatorum vovent obedientiam Prælato ſuo ſub hac formula, *Voveo Deo, beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis, me Prælato meo fore obedientem.* In hoc exemplo materia voti reſpicit Prælatum, eſſentia voti tam Sanctos quàm Deum. Aliam Cajetanus comminiſcitur, ſed aliquantò deteriorem: *Sancti vel conſiderantur ut ſunt creaturæ, & ſic promiſſiones eis factæ non ſunt vota: vel ut ſunt dii participativè, & ſic ſunt vota, quoniam Deo in ipſis fiunt.* *Cajetan. in Aquin. loco allegato.* *Ibid.* At unde didicit, primò, poſſe creaturam conſiderari ut Deum? deinde, ob hanc conſiderationem debere divino cultu honorari? utramque reſponſionem vacillare ſenſit Bellarminus; tertiam itaque excogitat, eámque omnium peſſimam. *Duplex*, inquit, *votum eſt: vel enim vovemus in ſignum gratitudinis erga primum principium, & ſic ſoli Deo competit: vel in ſignum gratitudinis erga interceſſores per quos beneficia à Deo accepimus;* *Bellarm. de cultu Sanctor. lib.* 2. *cap.* 9.

accepimus; & ſic Sanctis vota fieri poſſunt. Sed eo errore labitur Bellarminus, quòd opinatur penes nos eſſe, ut ad Sanctos ea transferamus quæ Deus ſibi ſoli vendicat, modò inferiore quodam reſpectu eadem Sanctis offerantur. Si enim hoc genus diſtinguendi admittamus, videte quò res ſerpat. Quod ille de votis, id ſub lege Moſaica potuit quivis de ſacrificiis prætendere: Sacrificium ſcilicet duplex eſſe: vel enim ſacrificamus in ſignum gratitudinis erga primum principium, & ſic ſoli Jehovæ competit; vel in ſignum gratitudinis erga quemvis fidelem Patriarcham, & ſic licet defuncto Abrahamo ſacrificare. Idem de quovis actu latriæ liceat fingere: ſed caput erroris demonſtrâſſe ſufficiet. Venio denique ad templa & aras. De templis verè Auguſtinus, *Si Angelo faceremus templum, anathematizaremur à veritate Chriſti, & Eccleſia Dei.* De aris etiam idem Auguſtinus, in Evangelium ſecundum Matth. Serm. 6. *Ara eſt quæ teſtatur haberi pro numine, cui erigitur.* Reſpondet Bellarminus, *Ea Sanctis dedicari, ſed non ſub ratione templi aut aræ, ſed ſub ratione monumenti.* Dupliciter peccat hæc reſponſio. Primò, quia non licet ea opera ad inferiorem cultum referre, quæ Deus ſuâ inſtitutione ad cultum latriæ aſtrinxit. Secundò, quia falſum eſt quod ait: nam ſub propria *templi* ratione templa apud eos Sanctis dedicantur. *Domus mea domus orationis vocabitur,* Matth. 21. 13. at hoc ipſo reſpectu Sanctis eriguntur. Non poſſum id apertiùs probare, quàm ex ipſis verbis Bellarmini: *Poteſt* (inquit ille) *erigi baſilica S. Petro, ut qui ingrediuntur, ipſo templi nomine recordentur S. Petri, eúmque in eo loco tanquam patronum colant & deprecentur.* Concludam verbis Auguſtini, *Creatori ſoli debetur ſervitus Religionis, illa quæ uno nomine* latria *Græcè appellatur. Religat igitur nos Religio uni omnipotenti Deo.*

Contra Maximin. Arianor. Epiſcop. lib. 1. pag. 689.

De cultu Sanctor. lib. 3. cap. 4.

Ibid.

Epiſt. 49.

Quæstio XIX.

Rex in regno suo est minor solo Deo.

CUm de Regis autoritate disputatur, si homines quos appellant Laicos, & negotia politica spectemus, concedunt nobis Pontificii Regem quemlibet esse in suo regno supremum gubernatorem: sed si de personis Ecclesiasticis, & Religionis negotio quæratur, id negant obstirmate. Accipimus quod largiuntur, quod dare renuunt extorquebimus: nostramque de tota hac controversia sententiam tribus propositionibus includemus.

Prima erit de Personis Ecclesiasticis, *Episcopi, Presbyteri, omnésque qui Clericorum nomine censentur, tam Regiæ potestati subjiciuntur quam Laici.* Horum itaque respectu Rex habet summam autoritatem. *Thesis 1.*

Id imprimis ex eo liquet, quòd Reges Israelitici pro imperio sacerdotes convocabant, & Imperatores Christiani Episcoporum Concilia indicebant. Hosce conventus illi non indixissent, nisi superiores sacerdotibus extitissent. Quid, quòd Regi incumbit imperare sacerdotibus ut suis fungantur officiis; increpare & punire, si secùs fecerint; imò, si merebuntur, muneribus suis prorsus abdicare? [a] Josias præcipit Helciæ. [b] Joas increpat Joiadam. [c] Solomon deponit Abiatharum. Hanc eandem potestatem Christiani Imperatores exercuerunt. Constantinus Paulum à sede Constantinopolitana dejicit, & in ejus locum substituit Eusebium. Theodosius imperat Demophilo Ariano Episcopo, ut vel fidem catholicam suscipiat, vel sedem Episcopalem relinquat. Ad extremum, nè dubitemus Reges esse sacerdotibus superiores: Si tributum exigunt, Christus & Apostoli docuerunt solvere; Si vocant ad sua tribunalia, idem Christus & Paulus suo exemplo docuerunt sacerdotes se coram illis sistere, juxta illud ad Romanos 13. 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto.* Quis sacerdotes excipit ab hac universalitate?

[a] 2. Reg. 22. 4.
[b] 2. Reg. 12. 9.
[c] 1. Reg. 2. 27.
Socrat. 2. 5.
Ibid. 5. 7.

Si-

Siquis tentat excipere, conatur decipere. Bernard. Ep. 42. ad Archiep. Sanctionem.

Thesis 2. Venio ad secundam thesin, quæ est de causis fidei, & negotiis religionis moderandis & gubernandis, *Ad Regem, tanquam summum Dei vicarium, suprema spectat autoritas stabiliendæ, conservandæ, reformandæ religionis.* Hac itaque etiam in re est minor solo Deo.

Hîc tumultuantur mirum in modum Pontificii, qui Regi id tantùm relinquunt, ut religionem à sacerdotibus constitutam & comprobatam tueatur. Sed confirmamus nostram sententiam, Primò, à jure Gentium: nam apud omnes Gentes, quamvìs administratio solennis erat sacerdotum, autoritas tamen summa sanciendæ, reformandæ, vindicandæ religionis semper erat penes Magistratum. Néve errâsse putemus in hoc Ethnicos Reges, Israelitici & Christiani idem jus sibi vendicarunt. Ipse Deus voluit religionis cæremonias per Mosen Magistratum civilem, non per Aaronem, constitui & fanciri. Mose sublato, hæc cura religionis gubernatoria ad Josuah, non ad sacerdotem devolvitur. Hoc imperante arca removetur, hujus imperio idola evertuntur, ab hoc fœdus religiosum inter Deum & populum renovatur. Constat etiam Davidem, Solomonem, Josiam, Ezechiam, in ordinanda & reformanda religione, in evertenda & extirpanda superstitione, Regiam potestatem exercuisse. De Christianis Imperatoribus siquis dubitat, inspiciat Codicem & Novellas constitutiones; passim occurrent leges ab illis latæ, de fide catholica, de Sacramentis, de Ecclesiis, Episcopis, Synodis, Hæreticis, de toto denique religionis negotio. Neque debent hæc aliena ab illorum officio videri. Nam *In hoc Reges Deo serviunt, in quantum Reges, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quod pertinet ad humanam societatem, verumetiam quod ad divinam religionem;* Augustinus, contra Crescon. lib. 3. cap. 51.

Habemus jus Gentium pro suprema Regis autoritate in negotio religionis: Huic argumento aliud adjungimus, à rei necessitate, vel saltem convenientia petitum. Est enim valde necessarium ut sit aliquis penes quem suprema autoritas sit mandandi ea quæ pertinent ad religionem, prohibendi illa omnia quæ religioni officiunt, & puniendi immorigeros. Evanescet enim externus saltem Dei cultus, succrescent hæreses, blasphemiæ, aliæque violationes sacrosanctæ religionis, nisi sit aliquis armatus gladio, qui improbos terrore possit & coactivâ potestate comprimere. Hoc sacerdotes & Ecclesiastici non possunt: illorum enim est prædicare, hortari, corripere, spiritualibus censuris castigare; sed gladium non portant, & destituuntur illâ supremâ potestate, quæ pœnarum formidine possit improbos in officio continere. Non retinebitur itaque vel externa facies Christianæ

Reipubli-

Reipublicæ, ſi Magiſtratum civilem à ſummo religionis gubernaculo excludamus. Hoc fuſè probat Auguſtinus in libro de correctione Donatiſtarum, cap. 13. Sed nè pateat calumniis hæc ſecunda noſtra propoſitio, de ſuprema Regis gubernatione in cauſa Religionis, eam limitibus quibuſdam circumſcribemus. Primò, non concedimus Regibus poteſtatem infinitam, ut quamlibet religionem poſſint ſubditis præſcribere; ſed poteſtatem à Deo delegatam, & proinde regulis aſtrictam divini juris. Nam ut in cauſis civilibus, quamvis ſint ſuprema poteſtate armati, non poſſunt tamen leges ferre contra æquitatem vel naturam: ſic nec in cauſis Eccleſiaſticis poſſunt aliquid jubere contra verbum & voluntatem Dei. Secundò, ut Reges in civilibus negotiis utuntur conſilio Juriſconſultorum: ſic in religioſis tenentur uti conſilio Theologorum. Tertiò, non ità aſtringuntur Epiſcoporum vel Theologorum ſuorum opinionibus, quin, ſi adverſentur Legi divinæ (cujus oportet Reges ſtudioſiſſimos & peritiſſimos eſſe) teneantur ex officio Regio veram religionem, illis omnibus licèt reclamantibus, tueri, & ſubditis ſuis proponere. Ultimò, fatemur Reges errare poſſe, & abuti hâc ſummâ autoritate, pro ſuperſtitione contra veritatem leges ſtatuendo: ſed cùm id faciunt, *probantur bene credentes, coronantur in veritate perſeverantes, nullo autem modo excuſantur aut ipſi aut illorum impiis edictis obtemperantes*; ut rectè Auguſtinus, de correct. Donatiſt. cap. 6.

Reſtat ultima noſtra propoſitio, quæ eſt de poteſtate quam in Reges vendicat Pontifex Romanus; *Si contingat Regem errare in judicando, & hæreſin loca veræ religionis ſubditis obtrudere, non poteſt tamen Papa illum ſui ſubditum judicare, & de ſuo regno deturbare.* Eſt igitur Rex, quamvis hæreticus, ſolo Deo minor. Id patebit duabus rationibus. *Theſis 3.*

Prima ducitur à defectu judiciariæ autoritatis in Papa: Nam Chriſtus non Petro, non Petri ſucceſſoribus dedit claves regnorum terrenorum: ipſe non exercuit poteſtatem deponendi Reges improbos & infideles, neque exercendum Epiſcopis commiſit. Ex Dei enim inſtituto ſacerdotes (ut antea demonſtratum eſt) Regiæ autoritati ſubjiciuntur: inferior autem in ſuperiorem non habet judicandi poteſtatem. Per octingentos annos Papæ agnoverunt Imperatores pro Dominis ſuis; & ab illis judicati, & à ſede Epiſcopali ſæpe dejecti fuerunt. Sed ſi concedatur, Papam eſſe Rege ſuperiorem, & poſſe de illo judicare; hoc tamen judicium ad cenſuram Eccleſiaſticam tantummodo ſe extenderet, non ad regni ablationem: Nam Papa ut Papa, nè privato quidem homini poteſt ſua bona abjudicare propter hæreſin; multò minùs Regi hæreditarium regnum adimere. *Rat. 1.*

Altera ratio duci poteſt à defectu æquitatis in ipſa cauſa. Si enim ponamus Regem aliquem eſſe hæreticum, & ſuâ autoritate *Rat. 2.*

toritate hæresin quam ipse amplectitur promovere (quod omnes Ariani Imperatores fecerunt:) non tamen indè consequetur, illum jure regni excidisse. Dominium etenim civile non amittitur, nisi amisso eo in quo fundatur: at nec in fide, nec in charitate, nec in religionis veræ professione jus ad regnum consistit; sed in hæreditaria & legitima successione, vel in aliis mediis quibus illud dominium justè acquiritur. *Qui regnare dedit Constantino Christiano, ipse dedit apostatæ Juliano,* inquit Augustinus: Si *ipse* dedit, Papa nec potest nec debet ullo prætextu eripere. Concludamus illo Tertulliani dicto, *Reges in solius Dei potestate sunt; à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes deos & homines.*

Ad Scap.

Quæstio XX.

Eccleſia Anglicana juſtiſſimè obligat ad cæremonias.

UT hoc conſtet, tria declaranda ſunt: Primò, eſſe juſtam autoritatem in Eccleſia quæ obligat: Secundò, eſſe honeſtatem in illis cæremoniis ad quas obligat: Tertiò, eſſe æquitatem in ipſo modo obligationis.

1. Quod ad primum, Eccleſiæ autoritas in ritibus præſcribendis non eget operoſâ probatione. Incumbit enim illi, pro materna cura & poteſtate, providere ut omnia in ſacris cœtibus *decenter & ſecundum ordinem fiant:* 1. Cor. 14. 40. ex altera parte ad filios ſpectat Eccleſiæ, non ſpernere matris juſſa, ſed *obedire* illis & *ſubjacere.* Heb. 13. 17. Hanc poteſtatem publicos ritus inſtituendi omnes Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſemper exercuerunt: unde manavit illa regula Auguſtini, *Prudenti Chriſtiano eo modo agendum eſſe, quo agit Eccleſia ad quam devenerit.* Epiſt. 118. De poteſtate igitur ritus inſtituendi non dubitatur, ſed de natura & qualitate ipſarum cæremoniarum ambigitur.

2. Secundo itaque in loco oſtendendum eſt, cæremonias ab Anglicana Eccleſia inſtitutas, eſſe licitas & honeſtas. Atque hic, nè plebeiis erroribus abripiamur, ſciendum eſt, Cæremonias non eſſe idcirco illicitas, quia ſunt ſignificantes. Oſculum enim ſanctum, de quo fit mentio ad Rom. 16. 16. ſymbolum erat, quo ſignificare volebant fraternam charitatem & unionem omnium Chriſtianorum. Quinetiam doctiſſimus Petrus Martyr tantum abeſt ut abjiciat cæremonias quia ſignificent, ut dicat *eò laudabiliores eſſe, ſi inſtar concionum de aliquo officio nos admoneant.* In 1. Cor. 11. Illud inſuper ſtatuendum eſt, Cæremonias non eſſe eo nomine illicitas, quòd à Papiſtis etiam adhibeantur. Poſſunt enim rationis naturalis lumine non modò Papiſtæ, ſed ipſi Ethnici quandoque de decore qui in ritibus externis requiritur ritè judicare. Ad extremum, illud adjungendum eſt, Non eſſe eo reſpectu nobis illicitas cæremonias, quòd alii illidem ſuperſtitiosè abutuntur.

abutuntur. Nullum enim ritum poſſet Eccleſia diu retinere, ſi protinus abjiciendum eſſet, quicquid in ſuperſtitioſam impietatem ab aliis detorqueatur. Quid igitur illud tandem eſt quod cæremonias impias eſſe & illicitas coarguit? dicam brevi. Si evincatur, illas Dei verbo repugnare: nam rectè Cyprianus, *Epiſt. lib. 1. Ep. 8.* *Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quicquid humano furore inſtituitur, ut diſpoſitio divina violetur.* Vel ſi oſtendatur, illas eſſe inſtitutas in cultum divinum, ità ut pro operibus juſtitiæ & ſanctitatis Deo & hominibus obtrudantur: fruſtra enim Deus colitur mandatis & inventis humanis. Aut ſi qui eas imponunt, aſcribi illis poſtulent ſupernaturalem efficaciam impertiendi gratiam, mala ſpiritualia depellendi, peccata abſtergendi, & quæ ſunt ejus generis. Ultimò, ſi numero & multitudine ſuâ abducant Chriſtianos ab internis exercitiis veræ pietatis, & reducant ad Judaicam ſub cæremoniis ſervitutem. Quamvis enim non ſint contra fidem, ſi tamen nimis excreverint, in hoc graviter peccant, *quòd religionem Chriſtianam, quam Dei miſericordia liberam eſſe voluit, ſervilibus oneribus premunt*; ut olim conqueſtus eſt *Epiſt. 119.* Auguſtinus. Multas ex Pontificiis cæremoniis hiſce omnibus nominibus jure damnamus; at noſtras ſiquis ad has regulas exigat, nihil pravum aut diſtortum in illis reperiet: unde conſequitur, eſſe ſuâ naturâ licitas & honeſtas.

3. Reſtat illud unicum, ut de modo obligationis aliquid dicatur: nam ſi in hoc erret Eccleſia Anglicana, obligat injuſtè, quamvis bonum & juſtum ſit ad quod obligat. Papiſtica Eccleſia requirit, ut ad ſuas conſtitutiones non minùs obligentur ipſæ hominum conſcientiæ, quàm ad legum divinarum obſervationem: *Bellarm.* Quàm temerariam ſententiam non modò noſtri omnes Theologi unanimi conſenſu, ſed quidam etiam ex ſanioribus Pontificiis jampridem exploſerunt. *Gerſon.* Noſtra autem Eccleſia agnoſcit haſce leges ſuas de rebus adiaphoris & cæremonialibus, autore, materiâ, fine, longè diſtare à divinis; & in tanta omnium rerum imparitate non poſſe exurgere æqualem conſcientiæ obligationem. Cùm enim omnis lex obliget ſecundum rectam voluntatem legiſlatoris obligantis; non eſt aut ſupremi Legiſlatoris, aut pii alicujus Prælati voluntas, ut hominum conſcientiæ ex æquo obſtringantur conſtitutionibus Eccleſiæ de rebus ſuâ naturâ adiaphoris, & præceptis Decalogi de rebus abſolutè bonis aut malis. Eatenus igitur conſcientias ad obſervationem cæremoniarum obligatas putat Eccleſia, quatenus ſuprema illa lex charitatis poſtulat. Poſtulat autem illa, nè quid in contemptum Prælatorum, aut ſcandalum aliorum, vel committatur hiſce in rebus, vel omittatur. Contemptu & ſcandalo remotò, ſi quid in hiſce humanis præceptis, ſivè per nimiam feſtinationem, ſive per imprudentiam & oblivionem, ſive denique per conſimilem quamcunque occaſionem fuerit prætermiſſum, legis pœna incurritur,

conſcientiæ

conſcientiæ vulneratio, & lethalis peccati reatus non incurritur. Sic itaque obligat Anglicana Eccleſia ad cæremonias, ut interim agnoſcat non eſſe pares quoad obligationem legibus divinis; id eſt, non eſſe in quolibet caſu ſub reatu peccati adimplendas: imò, licèt res præcepta non fiat, præcipientis tamen intentioni ſatisfit, ſi charitatis lex in illis quæ fiunt non violetur. Concludam verbo; Suis legibus Eccleſia obligat conſcientiam, non præciſè & in omnem eventum ad ipſas res quæ ſunt adiaphoræ; ſed ad non contemnendum voluntatem legiſlatoris, & ad ſcandalum non præbendum; quæ ſunt charitatis neceſſaria officia, & virtute divinæ legis perpetuò obſervanda. Sive igitur *poteſtatem obligantis*, ſive *qualitatem cæremoniarum*, ſive *modum obligationis* ſpectemus, Eccleſia Anglicana juſtiſſimè obligat ad cæremonias.

Quæstio XXI.

Ecclesia Romana est apostatica.

TRia mihi videntur potissimùm explicanda, ut constet de propositæ theseos veritate. Primum, quid per *Ecclesiam Romanam* intelligamus. Alterum, quo sensu eam *apostaticam* appellemus. Tertium & ultimum, in quibus sita hæc ἀποστασία, quam illi impingimus.

1. Quod ad primum, Ecclesia Romana propriè & strictè sumpta, designat illum cœtum Christianorum qui est Romæ: impropriè & largè, illos omnes complectitur, qui huic Ecclesiæ ità adhærent & subsunt, ut ab illa normam doctrinæ, formam regiminis eandem accipiant. Repræsentativè denotat Papam & Prælatos Romanenses, in quibus solis (ut placet Bellarmino) tota autoritas Ecclesiæ formaliter inest; quia ut quilibet Prælatorum gerit personam suæ Ecclesiæ, sic omnes simul sumpti gerunt personam totius Ecclesiæ. Cùm igitur sermonem instituimus de Romana Ecclesia, comprehendimus Prælatos corruptores, & populum corruptum; ità tamen ut hoc crimen voluntariæ defectionis præcipuè intenterut ipsis Ducibus, de quibus vicem populi dolens scripsit Petrarcha in hunc modum, *Signa nostra sequentes prodimur, nostríque ducis auspiciis imus in perniciem; & nisi Christus se vindicet, actum est.* Hæc de primo.

De Conc. 2. 2.

De Eccles. milit. 3. 14.

Ep. sine tit. Epist. 5.

2. Secundo in loco, cùm hanc Ecclesiam Romanam dicimus *apostaticam*, non volumus plenam & ex toto defectionem à professione Christiana, qualem cernimus in illis qui Mahumetem admiserunt; sed discessionem à veritate & puritate Christianæ religionis, qualem in Galatis & Corinthiis quibusdam taxat Apostolus. Nec asperum nimis putandum est hoc verbum ἀποστασίας, quo Paulus eodem sensu utitur, 1. Tim. 4. 1. ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, *Apostatabunt quidem à fide* (ut utar verbo Cypriani:) neque tamen illi Christianissimum abjecerunt, sed hæreses cum fide Christiana miscuerunt. Dicimus itaque Ecclesiam Romanam *apostaticam*, tum quòd Prælati Pontificii doctrinam

Gal. 3. 1.
1. Cor. 15. 12.

Evangelii

Evangelii venenatis ſuis erroribus infecerunt; tum quòd vulgus Pontificiorum, pro cæca quam Paſtoribus præſtant obedientia, eoſdem errores avidè imbiberunt.

Jam accedamus ad caput cauſæ, & tertio in loco hanc Romanenſium ἀποστασίαν quaſi digito omnibus demonſtremus. Illud itaque apoſtaticæ defectionis primarium facinus, quòd Chriſtum ſummum & unicum Doctorem noſtrum è cathedra exturbârunt, & in eadem Pontificem Romanum, utpote infallibilem totius Eccleſiæ Doctorem, collocârunt. In hoc uno errore continentur poteſtate infiniti. Nam Papam, cui fidem ſuam aſtringunt, poſſe errare, ídque ut Papam, non Lutheri aut Calvini, ſed Conſtantienſis Concilii decretum eſt: Unde illa Gerſonis concluſio in libro de exam. doctr. *Determinatio Papæ ut Papæ non obligat ad fidem.* Non dubitamus itaque illam Eccleſiam à Chriſto apoſtaticam dicere, quæ fidem ſuam illi ſubjecit, qui poteſt ſemper, ſolet ſæpe contra Chriſtum venire. 3.

Huic & illud affine, quòd ipſam regulam fidei ſúſque déque habeant, & (quod ſolent rebelles) legem clamitent ſibi eſſe debere ſubjectam. Quid enim aliud agunt, cùm Scripturis canonicis non modò apocryphas, ſed traditiones neſcio quas pro libidine agglutinant? cùm barbaram & vitioſam interpretationem, pro imperio, ipſis fontibus anteponunt? cùm denique ipſas Scripturas, ſine voce, ſine mente exiſtiment, uſque dum acceſſerit interpretatio Eccleſiæ Romanæ, quam animam eſſe volunt Scripturarum? Obtendant quicquid poſſint, hoc eſt planiſſimè defectionem facere à Chriſto & Scripturis, atque hominibus ſe in diſciplinam tradere. *Nullus* enim *ſermo divinus eſt, niſi Dei unius, quo Prophetæ, quo Apoſtoli, quo Chriſtus intonuit*; ut præclarè Tertullianus. *Tertull. de Anim.*

Tertiò, eos arguimus defectionis, quòd non modò cauſantur regulam imperfectam, obſcuram, & ſuis interpretationibus ſubjectam; ſed quòd palàm huic adverſantur in illis etiam quæ ſunt manifeſtæ & indubitatæ veritatis. Hoc faciunt in fidei dogmatibus, in legis præceptis, in Sacramentorum adminiſtratione.

Multa fidei dogmata ab illis corrupta poſſem recenſere, ſed inſtar omnium ſit articulus de juſtificatione peccatoris: In cujus explicatione Paulus præcipuam ſuam operam navavit, originem ejus arceſſens à ſola Dei gratuita miſericordia; formam ſive ſubſtantiam, à remiſſione peccatorum, & obedientia Chriſti per fidem nobis applicata: At iſti juſtificationis initium inter liberi arbitrii actionem & gratiæ divinæ excitationem diviſum volunt; formam ſive ſubſtantiam, partim Chriſti meritis & obedientiæ, partim ſuis meritis & juſtitiæ aſcribunt. Unde jure in illos torqueatur illud Apoſtolicum, *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini.* Gal. 5. 4.

Jam

Jam Legem moralem inſpiciamus. Quid expreſſiùs, quid ſæpius vetitum, quàm nè colatur Deus invisibilis ſub imagine visibili, Deus immortalis ſub ſimilitudine creaturæ mortalis & corruptibilis? *Simulachrum Dei nefas eſt Chriſtiano in templo collocare*, ſcribit Auguſtinus. Sed non obſtante Dei mandato, Patrem ſub imagine ſenis, Filium ſub ſpecie agni, Spiritum ſanctum ſub ſimilitudine columbæ, & adumbrari poſſe & adorari docent. Vix credibile hoc videbitur; ſed Cajetanum, qui optimè novit Eccleſiæ Romanæ praxin & doctrinam, habemus confitentem. Sic igitur ille, *Eccleſia Romanæ uſus admittit haſce Trinitatis imagines; eáq; pinguntur non ſolùm ut oſtendantur, ſed ut adorentur*, in 3. Aquin. quæſt. 25. art. 3. Dignus locus qui inſpiciatur, ut omnes videant quàm miſerè ſudent Pontificii in defendenda Romanæ Eccleſiæ idololatria.

De fid. & ſymb. cap. 7.

In doctrina Sacramentorum quantum defecerint Romanenſes illud unum abunde teſtatur, quòd Euchariſtiam mutilârunt, & loco elementi à Chriſto inſtituti, neſcio quod concomitantiæ ſpectrum Laicis obtulerunt. Quod iſtos feciſſe demiror, cùm recepta ſit in Scholis ſententia, *Elementa, ſive materiam externam, ad ſubſtantiam ſacramenti pertinere*; quam ut ille ſolus potuit inſtituere qui habet claves excellentiæ, ſic ille ſolus eandem mutare, diminuere, tollere poteſt. Si vellem omnia perſequi, in quibus Romana Eccleſia deſcivit à puritate Evangelica, totam penè doctrinam illius oporteret excutere: ſed nè tædio ſim, hiſce contentus, quæ ſatis clarè evincunt illos defectionis reos eſſe, ſic breviter concludam: Romana Eccleſia Papam erroribus obnoxium pro doctore infallibili agnoſcit, ſacram Scripturam non agnoſcit pro regula fidei ſufficienti, dogmata fidei pervertit, Legis mandata abrogat, Sacramentorum inſtitutionem violat; ergò defecit à puritate fidei Chriſtianæ in maximis religionis capitibus, & eo nomine jure dicitur *Eccleſia apoſtatica*.

Quæſtio XXII.

Decretum non tollit libertatem.

Decreti nomine intelligimus actum voluntatis divinæ, quo is ab omni æternitate apud ſe præſtituit, quid velit in tempore exiſtere & evenire, quid non exiſtere & evenire. Sed pro inſtituto præſenti, de decreto Dei diſſeremus quatenus humanas actiones reſpicit. Has igitur univerſas, ſive bonas ſive malas, ſubeſſe dicimus huic æterno decreto voluntatis divinæ, ſed ratione longè diſpari. In bonis Deus non modò decernit quòd fient, ſed decernit ſimul probare cùm fiant, cooperari ut fiant. In malis decrevit permittere eventum, decrevit etiam concurrere cum agente ut motor univerſalis, decrevit denique ipſum eventum ordinare: ſed non decrevit probare malam actionem ſi fiat, multò minùs malitiam aliquam agenti infundere ut fiat. In hanc ſententiam acutè Hugo de Sancto Victore, *Malum eſſe vult Deus, & tamen malum non vult: Vult eſſe malum, quia bonum eſt malum eſſe; non vult ipſum malum, quia bonum non eſt ipſum malum.* Hæc de ipſo Decreto, & diſcrimine Decreti.

De ſacr. fid. lib. 1. cap. 13.

Jam quod attinet ad *libertatem humanam*, putamus hominem quemlibet uti libero arbitrio, quoties præëunte rationis judicio eligit quod ſibi videtur melius, non per coactionem à principio externo, ſed per lubentem inclinationem à principio interno. *Radix* enim *libertatis conſtituta eſt in libero rationis judicio*, inquit Aquinas. Libertas itaque in agendo non tollitur, quamdiu voluntas, ex judicio rationis ſuæ, non cogente cauſâ aliquâ externâ, in objectum ſuum inclinatur.

Quæſt. diſp. de lib. arbit.

Hiſce poſitis, facilè oſtendemus Dei decretum non tollere libertatem humanam. Nam Deus non decrevit ſolùm, aut præſcivit ipſas actiones & eventa, ſed modos actionum & eventorum: quædam enim decrevit eventura Naturaliter, quædam Neceſſariò, quædam Liberè & Contingenter. Non igitur per Dei decretum mihi libertas adimitur; quæ propterea certior

Vide Aquin. quæst. disp. de vol. Dei art. 4.

aderit, quia ille, cujus decretum non frangitur, adfuturam mihi in ipsa actione libertatem decrevit. In hujusmodi itaq; rebus decretum divinum excludit actum vel eventum contrarium decreto, sed consistere potest cum potentia & libertate ad actum contrariũ

Sed illud contrà urgetur, Non solùm decretum aut nudam præscientiam Dei, sed efficacissimam operationem concurrere in bonis actionibus, quæ impellit voluntates piorum ad ea volenda & facienda quæ Deus decrevit. Fatemur ipsum velle & nolle non sic positum in libertate nostra, quin Deus possit inclinationem ipsam voluntatis vertere quoquo illi visum fuerit: sed id semper facit in renatis, non cogendo voluntatem, sed suadendo & suaviter flectendo. *Gratiæ* itaque *divinæ influxus & efficax operatio non tollit sed regit, non evertit sed convertit liberum arbitrium*, Prosper de lib. arb. prope fin. *Sic* enim *Deus movet creaturam, ut sinat eam interim proprios suos motus exercere*, Aug. de civ. 7. 3.

Restat alius scrupulus eximendus, de improborum malis actionibus: nam hi videntur necessariò peccare, quia habent in se principium impellens ad malum, vitium scilicet originale; & destituuntur principio trahente ad bonum, gratiâ scilicet divinâ. Posito itaque divinæ permissionis decreto, non possunt non ruere præcipites in omne malum. Concedimus arbitrium corruptum non posse suis viribus excutere innatam corruptionem; indè tamen non effici quòd libertate careat in malo quolibet perpetrando. Nam *nihil magis subest libero arbitrio, quàm quod ab eo fluit libenter & gaudenter.* Nihil magis voluntarium, quàm id quod in ipso actu maximè placet voluntati. Unde illud Augustini, *Arbitrium liberum usque adeò in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant.* Si adhuc minùs satisfactum sit, accedat & hoc, Quòd improbi non modò peccent deliberatè & lubenter, sed malas actiones exercent, cùm penes eos sit ab iisdem abstinere. Quamvis enim vitiosus habitus peccati inclinet voluntatem semper ad malum; non tamen determinat aut cogit hominem ad hoc vel illud malum hîc & nunc exercendum. Hujus rei indicium manifestum est, quòd homines impurissimi sua scelera aggrediuntur prævià deliberatione, & judicio rationis; quòd temporis opportunitatem præstolantur; quòd denique ad ipsum facinus accincti, temperare tamen possunt, si præsentaneum periculum conspexerint: hæc omnia probant non deesse illis libertatem.

Pariſ. de vit. & pec.

Contra duas ep. Pel. lib. 1. cap. 2.

Remotis jam hisce difficultatibus, facile esset hoc idem multis rationibus confirmare; sed in re perspicua multis opus non erit: tribus itaque verbis rem expediemus.

1. Ipsa rei natura clamat voluntatem liberam esse (quod attinet ad actum suum elicitum:) nam velle est actus immanens: quamvis itaque in bonis principium *ortûs* habeat aliunde, principium tamen *actûs* in se habeat est necesse: Si autem habeat

in ſe, libera ſemper & voluntaria erit illa inclinatio quæ elicitur ab ipſa voluntate: contrarium qui ponit, contradictionem implicat.

2. Atteſtatur conſenſus humani generis: nam omnes mortales utuntur deliberationibus, præmiis, pœnis; quorum ratio & utilitas conſtare non poterit ſublatâ libertate voluntatis. Quorſum enim deliberatio, ſi fatali neceſſitate conſtricta ſit ipſa electio? Quorſum præmia, aut pœnæ, ſi nemo quicquam egit, niſi id quod non agere non potuerit?

3. Suffragatur denique experientia ſingulorum: omnes enim ſentiunt, ſe, non obſtante decreto ac præſcientiâ divinâ, multa feciſſe quæ potuiſſent omittere, multa omiſiſſe quæ potuiſſent facere. Propriæ autem experientiæ reniti, eſt hominis planè inſani. Concludamus itaque, decretum Dei nec in bonis actionibus, nec in malis, nec in adiaphoris, tollere libertatem.

Quæstio XXIII.

Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato.

TRitum eſt inter Pontificios, Sacramenta veteris legis contuliſſe gratiam ex *opere operantis*, hoc eſt, ex fide, devotione, & bono motu utentis: noſtra autem conferre gratiam ex *opere operato*, id eſt, ex ipſa Sacramentali actione, quamvis fides nihil agat, modò obex non ponatur. Sic Paludanus, *Non requiritur in Sacramentis novi Teſtamenti ut homo ſe diſponat, ſed diſpoſitio efficitur ab ipſo Sacramento; & hoc eſt conferre gratiam ex opere operato.* Sic Biel, *Sacramentum dicitur conferre gratiam ex opere operato, quia prater exhibitionem ſigni forinſecus adhibiti, non requiritur bonus motus interior in ſuſcipiente.* Sic ipſe Bellarminus, *Ex opere operato conferre gratiam, eſt illam conferre ex vi ipſius Sacramentalis actionis, ità ut quod activè, proximè, & inſtrumentaliter efficit gratiam, ſit ſola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur, & fides ac bonus motus ſuſcipientis excludatur ab efficientia gratiæ Sacramentalis.* Ubi obiter notate fraudem Jeſuitæ, & fugam quam ante pugnam meditatur: dicere enim debuit, quod reliqui omnes dixerunt, opus operatum excludere actionem fidei tanquam neceſſariam quoad gratiam recipiendam: at ille, leviter immutato vocabulo, dixit, Quoad gratiam efficiendam: quaſi nos contendamus effici gratiam à fide, qui negamus illam à qualibet creatura effici poſſe. Fides *recipit*, non *efficit* gratiam. Fundamentum hujus ſententiæ Pontificiæ de opere operato illud eſt, Quòd opinentur in ipſo externo Sacramento vim ſpiritualem *gratiæ cauſativam* (ut illi loquuntur) inhærere; & proinde ad exhibitionem Sacramenti, ipſo facto gratiam in eo contentam hominibus applicari. Sed hìc inter ipſos non convenit: alii enim docent gratiam eſſe in Sacramento tanquam medicinam in pyxide, id eſt, tanquam locatum in loco, vel accidens in ſubjecto.

Lib. 4. diſt. 1. quæſt. 1.

Lib. 4. diſt. 1. quæſt. 3.

Lib. 2. de Sacr. cap. 1.

Altiſſ. lib. 4. pag. 229.

Aquin ax

Aquinati hoc non placet: ſtatuit igitur gratiam contineri in Sacramentis noſtris, tanquam effectum in cauſa inſtrumentali, ſecundum virtutem quandam fluentem & incompletam, quæ defluit in illa motione ab actione cauſæ principalis: atque ſuam ſententiam hâc collatione conatur illuſtrare, *Quemadmodum dolabra, vel ſecuris, quæ naturali proprietate nihil aliud poteſt quàm ſecare, ab artifice mota accipit novam virtutem, ut poſſet ſecando lectum vel ſcamnum facere: ſic aqua, quæ nihil aliud poteſt per ſe quàm corpus abluere, à Deo mota, & adhibita in uſu Sacramenti, poteſt gratiam efficere, & animam mundare.* Habetis ſententiam adverſariorum; accipite jam brevem ejuſdem refutationem. *Aquin. part. 3. quæſt. 62. art. 3, 4. Et queſt. diſp. de grat. art. 4, 7.*

Quod ad illos attinet, qui gratiam volunt eſſe in Sacramento ut accidens in ſubjecto, à ſuis omnibus jam penè derelicti ſunt, & meritó. Nam quodlibet accidens natum non eſt eſſe in quolibet ſubjecto, ſed determinatum in determinato. Non minùs igitur abſurdum eſt in aqua aut pane Sacramentali ponere gratiam (cùm illa corporalia ſint, hæc res purè ſpiritualis) quàm ſi quis in natura ſpirituali humiditatem poneret aut albedinem. Ut enim ſola corporalis natura capax eſt albedinis aut humoris, ſic ſola ſpiritualis capax eſt gratiæ. Sed accedamus ad illos qui ſibi acutiores videntur, dum neſcio quem defluxum ſomniant virtutis cujuſdam incompletæ à Deo principali agente in Sacramenta tanquam cauſas inſtrumentales, cujus beneficio pertingunt ad ipſam animam, & gratiam in eadem efficiunt ex opere operato. Nos hoc commentum tres ob cauſas repudiamus.

1. Eſt ipſi Deo valde injurioſum: nam qui ſolus potuit creare, is ſolus etiam in eam illabendo poteſt mundare animam. *Mundatio* enim *animæ per gratiam infuſam accedit ad rationem creationis*, ut fatentur ipſi Scholaſtici: In qua non poteſt creatura tale inſtrumentum eſſe quod activè & proximè producat effectum. Hinc illud Cypriani, in libro de Baptiſmo, *Solus Deus rem Sacramenti nobis confert:* Et Hieronymi, in 4. Eſaiæ, *Homo aquam præbet, Deus Spiritum ſanctum.* Non dicit, Aqua à Deo mota infundit Spiritum ſanctum. *Altiſſ. lib. 4. pag. 251.*

2. Hoc figmentum eſt rationi naturali planè contradictorium: utcunque enim dicat ratio, cauſam inſtrumentalem motam à principali poſſe multa efficere quæ per ſe non potuit; tamen ea omnia efficit attingendo materiam, & propriam ſuam actionem circa propoſitam materiam exercendo. Sic dolabra ſcamnum facit, quia materiam attingit, & ſecando poteſt illud effectum produci: ſed aqua Baptiſmi non tangit animam, nec poteſt abluendo gratiam producere. Hoc viderunt ſaniores Scholaſtici, qui in noſtram ſententiam jampridem conceſſerunt. Hugo, de Sacr. lib. 1. part. 9. cap. 3. *Non iſta tribuunt quod per iſta tribuitur; ſed ille per iſta ſalutem præbet, qui in iſtis ſalutem quærere jubet.* Apertiùs Pariſienſis, *Sanctificatio non fit ex aqua, ſed ex ſolo Deo datore,* *De Sacr. pag. 400.*

qui invocatus ad hoc adeſt & aſſiſtit, & operatur intus ad proportionem ejus quod aqua operatur exterius. Totam actionem internam tribuit Deo, aquæ ſolùm externam relinquit. Hiſce annumerare poſſumus (etiam confitente Bellarmino) Scotum, Richardum, Occamum, Marſilium, Durandum, qui, in 4. ſententiarum, hanc noſtram ſententiam *antiquam* vocat, & contrariam Thomæ ac Bellarmini ex profeſſo refellit.

Diſt. 1.

3. Hoc figmentum de gratia ex opere operato collata, fidem ſuo munere ſpoliat, & illis beneficium largitur quibus Deus ſupplicium minitatur. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur: qui verò non crediderit,* non gratiam ex opere operato, ſed *condemnationem recipiet.* Sic de cœna Dominica, ad Cor. 1. 11. *Qui edit & bibit indignè,* non ex opere operato gratiam acquirit, ſed *damnationem ſibi ipſi edit & bibit.* Indignè autem edit, quiſquis fide actuali & excitatâ non accedit ad gratiæ oblatæ receptionem. De adultis loquor, qui non ex opere operato gratiam recipiunt à Sacramentis, ſed per fidem operantem cum Sacramentis oblatam gratiam accipiunt à Deo. Clemens Alexandrinus, *Qui per fidem ſunt participes cœnæ Dominicæ, ſanctificantur corpore & animo.* Et Auguſtinus, de Baptiſmo, aſſerit, *Non poſſe illum cœleſte donum conſequi, qui ſe per aquam non per fidem immutari credit.* Et in Pſalm. 10. *Gratia Dei ad eos perveniet, qui cum fide accipiunt Sacramentum.* Concludamus igitur, Sacramenta non eſſe nuda ſigna, ſed gratiæ exhibitiva; ità tamen ut hæc gratia in animis humanis efficiatur non ex opere operato Sacramentorum, ſed ex ordinatione & operatione ſolius Dei, qui in legitimo Sacramentorum uſu id ſemper præſtat quod promiſit.

Mar. 16. 16.

Quæstio XXIIII.

In eſſentia divina nec aliud nec accidens.

CUm immenſæ Majeſtatis profundum nulla queat creatura penetrare, tutius ſemper viſum eſt ſapientibus, quid Deus non ſit *negando* ſubindicare, quàm quid ſit *aſſerendo* definire. Hinc Theologi ex fundatiſſimis naturæ & Scripturæ principiis demonſtrârunt divinam eſſentiam eſſe omni modo incompoſitam, cui nihil ſive ſubſtantiale ſive accidentale aut admiſceri poteſt, aut ſupervenire, quod ſit ab ipſa Deitate diverſum. Supervacaneum eſſet excutere omnes qui à Philoſophis recenſentur compoſitionis modos, eóſque ſigillatim à Deo removere: confertim itaque pugnabimus, & communibus quibuſdam argumentis oſtendemus in divina natura neque *eſſentialem* neque *accidentalem* diverſitatem reperiri.

Primò, omnem compoſitionem rerum eſſentialium infinita Dei natura reſpicit, quia non poteſt quod eſt infinitum ad eſſentiam ſuam conſtituendam aliquid finitum admittere. At ſi in Deo vel duas ſolummodo res eſſentialiter diverſas poſueris, aut utrumque, aut eorum alterum, de neceſſitate erit finitum: nam duo infinita ſecundum eſſentiam diverſa coëxiſtere, ex iis eſt quæ nullo modo aut fieri aut cogitari poſſunt. Bene Origenes, *Deus eſt natura ſimplex nihil omnino in ſe admiſtionis habens, ſed ex omni parte μονάς.* *De Princ. lib. 1. cap. 1.*

Secundò, non patietur æternitas Dei divinam naturam compoſitam eſſe ex diverſis. Verum eſt enim illud Dei de ſe elogium, *Ante me non eſt alius Deus, & poſt me non erit.* Sed omne compoſitum eſt naturâ poſterius illis ex quibus componitur, atque etiam autore compoſitionis: nam quæ diverſa ſunt, in unum non coaleſcunt, niſi virtute agentis alicujus conjungantur. Qui igitur Deum compoſitum introducit, is cauſam compoſitionis Deo ipſo antiquiorem agnoſcat eſt neceſſe. Nullum enim compoſitum poteſt eſſe in natura primum. Eſaiæ 43. 10.

Tertiò, reclamat perfectio divinæ bonitatis: nam in Deo nefas

eſt

eſt vel cogitare aliquid quod non habeat in ſe & à ſe omnes numeros bonitatis. Sed cùm aliud & aliud in unum ſuppoſitum coaleſcunt, ipſa conjunctio arguet utrumque in ſe fuiſſe quiddam imperfectum, atque illam quam habent perfectionem ex unione eorum ad invicem ſuboriri. At in Deo nihil incompletum: nihil igitur ab alio diverſum. Sic olim Tertullianus, *Non habet in ſe diverſitatem Deus; totus æqualis eſt.* *De Trinit.*

Excluſimus à divina eſſentia aliud & aliud quoad *ſubſtantiam*; agè, jam probemus inſuper, huic eſſentiæ neque innata *accidentia* inhærere, neque *extranea* ullo modo poſſe ſupervenire.

Nullum accidens Deo inhæret, quia eſt actus purus & forma ſimplex, non concretus ex eſſe & eſſentia, vel ſuppoſito & natura: hujuſmodi enim compoſitio creaturæ propria eſt, & à Creatore Jehova alieniſſima. Jam verò pura eſſentia, ſive forma ſimplex, nihil extraneum poteſt ſuſcipere. Nam utcunque ipſe homo poteſt eſſe ſubjectum albedinis, caloris, aliorúmque accidentium; tamen ipſa humanitas, vel humana eſſentia, ſi per modum formæ ſimplicis ſubſiſteret, neque alba eſſe poſſet, neque calida; nihil denique admitteret, quod eſt aliud aut diverſum ab ipſa ratione humanitatis. Unde Cyrillus Alexandrinus, Dial. de Trinit. lib. 2. non longè ab initio, *Simul intelligitur Deus & cum ipſo omnia quæ ejus ſunt cum eo, nullúmque accidens intelligitur in eo.*

Sed nec advenire poteſt divinæ naturæ mutatio aliqua accidentalis. *Quod mutat, fortius eſt eo quod patitur mutationem: Deo autem nihil fortius. Deus igitur quod eſt id ſemper eſt, & qualis eſt ſemper talis eſt.* Ad hæc, quod ſuſcipit mutationem, fuit in potentia ad acquirendam novam diſpoſitionem, quâ priùs caruit: ſed nefas eſt paſſivam potentiam Deo aſcribere. *Ego Dominus & non mutor*, Malach. 3. 6. *Apud Deum non eſt tranſmutatio, aut vicißitudinis obumbratio*, Jacobi 1. 17. Quæro enim quis poſſit eſſe effectus vel terminus hujus mutationis. Si Deus poſt hanc mutationem idem per omnia manſerit, nulla facta eſt mutatio: Si melior evaſerit, non fuit antea Deus, quia non optimus: Si deterior, non manet jam Deus, quia nec optimus. *Tertull. de Trin.*

Habetis confirmationem ſententiæ noſtræ: ſed hanc, quam adſtruximus, ſimplicitatem divinæ naturæ, multa videntur labefactare & evertere.

Primum eſt illa Perſonarum & relationum differentia, quam omnes in beata Trinitate agnoſcunt: unde videtur inferri poſſe, quamlibet Perſonam includere in ſe aliud & aliud, communicabilem ſcilicet naturam Deitatis, & incommunicabilem Perſonæ ſubſiſtentiam. Reſpondent Theologi, has relationes ad originem pertinentes, non deſignare aliud ab eſſentia, quod faciat in ea aliquam compoſitionem; ſed denotare alium atque alium modum habendi eandem eſſentiam, quod conſtituit inter ipſas

Perſonas

Perſonas diſtinctionem. Nam ipſi Philoſophi hoc nobis concedent, Relationes nullam facere compoſitionem cum ſuis fundamentis, neque ponere aliquid aliud in re, quam denominant, ſed ordinem ſolummodo & habitudinem ad terminum oppoſitum quem reſpiciunt.

Alterum quod nobis adverſari videtur, eſt multiplicitas attributorum divinorum: cùm enim Deum pronunciamus fortem, juſtum, miſericordem, ſapientem; quis non animo concipiat res diverſas hiſce vocabulis deſignari? quis non concludat, accidentia quædam vel adjuncta de Deo, quaſi de ſuo ſubjecto, prædicari? Sed non oportet æſtimare Majeſtatem divinam vel ex inopia ſermonis, vel imbecillitate intellectûs humani. Non poſſumus aut uno conceptu, aut uno verbo, infinitam Dei perfectionem exprimere: ſcrutamur itaque creaturas, & quicquid in illis eximium & egregium invenimus, Deo tribuimus. Sed meminiſſe interim oportet, varia hæc vocabula ſub diverſis rationibus deſignare rem unitiſſimè unam, eſſentiam ſcilicet divinam, quæ omnes omnium creaturarum perfectiones in ſe comprehendit, ſuperátque gradibus infinitis. Conveniunt igitur hæc attributa Deo, quantum ad rem ſignificatam, quam Deus in ſua eſſentia habet eminenter: ſed non competunt Deo quantum ad ipſum modum ſignificandi; non enim ſunt in Deo differenter aut accidentaliter. Præclarè Auguſtinus, *Deo hoc eſt eſſe, quod eſt fortem eſſe, aut juſtum eſſe, aut ſapientem eſſe, & ſi quid de illa ſimplici multiplicitate, vel multiplici ſimplicitate dixeris, quo ſubſtantia ejus ſignificetur.* De Trin. 6. cap. 4. pag. 329.

Ultimum quod noſtram defenſionem oppugnat, atque Deo accidentalem mutationem impingit, eſt illa varietas cui Deus ſubjici videtur in volendo, operando, intelligendo. Verbi cauſâ, modò vult homines naſci, & in vita manere; modò eoſdem denaſci vult, & è vita exire: en actum voluntatis in Deo mutabilem! Reſpondeo, rem ipſam mutari, Dei voluntatem non mutari; quia ab æterno voluit, ut creaturæ præſtituto tempore omnes haſce vices ſubirent. Sed videtur Deus mutari ſaltem accidentaliter, quando exit de otio in actum, & de non operante fit operans; ut cùm hanc animam ſingularem creat, quam antea non creavit. Verum quidem hoc eſſet, ſi Deus ageret per motum, aut per vim aliquam quæ intercederet inter ipſum & rem factam: ſed quia agit per eſſentiam ſuam uno & eodem modo ſemper ſe habentem, dicitur quidem nunc facere quod antea non faciebat, quia res nunc incipit eſſe id quod antea non fuit; in quo magna conſpicitur mutatio, ſed in Agente nulla. Sic Proſper in Sententiis, *Non eſt fas credere aliter affici Deum cùm vacat, aliter cùm operatur; quia nec affici dicendus eſt: novit enim & quieſcens agere, & agens quieſcere.* Quod igitur in operibus prius aut poſterius dicitur, non ad *Facientem* ſed ad *facta* referendum eſt. Denique, in actu intelligendi objicitur

Deum esse mutabilem: nam ab omni æternitate intellexit se mundum conditurum, jam intelligit se condidisse; atque hujus generis infinita exempla afferri possent, in quibus, pro varietate & mutabilitate rerum, variatur in mente ipsa forma & veritas propositionum. Negamus hanc conceptionum varietatem in intellectu divino, quia (ut verè Halensis noster) *Deus scit propositiones, non per modum propositionum, sed per modum rerum; & non per modum quo res sunt in natura propria, sed per modum quo sunt in Causa sua, hoc est, in Seipso.* In Deo autem (asserente Dionysio) *Temporalia sunt intemporaliter, mutabilia immutabiliter, materialia immaterialiter, composita simpliciter, differentia indifferenter, opposita sine oppositione.* Non sunt igitur in Deo particulatæ rerum conceptiones, sed omnes varietatum compugnantias æterna scientia simul cognoscit: Nec cogitatio ejus cum rerum mutabilium inæqualitate mutatur; quia cuncta temporalia sempiterno, stabili, atque unico intuitu comprehendit.

Part. 1. quæst. 23. art. 5.

Vide Hilar. de Trin. 12.

Vide Ambr. de voc. Gent. 2. 10.



Quæstio

Quæstio XXV.

Præscientia divina non erat causa lapsûs humani.

UT de rei veritate meliùs constet, vocabulorum vim uno aut altero verbo explicabimus. Præscientia igitur est actus intelligentiæ divinæ, quo res in tempore futuras Deus ab omni æternitate in seipso intuetur. Atque hæc non *re* sed *respectu* à scientia distinguitur. *Scientiam* enim vocamus, quatenus res omnes percipit; *præscientiam*, quatenus rerum temporalium actum præcurrit, atque ad eas tanquam adhuc futuras refertur. Futuras dico, non quoad modum divinæ intuitionis (ordo enim divinæ cognitionis ad quamcunque rem est tanquam præsentis ad præsens:) sed in comparatione ad res alias, quibus succedent hæc, quæ idcirco futura nominantur. Jam verò, cùm hanc præscientiam Dei negamus fuisse causam lapsûs humani, illud volumus, non exeruisse vim aliquam efficientem & operantem, quæ vel impulerit primos parentes ad peccandum, vel eos ullâ peccandi necessitate constrinxerit.

Id primò demonstrabitur à natura ipsius præscientiæ, quæ spectat ad intellectum, non ad voluntatem: intellectus autem non transmittit vim in alterum foris effecta operando, sed percipit tantummodo ea quæ foris fiunt, intra se agendo. Sic Astrologum peritum posse eclipsim solis præscire omnes concedent; sed præscientiâ hâc suâ efficere, nemo sanus dixerit. Si enim præscientia vim effectivam haberet, cùm ea ab æterno fuerit in mente divina, ab æterno etiam omnia eventa prævisa extitissent. Nam positâ causâ sufficienti, in actu illico effectus subsequetur. Verissimum est itaque illud Augustini, *Sicut nemo suâ memoriâ cogit facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia suâ non cogit facienda quæ futura sunt.* *De Lib. arb. lib. 3. cap. 4.*

Secundò, hoc idem probabitur à natura Dei: nam cùm præscientiam divinam dicimus, nihil aliud designamus quàm ipsum Deum præscium rerum futurarum. Jam verò hunc Deum, qui

est fons bonitatis, imò ipsa bonitas, nihil prohibet scire malum, quia cognitio mali bona est: sed efficere aut causare malum non minùs repugnat summo & puro bono, quàm calori ut frigus, lucri ut tenebras emittat. Inter scientem & efficientem ingens illud discrimen apparet, quòd à solo sciente nunquam procedunt effectus, nisi mediante *voluntate* per modum *inducentis*, & *potentiâ* per modum *exequentis:* sed in efficiente hæc omnia, Scire, velle, posse, connexa & colligata reperiuntur. Lapsûs igitur humani Deus non poterit esse efficiens causa: quia utcunque præscire potuit peccaturum, velle tamen non potuit peccatum. *Tu Deus es non volens iniquitatem:* multò minùs volens efficere; cùm peccatum non sit effectus potentiæ divinæ, sed defectus aberrantis creaturæ. Ausim igitur cum Basilio intrepidè affirmare, *Si malorum causa est, non est bonus: si non est bonus, non est Deus;* Homiliâ, *Quòd Deus non est autor peccati.*

Psal. 5. 5.

Tertiò, id evinci potest ex apertissimo testimonio sacræ Scripturæ, quæ sic narrat historiam lapsûs humani, ut Deum in ejus criminis societatem aut suspicionem doceat nullo modo vocari oportere. A Deo enim accepit Adamus idonea ad peccatum vitandum auxilia: nam præmonitus fuit, nè ignorantiam prætexeret; gratiâ supernaturali instructus, nè impotentiam obtenderet. Unde igitur causa lapsûs? Si *externam* quærimus; Adamus mulieris hortationem, mulier serpentis dolum, neuter Dei præscientiam aut impulsionem causabitur. Si *internam*, arcessenda est à liberrima peccantium voluntate, quæ, cùm potuit in bono perseverare, elegit in malum proruere. Hinc ipse Christus diabolum hujus homicidii reum arguit, Joann. 8. 44. *Ille fuit homicida à principio:* At Paulus ipsum Adamum, ad Rom. 5. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:* Uterque verissimè; diabolus enim perdidit humanum genus impiè consulendo, Adamus liberè obediendo. *Non* igitur *libertas arbitrii Deo culpam suam regerat à quo data est, sed sibi imputet à quo non ut debuit administrata est;* ut æquissimè Tertullianus, lib. 2. adversùs Marcionem.

Ultimò, Deum non fuisse causam lapsûs humani, ex sententia in primos parentes lata & pœna illis inflicta ostenditur. Quo enim jure ultor fieret Deus puniendo ejusdem rei cujus autor fuerat prævidendo? Illud enim si concedatur, præscientiam fuisse peccati causam, tam impossibile fuit peccatum vitâsse, quàm præscientiam divinam inhibuisse. Causâ siquidem infinitæ potentiæ ad quemlibet effectum producendum operante, nulla esse potest penes creaturam facultas resistendi: ac si esset, vitio non careret, impulsum Creatoris sui repulisse. Qui igitur sententiæ in Adamum latæ æquitatem defendit, præscientiæ divinæ humanum lapsum nè tribuat. *Justitia* enim *justa non erit, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur.* Longiore confirmatione

Fulgent. ad Mon. l. 22.

tione non eget causa tam perspicua; paucula ex iis quæ in contrariam partem afferri solent diluemus.

Argutantur nonnulli, Divinam præscientiam falli non posse, sed necessariò eventurum quicquid Deus præviderit: Quo posito, causam lapsûs in Deum rejiciunt, qui præsciendo necessitatem imposuit; Adamum penè excusatum habent, qui labendo inevitabili necessitati cessit. *Object.* 1.

Sed quorsum argutias contra Deum? Quasi ille nuda eventa, ac non etiam modos eventorum præsciret. Omnia prævidet ex æquo, sed inter hæc, quædam videt eventura Necessariò, quædam Liberè, quædam Contingenter. Vidit Adamum peccaturum, sed *liberè*; non igitur vi præscientiæ peccavit *necessariò*. Quod itaque dicunt, *falli non posse divinam præscientiam*, verum est: sed pendet hæc infallibilitas, non ex necessaria conditione eventorum, sed ex necessario modo cognitionis divinæ. Ea siquidem cognitio quæ à rebus accipitur (qualis nostra est) sequitur conditiones rerum, sive in necessitate, sive in sua contingentia: quæ verò non à rebus accepta est, sed à Causa æterna & immutabili, illa erit necessaria & certissima, etiamsi res huic subjectæ fluxæ sint & incertæ. Talis autem est divina scientia: nam à Seipso & in Seipso Deus ab æterno omnia cognoscit, non à rebus, sive præsentibus sive futuris, scientiam suam abstrahit. *Solutio.*

Illud etiam obtendi potest, Ipsas Scripturas præscientiam Propheticam prævisi atque prædicti peccati causam agnoscere: *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, &c.* Si non potuerunt credere Judæi, quia Propheta prædixit eos excæcandos; tum non potuit non peccare Adamus, quia Deus prævidit eum peccaturum. *Object.* 2. Joann. 12. 37, 40.

Sed vera responsio est, In hujusmodi loquendi formulis, particulam causalem non causam *rei*, sed *notitiæ* indicare. Prophetica igitur prædictio, causa probationis esse potest, unde certitudo eventûs necessariò concludatur; sed causa efficiens esse non potest, unde ipse eventus necessariò oriatur. Atque hoc illud est quod Damascenus scribit, Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 20. *Solet Scriptura nonnunquam αἰτιολογικῶς ea proferre, quæ intelligenda sunt ἐκβατικῶς.* *Solutio.*

Affertur denique & hoc, Quòd Deus non præviderit solummodo lapsum humanum, sed decreverit ab omni æternitate hunc lapsum permittere. Jam verò illud certissimum est, nullum decretum *permittens* dari posse, cui non adhæreat decretum *efficax*: Cujus rei causa in promptu est; quia scilicet nihil mali permittitur, nisi ut aliquid boni indè eliciatur: illud autem bonum ad decretum Dei efficax referendum est. *Object.* 3.

Non negamus decretum permissionis præcessisse lapsum: sed illud tamen arctè tenemus, Adami peccatum non ab hoc decreto, sed secundum hoc decretum postea evenisse. Sola siquidem permissio *Solutio.*

permissio nunquam causa est rei permissæ, cùm permittentis voluntas hoc tantùm intra se statuat & agat, ut non impediat alterius actionem, minimè verò ut operando vel efficiendo eandem promoveat. Sed dictum est, permittenti decreto aliud efficax semper adesse: nunquid hujus efficacia non impulit Adamum ad peccandum? Minimè quidem: nam horum diversa prorsus ratio est. Permittens sinit creaturam voluntario suo defectu in malum à Deo prævisum ruere: Efficax statuit, non illud malum efficere, sed dirigendo atque ordinando ex illo malo bonum elicere. Concludam igitur & hanc posteriorem thesin Hieronymi verbis, Dial. 3. adversus Pelagianos, *Non ideo peccavit Adamus, quia Deus hoc futurum noverat: sed præscivit Deus quasi Deus, quod ille erat propriâ voluntate facturus.*

Quæstio

Quæstio XXVI.

Subjectum divinæ prædestinationis est homo lapsus.

Prædestinationis vocabulum Scholastici ad electos solent restringere, sed in hac quæstione ad reprobatos etiam pertinet. Est enim æternum Dei decretum gratuitò eligentis quosdam ad finem æternæ beatitudinis, & per media infallibilia ad eundem deducentis: alios autem è contrà liberè prætereuntis, atque ad æternum supplicium justè destinantis. Sic Patres loquuntur in Concilio Valentino; *Confitemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Sic etiam [a] Augustinus, [b] Fulgentius, [c] Prosper, Prædestinationis vocabulum sub hac latiori significatione usurpârunt. Jam verò *Subjectum prædestinationis* vocamus, Personas illas in quas tendit æterna Dei actio, sive eligentis ad gloriam, sive relinquentis ad miseriam. Postremò, cùm *hominem lapsum* ponimus hujus prædestinationis subjectum; non actu lapsum intelligimus, sed in conspectu sive prævisione Dei. Hoc igitur illud est quod asserimus, Deo prædestinanti homines oblatos & objectos fuisse ut priùs lapsos, & suo vitio in statum miseriæ demersos; ità ut hic status corruptionis sit prævisa conditio subjecti, in quolibet homine vel per beneplacitum electionis liberando, vel per decretum reprobationis derelinquendo. Sed hîc illud imprimis præstruendum est, Nos in divino intellectu ac voluntate haud statuere realem antecessionem & consecutionem visorum aut decretorum; in Deo enim omnia sunt simul visa & decreta ab æterno: sed secundum nostrum intelligendi modum, prout res ex se invicem ordine quodam dependent, ità etiam divinis intellectionibus ac decretis prius aut posterius solemus attribuere. Utcunque igitur in ipso Deo permissio lapsûs nec prior nec posterior sit prædestinatione (utrumque enim ab æterno:) si tamen ipsas res pro nostro intelligendi modo, aut affectione ipsarum ad se invicem perpendamus, prædestinationem ità ad lapsum affectam deprehendemus, ut nemo possit intelligi *prædestinatus*, nisi *lapsus* suppo-

Conc. T. 3. cap. 3. pag. 476.

[a] *Tract. 48. in Joann.*
[b] *Lib. 1. ad Mon.*
[c] *Resp. 14, 15. ad cap. Gall.*

Vide Ambr. de voc. Gent. lib. 2. cap. 10. Et Hilar. de Trin. lib. 12. pag. 192.

ſupponatur: quod argumentis paucis reſtat demonſtrandum.

Argum. 1. Occurrit primo in loco conſideratio Chriſti incarnati & prædeſtinati, qui caput eſt omnium electorum, & vinculum unionis inter Deum eligentem & homines electos. Si igitur hic ipſe Chriſtus, qui primas tenet in prædeſtinatione, deſtinatur incarnandus ut Mediator & Redemptor lapſorum; manifeſtum eſt illos omnes qui in Chriſto eliguntur, ut Mediatoris & Redemptoris indigos, hoc eſt, lapſos, conſiderari. *Elegit nos in Chriſto ante jacta mundi fundamenta*, inquit Apoſtolus: quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, nos planè perditos in primo Adamo, per prædeſtinationem donatos fuiſſe ſecundo, ut in eo, ac per eum, Dei favorem atque æternam vitam conſequeremur. In hanc ſententiam pulchrè Athanaſius, *Filius Dei, hominum amore, & Patris voluntate, induit creatitiam carnem, ut eam quam mortalem reddiderat primus homo prævaricatione, ipſe proprio ſanguine vivificaret.* Hæc omnia ità involvunt & ingerunt prævisi lapſûs conſiderationem, ut cuivis facile ſit hanc argumentationem contexere: Chriſtus ipſe prædeſtinatur incarnandus, & miſeris atque lapſis in Redemptorem mittendus; ergò in hoc incarnando Redemptore homines prædeſtinati non fuerunt, niſi ut miſeri & lapſi.

Hebr. 2. 14.

Epheſ. 1. 4.

Serm. 3. in Arian.

Argum. 2. Huic argumento accedit aliud valde affine, ductum ab illis mediis gratiæ, quæ omnibus electis deſtinantur in hac æterna prædeſtinatione ad gloriam: hæc enim omnia fidem faciunt, Prædeſtinandi actum in homines lapſos, morbidos, imò mortuos, cadere, potiùs quàm in ſtantes, integros, aut valentes. Nam in decreto prædeſtinationis, electis præparatur efficax vocatio, gratuita juſtificatio, nova regeneratio, aliáque ejuſdem generis beneficia, quæ, ſimulac nominantur, hominem lapſum menti noſtræ repræſentant. Non enim propoſuit Deus per Chriſtum vocare *juſtos*, ſed *peccatores* ad pœnitentiam; non in Chriſto juſtificare *integros*, ſed *impios*, per gratuitam remiſſionem; non denique per Spiritum Chriſti regenerare homines *vivos* & *ſanos*, ſed ex genitura naturali *tabidos*, & planè *cadaveroſos*. Parùm igitur mihi videntur perpendiſſe quid electis in ſua prædeſtinatione præpararetur, qui illos ut nondum conditos nondúmque lapſos imaginantur. Nam qui per ſpiritualis gratiæ pharmaca curandus deſtinatur, ut ſpiritualibus morbis correptus à Deo conſpicitur.

Rom. 8.

Argum. 3. Porrò, ſi ipſum ſcopum prædeſtinationis ſpectemus, nobis non hominem *condendum* aut *integrum*, ſed *lapſum*, pro objecto hujus actionis deſignabit. Quò enim ſpectavit Deus in toto hoc negotio prædeſtinationis, niſi ut gloriam ſuam illuſtraret per modum parcentis miſericordiæ erga electos, & vindicantis juſtitiæ erga reprobatos? At miſericordia, præſertim parcens, non

Rom. 9. 22, 23.

Aquin. part. 1. quæſt. 23. art. 5.

non tendit niſi in *miſerum*; nec juſtitia puniens, niſi in *malum*: homo autem nec *miſer* nec *malus*, niſi quà ſupponitur *lapſus*. Quandoquidem igitur in ſe *miſeri* apparent, quotquot per electionem à miſeria liberantur; atque etiam in ſe *mali* habentur, quotquot per reprobationem damnationi juſtiſſimè deputantur: utroſque ſub ſtatu peccati Deo prædeſtinanti oblatos fuiſſe, perſpicuum eſt. Sic olim ſenſit Tertullianus, *Deus de ſuo bonus, de noſtro juſtus.* Cui conſentit Auguſtinus, *Poteſt Deus ſine bonis meritis liberare, quia Bonus eſt: non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare, quia Juſtus eſt.*

De Reſur. carn. Epiſt. 166.

Poſtremò, Prædeſtinationis ſubjectum non fuiſſe hominem purum & integrum, ſed lapſum & corruptum, patet ex Dei affectu diſpari erga perſonas electas & reprobatas. Nulla enim eſt diſparitas divini amoris erga humanum genus, quamdiu conſideratur in Adamo integro; ſed quatenus alii conſpiciuntur ut in Chriſtum Mediatorem inſiti, alii verò ut in Adamo peccatore derelicti. Nam Adamus integer atque cum illo omnes ejus poſteri ex æquo ordinati fuerunt ad vitam æternam ſub obedientiæ præſtandæ conditione. *Ordinatos* dico per *decretum providentiæ*, quod manat ex ſimplici finis affectu, & per media idonea ad eundem diſponit & dirigit: *Prædeſtinatos* non dico per *decretum electionis*, quod fluit à voluntate efficace, & per media infallibilia ipſam finis conſecutionem decernit & efficit. Cùm igitur Adamo & Adæ poſteris, in Dei mandato atque ſua integritate perſeverantibus, æterna felicitas fuerit propoſita & præſtituta; conſentaneum eſt ut dicamus, ab hac æterna vita neminem, niſi eodem rebellante & labente, fuiſſe excluſum: Quod enim ordinatur omnibus ſub conditione obedientiæ conferendum, id niſi interveniente inobedientiâ nemini decernitur denegandum. Reprobatio igitur, quæ multis abjudicat vitam æternam, eoſdémque deſtinat ad interitum, non poteſt cadere in hominem quà *integer* conſideratur; ſed quà ab omni æternitate in mente divina ut *inobediens* & *lapſus* conſpicitur.

Argum. 4.

Aquin. quæſt. diſp. de Prad. art. 1.

Ad cauſam hanc confirmandam pluribus congerendis ſupерſedeo: ſed quia multi, & eruditione & pietate inſignes, partim à nobis diſſentiunt, partim putantur diſſentire, verbum unum aut alterum de hac opinionum varietate adjiciam. Scotus, qui inter ſuos claſſem ducit, & magnam Scotiſtarum manum poſt ſe trahit, apertè docet, quòd, priùs quàm aliquid prævifum eſt circa peccatorem, Deus elegit omnes quos habere voluit. Sed non ille ſolus inter Pontificios hanc ſententiam propugnat; Naclantus inſuper, Epiſcopus Clugienſis, decretum prædeſtinationis, non ſolùm decreto lapſûs permittendi, ſed etiam hominis creandi, prius & antiquius eſſe voluit. Eundem ordinem ſtatuunt, Pighius, Catharinus, Galatinus. Quinetiam, poſt hoſce omnes, Præfectus Cathedræ in Academiâ Salmanticenſi, Alphonſus Mendoza

Lib. 3. diſt. 19.

Cajet. in 3. quæſt. 1. art. 3. In 1. ad Eph. & 9. ad Rom.

doza, ex professo tuetur, Primum omnium actuum divinorum fuisse prędestinationem, ex quâ secuta sunt cætera decreta omnia, de condendo mundo, de creandis hominibus, de permittendo peccato. Nè expectetis ut horum sententiam aut refellere coner, aut cum nostra conciliare; hoc tantùm cupio, ut indè perspiciatis, ipsos Pontificios primarios esse hujus sententiæ autores, quæ negat hominem lapsum fuisse divinæ prædestinationis subjectum. Ad nostros jam accedamus, qui videntur idem sentire: & quod de uno dicam, de omnibus dictum putate. Calvinum criminantur Jesuitæ, quòd defendat, Deum in primo instanti, ante omnem prævisionem peccati, quosdam absolutè elegisse ad gloriam, alios destinâsse ad interitum: In secundo autem instanti, peccatum Adami eo fine ordinâsse, ut justitiam suam erga reprobos, & misericordiam erga electos posset exercere. Respondeo, Calvinum, in hoc prædestinationis mysterio explicando, diversa illa signa seu instantia Scholasticorum non solere in accuratum aliquem ordinem digerere; ad summam tamen rei quod attinet, verissimam Calvini sententiam hisce duabus propositionibus contineri affirmo.

Becanus, de Præd. part. 2. cap. 5.

Propos. 1. Prima; *Prævisi lapsûs consideratio non objecta fuit Deo prædestinanti, sub ratione causæ.* Institutionum 3. cap. 21. sect. 5. *Prædestinationem multis cavillis involvunt, qui præscientiam faciunt ejus causam.* Et cap. 22. sect. 2, 4, 6. *Deus in hoc negotio prædestinationis non egreditur extra seipsum: redeundum igitur semper est ad solum divinæ voluntatis arbitrium, cujus causa extra ipsum neque apparet neque quærenda est.* Si quis igitur à Calvino quæreret, nunquid Deo Jacobum eligenti, Esauum reprobanti, prævisio massæ corruptæ aut cujuscunque rei futuræ, ut causa hujus electionis & reprobationis obversata fuerit: negaret proculdubio, & constantissimè assereret, Quacunque circumstantiâ hæ personæ vestiantur, perinde se rem habere. Jacobus enim, sive prævidetur condendus, sive conditus, sive lapsus, prædestinatur ad gloriam: Esauus, è contrà, condendus, conditus, lapsus, nunquam Deo objicitur ut electus ad gloriam. Sed hæc in confesso sunt.

Propos. 2. Altera igitur propositio, quam Jesuitarum criminationibus oppono, quámque ad mentem Calvini esse assero, hæc est; *Prævisi peccati consideratio obversabatur Deo prædestinanti, sub ratione connexæ conditionis, quam intuitus est in omnibus, sive electis sive reprobatis.* Audiamus quid ipse hac de re statuat, Institut. 3. cap. 23. sect. 3. *Si judicio mortis obnoxii sunt omnes naturali conditione, quos ad mortem Dominus prædestinat, — Si ex corrupta massa desumpti sunt omnes; non mirum si damnationi subjacent.* Sed illud sole clarius testimonium est, quod ex Augustino desumptum affertur, & probatur à Calvino: *Fatemur communem noxam: sed dicimus quibusdam succurrere Dei misericordiam: — Quare*

Ibid. sect. 11.

pulcherrimè quadrant iſtæ Auguſtini ſententiæ, Cùm in primo homine univerſa generis maſſa in condemnationem defluxerit, quæ fiunt ex ea vaſa in honorem, non propriæ juſtitiæ, ſed Dei miſericordiæ vaſa eſſe: Quòd verò alia fiunt in contumeliam, non iniquitati, ſed judicio deputandum, &c. Cæcus eſt qui non videt, in hiſce locis ſubſterni corruptam maſſam prædeſtinationi, ità ut ex ea ſeligantur vaſa ad honorem per electionem, in ea relinquantur vaſa ad contumeliam per reprobationem. Idem ſentiunt planiſſimè & alii Theologi noſtri, qui quandoque de hac materia duriuſculè loquuntur: nam quiſquis eorum ſcripta attento animo & minimè malevolo perleget, ſtatim animadvertet, eos in ſuis diſputationibus non præviſum hominis lapſum Deo prædeſtinanti ſubtrahere; ſed illud urgere, In hac lapſûs conſideratione cauſam reprobationis non eſſe conſtitutam. Concludamus igitur ex orthodoxorum ſententia, Lapſum hominis non eſſe cauſam reprobationis, ſed lapſum hominem eſſe proprium ſubjectum tum electionis tum reprobationis.

Vide Whitak. in Conc. ultim.

Quæstio XXVII.

Papistæ tenentur interesse sacris Protestantium.

Sacrorum nomine preces publicas, conciones, atque Sacramenta comprehendimus: quibus ità interesse tenentur ipsi Papistæ, ut & illi peccent, si Ecclesiasticis nostris conventibus sese subduxerint, & Magistratus officium suum negligat, si non (quâ datur illi potestas) cogat eos intrare. Ad ipsos Papistas quod attinet, quandoquidem in hac Ecclesia nostra nati renatíq; fuerunt, debent hunc honorem matri suæ, ut illi saltem patientes aures accommodent; præsertim cùm in frequentatione sacrorum nostrorum nihil sit quod illorum conscientias maculare possit. Nam, ut à precibus nostris ordiamur, quid tandem in illis occurrit, quod non sit ab ipsis Pontificiis probatum, & ex sanctissimorum Patrum liturgiis petitum? Quod usquè adeò verum est, ut quidam ex ipsis Pontificibus Romanis formulam illam sacrorum officiorum, quâ nos utimur, probare voluerit, modò nos ab ejus autoritate hac in re pendere voluissemus. Porrò, nec à concionibus nostris est quòd abstineant; in quibus si causentur errores prædicari, eò tantùm valebit, ut hisce erroribus liceat illis renunciare, non ipsis Ecclesiis. Nam apud Galatas & Corinthios multi doctrinas sparserunt ab orthodoxa fide alienas, nec tamen eo prætextu pii & fideles Ecclesiasticos conventus fugiendos judicârunt. Insanus est, qui omnino repudiat cibum, quòd quandoque cibis misceatur venenum. Denique, nec ipsam cœnam Dominicam cur recusent, justam causam afferre unquam poterunt. Non illam quidem cæremoniis splendidis oneramus, non pro imperio Papali mutilamus, non portentoso transubstantiationis dogmate in spectrum mutamus: sed materiam debitam integrámque, formam etiam ab ipso Christo institutam & Apostolis usurpatam (vel adversariis judicibus) retinemus. Vivunt igitur multò feliciore conditione Papistæ inter nostros, quàm Protestantes apud illos: Siquidem nostri illorum sacris interesse non

non poſſunt, quin cogantur multa facere, quæ animos ſuos ſaucient; ut Sanctos invocare, imagines adorare, aliáque ejuſdem ſuperſtitionis quamplurima: at illi, cùm noſtra templa adeunt, carebunt ſolummodo illis imagunculis, & ſanctulis ſuis; ſed interim non cogentur aliquid facere, quod poſſit ipſorum conſcientias vulnerare.

Illud unum reſtat, ut obtendatur, Eccleſiam noſtram ſchiſmaticam eſſe & hæreticam, ac proinde à catholicis & orthodoxis omnibus fugiendam. Si, ut hoc telum depellam, cum Pontificiis calumniatoribus de tota veritatis poſſeſſione contendere velim, ſpiſſum utique negotium eſſet, neque hiſce quibus arctamur temporum anguſtiis conficiendum. Cum miſellis igitur & miſerè ſeductis Laicis agam, quibus enitar oſtendere, non ſubeſſe juſtam cauſam, cur vel hiſce criminatoribus fidem adhibeant, vel à religione ſacríſque noſtris omnino abhorreant. Atque illud imprimis præmittendum eſt, Erroneam conſcientiam nunquam illam vim habere, ut poſſit quenquam debito cui tenetur officio exolvere. Neque enim aut legiſlatoris, aut legis authenticæ autoritatem obtinet; ſed famula potiùs habenda eſt, quæ legi ſubdita & conformis eſſe tenetur. Error itaque conſcientiæ, erit inſtar compedis, qui hominem ligatum & implicatum teneat, nè poſſit procedere prout exigit natura agendorum; non erit inſtar privilegii, quod illum excuſet, qui interim non fecerit quæ ex Dei mandato agenda incubuerant. Quæro jam, Unde nata hæc conſcientia quæ Papiſtas abſterret à ſacris noſtris? unde & à quibus orta hæc opinio, quòd Eccleſia noſtra ſchiſmatica ſit, fides hæretica, ſacra omnia polluta & profana? Non ex ſacrarum Scripturarum documentis, quas contingere Laico piaculare facinus eſt: ſed ex nequiſſimorum quorundam circulatorum rumuſculis, quibus ſi quis fidem firmam adhibeat in re quantumvis levicula, nimis *credulus*; ſi in hoc religionis & ſalutis negotio, omnium longè maximo, *inſanus* meritò habeatur. Cùm igitur lex charitatis jubeat, de quolibet præſumere bonum, donec idoneis argumentis conſtet contrarium; debent Papiſtæ noſtri de matre ſua Eccleſia Anglicana honorificè ſentire, donec criminatores iſti ex Dei verbo poſſint ejuſdem corruptelam oſtendere; quod ab illis nunquam factum, nunquam faciendum. Sed, ut mittam præclaros hoſce teſtes, pertuſæ ſcilicet fidei tranſfugas, quibus Eccleſiam noſtram accuſantibus temere creditur, ſi modum quem illi quémque noſtri tenent in auditoribus ſuis inſtituendis perpendamus, & noſtros audiendos, & iſtos explodendos cuivis ſano & ſobrio conſtabit. Noſtri etenim non dominari conantur fidei Laicorum: ſed, quod æquiſſimum eſt, omnibus permittunt ut privatim ſcrutentur Scripturas, ut publicè in templis lectas, idque linguâ vernaculâ, frequenter audiant; ut denique illud in dubiis & controverſis pro vero admittant,

Vide Pariſienſ. de vitiis, cap. 10.

Vide Durand. lib. 2. diſt. 39. quæſt. 5.

quod ipſi normæ veritatis conſentaneum eſſe perſpiciant. At Prælati Papiſtici contrariam viam inſiſtunt. Ab initio inſanum illud poſtulatum ab omnibus ſuis concedi volunt, Verum & divinum eſſe quicquid Pontifex Romanus ex cathedra ſua divinatoria pronunciat. Neque adhuc ſatis cautum putant, niſi addant & illud ejuſdem impudentiæ, Non oportere Laicos Scripturas inſpicere, aut ullam doctrinam, quam ipſi pro vera obtrudunt, ad normam veritatis exigere. Hiſce præſtigiis cùm lucem mentémque omnem diſcipulo ſuo ademerint, *Ducitur ut nervis alienis mobile lignum*; nec mirum, ſi à veritate, atque à ſacris noſtris abducitur. Jam cuivis, cui ſcintilla bonæ mentis reliqua eſt, judicandum permitto, an propter meras calumnias talium, tali modo ſuos inſtituentium, Eccleſiæ noſtræ, indictâ cauſâ, condemnandæ, & à filiis ſuis deſerendæ ſint. Illud poſtremo loco addam, Tutiſſimum eſſe hominibus indoctis, qui de controverſiis bene judicare non poſſunt, quæ habent abſtruſam ſpeculationem, oculos ad ea convertere quæ Moralia vocantur; & illam Eccleſiam, quæ in hiſce turpiter & contra ductum rectæ rationis errat, non pro oraculo habere, neque ad ejus vocem nudam, matri ſuæ, Eccleſiæ ſcilicet Anglicanæ, tam protervè refragari. Hîc illorum animis oculíſque occurrat craſſa illa & fœda Romanenſium idololatria; hîc Deo hominibúſque inviſa, ſed à Pontificiis acerrimè propugnata, æquivocatio; hîc Regum depoſitiones & cædes Pontificis nutu perpetrandæ; hîc ſubditorum juramenta ejuſdem autoritate diſſolvenda. Quid commemorem indulgentiarum nundinationes, tum vendentibus, tum ipſis ementibus ridiculas? Quid mulierculârum in lupanaribus publicas proſtitutiones, Papæ lucroſas, ſed toti Chriſtiano nomini (ſi quid aliud) dedecoroſas? Ut hæc omnia odioſa & impia intelligantur, opus eſt non docto aliquo Theologo, ſed quolibet homine experrecto; non fidei ſupernaturalis lumine, ſed naturalis rationis examine. Hæc ea ſunt quæ à Papiſtis noſtris indoctioribus ſeriò penſitata abducerent eos proculdubio à ſynagoga Romana, & in ſinum Eccleſiæ noſtræ reducerent.

Quòd ſi rationibus non poſſunt ad templa ſacráque noſtra revocari (ut ab initio monuimus) ſunt à Magiſtratu, terrore injecto, & pœnis impoſitis, ad officium ſuum cogendi.

Primò, Magiſtratûs officium hoc poſtulat: nam eſt cuſtos utriuſque tabulæ; atque eo nomine tenetur ſibi ſubditos à ſuperſtitione vel invitos abſtrahere, & ad verum Dei cultum etiam reluctantes compellere. Solent Paſtores errantia pecora flagellis incuſſis ad caulas ſuas revocare: debent itidem & Reges errantes ſubditos etiam pœnis impoſitis ad Eccleſiam veram pertrahere. Aut igitur in noſtris templis verum Dei cultum exerceri negemus, aut omnes ad hæc ſacra noſtra adſtringendos fateamur.

Quinetiam utilitas ipſorum ſubditorum hanc curam quaſi ſuo jure à Magiſtratu efflagitat: hæc etenim coactio domat præfractam animoſitatem, ſtimulat ignavam ſocordiam, excitat dormitantem intelligentiam; & quos primo impetu fecit *timentes*, eos poſtmodum faciet *volentes*, ac tandem *doctos* & *ſapientes*. Apud Auguſtinum, Donatiſtæ, legum & pœnarum metu ad bonam mentem revocati, hoc ultro fatentur, *Falſis erroribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe non ſciremus niſi intraremus, nec intraremus niſi cogeremur. Gratias Domino, qui negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſſit.* Epiſt. 48.

Poſtremò, Pax externa & bonum publicum requirit, ut omnes in eadem Republica viventes ad unam & veram religionem adſtringantur. Nam veriſſimum eſt, quod Nazianzenus obſervavit, Conſenſionem in religione eſſe firmiſſimæ pacis & concordiæ vinculum; diſſenſionem verò acerrimæ contentionis & diſcordiæ flabellum. In compendium hæc redigo. Quandoquidem in ſacris noſtris nihil eſt quod Papiſtæ noſtri jure averſentur, in ſacris autem & religione Romanenſium nihil quod meritò amplexentur: & illos intereſſe debere concludimus ſacris Proteſtantium, &, ſi reluctentur, ad Eccleſias noſtras imperio legitimi Magiſtratûs eſſe remittendos. Orat. 10.

Quæſtio

Quæstio XXVIII.

Papæ jurisdictio non est universalis.

SIngulis Episcopis concedimus jurisdictionem in singulos greges sibi commissos, ex ordinatione divina; Archiepiscopis ac Patriarchis in certas regiones ac provincias, ex præscripto ecclesiastico: universalem autem in totam Dei Ecclesiam nemini competere affirmamus, sive divino sive humano jure, sed meræ usurpatione Antichristianæ. Definivit quidem Bonifacius Octavus, omnem humanam creaturam subesse oportere Romano Pontifici; atque hanc subjectionem decernit esse de necessitate salutis. Huic decreto applaudunt Canonistæ, atque docent Papam esse vice Dei viventis in toto orbe, ità ut huic Dei vicario omnes homines & angeli teneantur obedire. Delirum illud de *temporali* Papæ jurisdictione insomnium non attingam; *spiritualis* autem jurisdictionis duo primaria capita convellam, quibus labefactatis, in cæteris omnibus ruat hæc universalis jurisdictio est necesse.

Extravag. commun. de majoritate & obedientia.

Sylvest. in verbo Papa.
Alvar. 1. 12.

Primò igitur in causis fidei ac religionis sibi vendicat Pontifex Romanus absolutam potestatem sententiam ferendi sive determinandi, cum obligatione omnium Christianorum ad habendum id, quod ab eo decernitur, pro vero & infallibili oraculo Spiritûs divini. Sed contrà.

Quæ sunt solius supremi Domini privilegia, ea servus, absque crimine læsæ majestatis, non usurpat: at Velle vocem suam ab universis Christi ovibus sine ulla exceptione audiri, Velle magisterium suum ab omnibus Christianis absque ulla recusatione suscipi, ad ejus dignitatem solummodo pertinet, qui olim dixit, *Oves meæ vocem meam audiunt*, Joann. 10. 27. *Nè vocemini Magistri; quia Magister vester unus est, Christus*, Matth. 23. 10. *Quorumvis aliorum doctrinam aut decreta de fide non ideo admittit Ecclesia catholica quia ipsi ità senserunt; sed quia per Autores Canonicos, quòd Christus ità senserit, persuadere potuerunt*; Augustinus, epist. 19.

Ad

Ad hæc, Qui fidem præscribit catholicæ Ecclesiæ, idque ex ordinatione Christi, talis esse debet ut ipse in fide errare nullo modo possit. Si enim erraverit (quod Papæ accidere potest) suam hæresin aliis conabitur obtrudere: cùm autem de universalis Judicis sententia non liceat subditis judicare, cogentur Christiani cum cæco duce in errorum foveas cadere. Hoc ipso argumento Gregorius Magnus utitur contra Joannem Constantinopolitanum; *Si unus Episcopus vocetur universalis, hoc uno cadente, universa Ecclesia corruet.* *Epist. lib. 6. epist. 24.*

Hisce accedit & illud, Christum non solere jurisdictionem ministris suis speciali mandato delegare, cujus administrandæ facultatem intelligit eos nunquam habituros. Atque hîc mihi respondeant Jesuitæ, Quis unquam Pontificum Romanorum poterit omnes fidei controversias, ubivis terrarum ortas, suâ sententiâ judiciariâ dirimere & definire? Latè enim diffusa est Christi Ecclesia, ac multi sunt per totum terrarum orbem Christiani, ad quos nec decreta Pontificia, nec legati à latere, imò vix nomen ipsum sive Romæ sive Romani Pontificis vel fando unquam pervenit. Quàm insanum est igitur hoc Papæ commentum, in gentes tam longè dissitas jurisdictionem vendicare, de quibus nullam cognitionem habere, cum quibus nullum commercium poterit instituere!

Denique, si Christo visum fuisset omnium Christianorum fidem Paparum definitionibus & decretis alligare, quis dubitet quin de hoc ordinario totius Ecclesiæ Judice, vel Christus ipse, vel Paulus, vel certè Petrus, vel denique aliquis Apostolorum, uno saltem verbulo, Ecclesiam monuisset? Excutiant ergò Papistæ Scripturas à capite ad calcem; si de hac universali jurisdictione Episcoporum Romanorum vel unam syllabam reperire poterunt, nos omnes agmine facto in castra Papistica transfugiemus. Primæ ad Corinth. cap. 12. vers. 28. & etiam 4. ad Ephes. vers. 11. ex instituto commemorat Apostolus eos omnes ministros, quorum operâ Christus post ascensum suum uti voluit in Ecclesia ædificanda. Sed nescio quo Romæ infortunio, de Episcopo Romano toti Ecclesiæ imperitante, ac fidei regulam præscribente, verbum nullum. Quòd si Christus pro tali hunc Pontificem agnoscì voluisset, talem utique Ecclesiæ suæ renuntiâsset.

2.

Sed ad alterum jam caput accedamus. Quasi parùm esset dominari in fidem totius Ecclesiæ, secundo in loco Pontifex Romanus universalem jurisdictionem sibi vendicat in personas quascunque Ecclesiasticas. Ad suum enim jus pertinere affirmat, instituere Episcopos omnes, deponere, condemnare, restituere: Quòd si hæc aliquando fiant ab aliis Episcopis, vel Conciliis, id fieri dicunt solummodo potestate à Pontifice Romano derivatâ, *qui est Rector universalis, & à quo descendit auctoritas regendi* *Gloss. Grat. in dist. 12.* *Alvar. lib. 1. cap. 45.* *Sylvest. in verbo Papa.*

regendis in alios univerſos; Durand. lib. 4. diſt. 24. quæſt. 5. Sed neque hiſce in rebus univerſalem juriſdictionem illi competere facilè oſtendemus.

Primò, recta ratio nunquam concedet uni homini, ut is de omnibus perſonis Eccleſiaſticis judicet, & à nullo judicetur. Quomodo enim poterit Romæ ſedens ſive de criminibus ſive de meritis eorum commodè judicare, qui in Eccleſiis longè diſſitis verſantur, & de quibus præter incertos rumores nihil comperti habere potuit? Quis enim ordinandus, quis deponendus, quis reſtituendus ſit, optimè illi ſtatuerint, qui inſpiciunt mores & vitas ſingulorum, qui accuſatores & teſtes nullo negotio convocare ac audire poſſunt, ut olim contendit Cyprianus. Atque ipſa experientia oſtendit, rarò, poſterioribus præſertim ſeculis, ſe immiſcuiſſe Romanos Pontifices exterarum Eccleſiarum negotiis, quin eâdem operâ juſtitiam violârint, improbis patrocinati fuerint, atque Eccleſiæ diſciplinam corruperint.

Epiſt. lib. 1. epiſt. 3.

Secundò, rationi adjungo Scripturæ autoritatem, quæ hunc unius dominatum in cæteros omnes apertè prohibuit. Lucæ 22. 25, 26. *Reges gentium dominantur iis, —— vos autem non ſic. Non dominantes Cleris*, inquit ipſe Petrus, cui renitenti hunc dominatum Papiſtæ conantur tribuere. Quinetiam ipſe Chriſtus conſtituit Eccleſiam quamlibet Judicem cujuſvis perſonæ in eadem viventis: *Si peccaverit in te frater, —— dic Eccleſiæ.* Aut igitur expungat ſe ex numero fraternitatis Chriſtianæ, aut agnoſcat Pontifex ſe Eccleſiæ judicio ſubjectum eſſe. Si igitur Eccleſiæ Romanæ ſubjiciatur judicio, quantò magis œcumenicæ! nam *ſi autoritas quæratur, orbis major eſt urbe*, ut olim Hieronymus. Credant ergò licet Jeſuitaſtri, illum habere juriſdictionem ſupra univerſalem Eccleſiam, ſupra quem particularis Eccleſia poteſt juriſdictionem exercere: nemo certè Theologus hoc unquam in animum inducat.

1. 5. 3.

Matth. 18. 15, 17.

Hieron. epiſt. 85.

Poſtremò, afferre poſſum praxin Eccleſiæ, quæ ab ipſis uſquè Apoſtolorum temporibus hanc univerſalem Epiſcopi Romani juriſdictionem non agnovit. Quis neſcit Paulum cæteróſque Apoſtolos Eccleſias fundâſſe, Epiſcopos ordinâſſe, hæreticos condemnâſſe atque depoſuiſſe, immediatâ, non delegatâ à Petro poteſtate? Sic etiam in orientalibus Eccleſiis ordinati, judicati, depoſiti fuerunt Epiſcopi autoritate Provincialium Epiſcoporum, non expectatâ Pontificis Romani approbatione. Ridiculum eſt quod hîc reſpondet Cajetanus, Autoritatem harum rerum omnium fuiſſe penes Pontificem Romanum: ſed illum, pro laudabili more Eccleſiæ, permiſiſſe executionem aliis. Nam quis unquam putavit opus fuiſſe permiſſione aliquâ, ut Alexandrinus vel Antiochenus Patriarcha intra ſuos limites ordinaret Epiſcopos ſibi ſubjectos, aut convocato ſuorum Prælatorum Concilio de eiſdem judicaret? Ingenuè magis & verè Gloſſator Gratiani,

Grat. diſt. 51. & Cauſ. 11. quæſt. 3.

De Pontiſ. inſtit. cap. 13.

tiani, qui videns non Metropolitanos cum suis Provincialibus, sed [illegible] Episcoporum consecrationem sibi [illegible] esse *de jure*, atque addit, *Papam* [illegible] *contra jus*: non dicimus violasse jus, atque u[illegible] aliorum. Sed omni exceptione major est autoritas Nicæni Concilii, in quo, ut alii Patriarchæ, sic Romanus etiam suis limitibus includitur. Cui, superpondii loco, accedet decretum Concilii Milevitani, appellationes transmarinas (quæ à factiosis fieri solebant ad sedem Romanam) prohibentis. Nunquam profectò hoc facinus ausi fuissent sanctissimi Patres, si Christus jurisdictionem universalem Episcopo Romano demandâsset. Quid multa? Catholici autores semper senserunt, ipsum Papam ab aliis judicari ac deponi posse. Propter *hæresin* id fieri debere Gratianus agnoscit: Glossator etiam *ob quodvis aliud crimen notorium* adjungit. Clemens Pontifex Romanus in epistola ad Jacobum, (quam Turrianus germanam esse contendit) vel ob *negligentiam* se deponi posse concedit. Sed res ipsa loquitur. Honorius Imperator deposuit Bonifacium, Otho Joannem 13, Concilium Constantiense tres Papas rivales, Basiliense Eugenium quartum. Habuit igitur & de jure semper habere debet ipsa Ecclesia jurisdictionem in Papam: Papa autem nec habuit unquam, nec habere debuit in Ecclesiam universalem.

Dist. 51. & caus. 14. quæst. 1.

Caus. 6.

Caus. 22.

Dist. 40.

Quæstio XXIX.

Fides implicita non est salutifera.

1. Fides implicitâ non uno modo intelligitur. Quandoque enim vocatur *implicita* ab imperfecta apprehensione rerum quasi implicitarum. Nam quemadmodum quod complicatum ac convolutum est, ex toto nec conspicitur nec attingitur: sic mysteria pleraque fidei Christianæ. Verbi causâ, dogmata hæc, *Deus est trinus & unus, Verbum factum est caro, Pii fruentur Deo in cœlis*, aliáque consimilia, quilibet fidelis explicitâ fide credit, quatenus ipsas propositiones actu concipit, atq; actualem assensum singulis præbet. Sed quia in hisce singulis mysteriis multa latent abscondita, quæ mens nostra aut cogitatio non assequitur; rectè dicimur hæc omnia implicitâ fide, id est, obscurâ & imperfectâ, quasi res convolutas & complicatas intueri. Status enim viatoris non admittit perfectam & omnibus partibus explicatam notionem rerum divinarum. Nam (teste Apostolo) *nunc videmus per speculum in ænigmate, — cognoscimus tantùm ex parte*, & quæ sequuntur. De tali fide non contendimus: quæ, sive vocetur *ænigmatica*, sive *implicita*, est Deo accepta, & vim habet salutiferam. Illud tamen addendum puto, Ut oculus lippiens ambulantem dirigit ad itineris sui metam, quà in se visivam aliquam facultatem retinet, non quà lippitudinem: sic fides hæc implicita vel imperfecta operatur ad salutem credentis, quà apprehendit dogmata veritatis salutiferæ, non quà deficit aut cæcutit in apprehendendo.

Vide Aquin. quæst. disp. de Fid. art. 11

1. Cor. 13. 12.

2. Vocatur etiam quandoq; impropriè *implicita fides*, ipsa promptitudo, dispositio, seu generalis animi præparatio ad fidem adhibendam Verbo Dei, simulac dogma quodcunque sub hac formali ratione nobis innotescet. Atque hoc sensu quilibet Christianus implicitè dicitur credere, quicquid in Scripturis Deus revelavit. *Necessaria* quidem est hæc generalis persuasio de veritate Verbi divini: non est tamen in se *salutifera*; stare enim potest

Vide Aquin. 2. 2. quæst. 2. art. 5.

poteſt cum ignoratione dogmatum ad ſalutem planè neceſſariorum, imò poteſt conſiſtere cum perniciosis erroribus ipſi Scripturæ contrarijs. Nam hæretici omnes, qui concedunt autoritatem Scripturarum eſſe divinam & infallibilem, fovent interim multa errorum portenta, quæ ipſi nondum intelligunt hiſce Scripturis adverſari. Generalis ergò ſeu implicita fidei obedientia, quam omnes Chriſtiani promiſcuè Scripturis deferunt, abſque explicita perceptione dogmatum credendorum, & firmâ aſſenſione, per Spiritûs ſancti operationem elicitâ, ad fidei ſaluti ferę naturam & efficaciam non aſſurgit.

Illa fides à Papiſtis *implicita* vocari ſolet, & Laicis ſummopere commendari, quæ in cognitione Prælatorum involvitur; populo interim dogmata illa quæ ſic credi dicuntur omnino neſciente. Nam paucula quædam ſunt quæ explicitè à Laicis apprehendi oportere affirmant; ſed longè maximam partem dogmatum Chriſtianorum hâc implicitâ fide teneri volunt. De hac ſic ſcribit Hugo de Sancto Victore, *Qui credenti credit, non inconvenienter dicitur credere quod ille credit, etiamſi neſciat quid illud ſit quòd credat.* Et paulò poſt, *Fides aliquando cum cognitione eſt, quando ſcitur quod creditur; aliquando ſine cognitione, quando ſcienti tantùm & credenti creditur.* Jam breviter demonſtremus, hanc fidem implicitam, quam ſolum Laicis ſuis Papiſtæ relinquunt, de plurimis Chriſtianæ religionis capitibus, nec *ſalutiferam* eſſe, nec revera *fidem*.

3.

Vide Bonav. in 3. ſent. diſt. 25. & Durand. lib. 3. diſt. 25. quæſt. 1.

De Sacr. fid. lib. 1. part. 10. cap. 3.

Non eſt *ſalutifera*: nam fides quæ valet ad ſalutem, ſemper apprehendit Verbum Evangelii, quod *eſt potentia Dei ad ſalutem*. Hæc autem quæ implicita eſt in fide & cognitione aliorum, non fertur in dogma aliquod Evangelicum, ſed, quæ prorſus ignorat, à Prælatis Eccleſiæ ſolummodo credit rectè intellecta & credita. At rectitudo *ſuæ* fidei credentem ſalvat, non *alienæ*. Quid quòd fides quæ ſalvum facere poteſt, ità proprio uniuſcujuſque corde concipi debeat, ut, cùm Dei gloria requirat, etiam ore exprimi queat? Hæc verò, quam *implicitam* dicunt, quia in proprio corde ſedem non habet, neque in ore confeſſionem habere poterit.

Rom. 1. 16.

Rom. 10. 9, 10.

Sed neque omninò dicenda eſt *fides*: nam Credere eſt cum aſſenſione cogitare: qui ergò de dogmatibus illis, quæ credunt Prælati, nec cogitavit unquam, nec illis aſſenſum actualem præbuit (niſi vocabulis abuti velimus) nec *habitu* nec *actu*, nec *explicitè* nec *implicitè*, ea credere dicendus eſt. Credere enim nemo intelligitur, niſi quatenus *fides ejus propria ad creditum aliquid enunciabile terminatur*, ut rectè docuit Thomas. Sed domus Pontificiis, Laicos implicitè credere dogmata prorſus ſibi ignota, hâc tantùm ratione, quòd credunt verum eſſe quicquid Eccleſia credit (ea autem tenet & credit omnia dogmata fidei Chriſtianæ) vide jam quò res ſerpat: nam eodem argumentorum modo poteſt,

2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 2.

Mahumetanos & Paganos credere implicitè omnia mysteria fidei nostræ, quia credunt hi omnes, verum esse quicquid ab ipso Deo est revelatum; omnia autem fidei nostræ dogmata sunt ab ipso Deo patefacta & revelata generi humano.

4. Ultimo in loco, illa fides *implicita* dicitur, quæ etsi habeat particularem apprehensionem dogmatum creditorum, habet tamen eorundem certitudinem nixam non Verbi aut Spiritûs testimonio, sed autoritate & testimonio Prælatorum ità docentium & decernentium. Prior fides implicita fuit in *cognitione*, hæc implicita est in *autoritate* hominum aliorum. Atque hæc jam communis sententia est omnium Papistarum, Laicos credere quæ credunt, propter externum Ecclesiæ testimonium, sive intelligant ea quæ illis proponuntur esse consona Verbo divino, sive non intelligant. Hoc est quod Lombardus voluit, quando ait, *Minores in Ecclesia adhærere Majoribus, & illis fidem suam quasi committere*: & quod Jesuita quidam non ità pridem scripsit, *Laicos, ad dogmata fidei quod attinet, non propriis sed Prælatorum suorum oculis videre oportere.* Relinquunt ergò fidem Laicis, non in apprehensione Verbi, aut revelatione Spiritûs fundatam & stabilitam; sed ex testimonio Prælatorum pendulam, & in eorum autoritate inhærentem, ac quasi implicatam. Sed hanc cæcitatem negamus salutiferam.

Lib. 3. dist. 25.

Catalog. lib. 8. pag. 35.

Jer. 17. 5. Primò, *Maledictus* (inquit Propheta) *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum:* cui maledicto imprimis subjacent, qui, in longè omnium gravissimo fidei ac salutis suæ negotio, pendere volunt solummodo ab humana autoritate. Voluit quidem Deus ipse uti ministerio hominum in Verbi salutiferi prædicatione; voluit etiam ab omnibus Christianis horum ministrorum vocem cum debito honore atque summa reverentia audiri: pendere tamen noluit fidem Ecclesiæ suæ ab absoluta autoritate prædicantium. Aliud est enim *basis & regula* fidei, aliud *Doctor externus* & *Præco* fidei. Fides salutifera ipsi regulæ semper inniti debet, non affirmationibus nudis, aut determinationibus ipsorum Prælatorum.

Præterea, Non est ea fides verè Theologica, quæ oriri potest ex libero arbitrio, absque gratia Spiritûs illuminantis: ea autem quæ recumbit in autoritatem Ecclesiasticorum, non Dei supernaturale donum, sed liberi arbitrii & naturæ effectum est. Nam apud Turcas & Paganos populus hâc implicitâ fide nititur magisterio & testimonio doctorum suorum: Hæc ergò fides, est *humana* quædam & *acquisita* credulitas: à qua differt semper *Theologica & salutifera* fides, quòd lumen secum afferat, in quo ipsa mens credentis, suis oculis à Deo illuminatis, percipit divinam veritatem rerum creditarum. Quisquis ergò ad salutem credit, illum fac illustrato per Verbum Spiritus sanctus, ut in credendo non pareat Prælatis cæcæ fidei obsequium, sed ut

habeat ipſe πεπληρωμένον τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων, ut loquitur Apoſtolus, ad Epheſ. 1. 18.

Denique, fides ſalutifera adeò firma eſt, & in corde credentis ſolidata & radicata, ut, ſi Angelus de cœlo contrarium docuerit, illi anathema dicere haud dubitaverit. Jam verò, ſi ſeriò perpendamus hanc fidem in autoritate Eccleſiaſticorum implicitam & inhærentem, facilè videbimus illam nunquam obtinere poſſe hanc divinam firmitatem. Nam quod ſuperſtruitur, non poteſt eſſe firmius quàm ipſum fundamentum cui incumbit; at hoc ipſum teſtimonium Prælatorum inſtabile eſt ac mutabile. In orientali Eccleſia Prælati communibus ſuffragiis Chriſtum Patri ſuo conſubſtantialem eſſe verè & catholicè decreverunt: at paulò pòſt non minori conſenſu ὁμούσιον ſuſtulerunt. In hac noſtra Eccleſia Anglicana, Prælati, interjecto paucorum annorum ſpatio, ſordes Antichriſti Romanenſis & ejecerunt & revocârunt. Actum eſt igitur de firmitate fidei Chriſtianorum, ſi implicita ſemper teneatur in teſtimonio Eccleſiaſticorum. Concludamus itaque, Cùm hæc fides implicita Papiſtarum hominibus, non Deo, confidat, cùm vires liberi arbitrii non ſuperet, cùm firmitatem nullam ſupernaturalem obtineat, eandem non eſſe revera fidem ſalutiferam.

Gal. 1. 8.

Quæſtio

Quæstio XXX.

Dominium temporale non fundatur in gratia.

Temporale Dominium illud vocamus, quod *politicum* sive *civile* appellari solet: estque jus, seu facultas, habendi, regendi, utendi personis, vel rebus, secundum leges rite institutas. Hoc autem dominium in gratia negamus fundatum: quia non ita connexum est cum supernaturalibus donis fidei, charitatis, aut sanctitatis, ut vel careant jure dominii in res temporales, qui nunquam fidem aut gratiam habuerunt; vel excidant statim jure suo, qui à fidei sanitate, vel morum sanctitate desciverunt. Contrarium errorem (si Monachis fas credere) Waldenses, Wiclefus ac Hussus olim defensitârunt; Neminem scilicet in peccato mortali existentem habere justum dominium in quamcunque rem: ac proinde quemvis Regem, Principem, aut Prælatum, si extra gratiam sit, æquivocè hisce titulis gaudere; quia ad verum dominium requiritur vera justitia & supernaturalis gratia in dominante.

waldens. doct. fid. lib. 2. art. 3. cap. 81

Soto de jure & just. lib. 4. quæst. 1. art. 1.

Hi passim exagitantur à Papistis, qui tamen eundem errorem auxerunt, atque hoc seculo nostro multis librorum plaustris propugnârunt. Nam Hussus, qui Regem aut Principem in mortali peccato existentem æquivocè solummodo denominatione *Regem* vocari putavit, tamen haud gravatè concedit, ipsum Deum hujusmodi Regem approbare *quoad esse Principem exterius*, ut ille loquitur: atque idcirco de tali Rege deponendo nè cogitavit unquam. At Papæ & Papistæ adeò jus dominii in gratia fidei fundatum putant, ut si Rex aliquis fidem Romanam deserat, aut Romanæ obedientiæ jugum excutiat, hoc mortifero peccato privationem regni mereatur, & sententiâ Pontificis legitimo suo dominio ac regno hæreditario possit & debeat privari. Hisce erroribus duas theses opponam.

Tract. de Decimis, pag. 128.

Aquin. Cajetan. Bellarm. Suarez, reliquique.

Thesis I. Prior hæc est, *Apud illos est verum & justum rerum temporalium dominium, qui fide & supernaturali gratiâ nunquam donati fuerunt.*

Confir-

Confirmatur imprimis ab ipſa donatione divina. Quis enim poteſt firmiore aut juſtiore titulo aliquid obtinere, quàm ex dono ipſius Dei? Conſtat autem Deum, juxta ordinatam ſuæ providentiæ legem, impiis & infidelibus bona externa tribuere. Sic Auguſtinus, *Sunt dona quæ dat Deus inimicis ſuis: ſunt alia quæ ſervat ſolis amicis: Externa omnia permixtè data ſunt & bonis & malis.* Sic ipſe Chriſtus, *Deus facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Quantumvis igitur apud infideles & impios modus utendi hiſce temporalibus ſit plerunque injuſtus; titulus tamen habendi poteſt eſſe juſtiſſimus. *Rat.* 1. *In Pſalm. 66. pag. 685.* Matt. 5. 45.

Ad hanc rationem corroborandam & illud facit, quòd videmus Deum communicare ſe multis hominibus in *naturalibus* donis & *politicis*, quibus non ſe communicat in *ſpiritualibus*. Quamplurimis dat vitam *naturalem*, quibus non dat *ſpiritualem*; dat prudentiam *politicam*, quibus non dat *ſalutiferam*. Poſtulare igitur videtur divinæ bonitatis & ſapientiæ ratio, ut quibus vitam temporalem conceſſit, illis etiam concedat dominium in res temporales; quibus dona dedit ad bonum Reipublicæ promovendum apta & idonea, illos non excludat à juſta dominandi poteſtate. Neque excluſit, ſi Scripturis credamus: in quibus Deus agnoſcit ſe dominium regale dediſſe [a] Cyro: Chriſtus oſtendit verum & legitimum imperium fuiſſe datum [b] Cæſari: [c] Paulus & [d] Petrus Neronis dominium divinâ ordinatione conſtitutum & confirmatum fuiſſe confitentur. *Rat.* 2.

[a] Eſa. 45.
[b] Matth. 22.
[c] Rom. 13.
[d] 1. Pet. 2.

Tertio in loco accedat & illud, Ad legitimum dominium ſufficere, ſi quis pervenerit in poſſeſſionem ejus per illa media quæ bonis legibus probantur. Hinc Auguſtinus rem quamlibet terrenam rectè à quoquam poſſideri poſſe affirmat, vel jure divino, quo cuncta juſtorum ſunt, vel jure humano, quod in poteſtate Regum eſt terræ, Epiſt. 48. prope finem. Qui igitur ſucceſſione, electione, emptione, donatione, aut conſimili modo jus ſibi in hiſce rebus temporalibus acquiſiverit, is juſtus dominus, & bonæ fidei poſſeſſor, non ab hominibus ſolummodo, ſed ab ipſo Deo judicatur. Quod indè liquet, quia Dei lex furti illum arguit, qui quemvis hominem bonis hiſce ſuis deſpoliet. Huc ſpectant illa Auguſtini, *Unde quiſque poſſidet quod poſſidet? nónne jure humano? Nam jure humano dicitur, Hæc villa eſt mea, hæc domus mea, hic ſervus meus. Quare? Quia ipſa jura humana per Reges ſeculi Deus diſtribuit generi humano.* Quandoquidem igitur jura humana tribuunt impiis verum in res ſuas dominium, eâdem operâ Deus ipſe tribuere putandus eſt. *Rat.* 3. *In Evang. Joan. tract. 6. pag. 60. tom. 9.*

Porrò, cùm gratia Dei ſit inviſibilis, ſi in ea fundaretur dominium, nemo abſque ſpeciali revelatione cognoſceret, quis Rex legitimus, aut quis cujuſlibet rei verus dominus haberetur. Hinc omnia confuſionis & turbarum pleniſſima fore, nemo *Rat.* 4.

non facilè animadvertit. Deus ergò, qui pacis & ordinis autor eſt, dominii jus non in re quæ fugit aciem intellectûs humani, ſed in ſigno aliquo externo & evidenti, quod ab hominibus agnoſci poſſit, proculdubio collocavit. Hujuſmodi ſignum eſt, non gratia, quæ in corde habentis deliteſcit; ſed electio, ſucceſſio, cæteráque (de quibus modò diximus) quæ aliis facillimè innoteſcunt.

Rat. 5. Poſtremò, qui negant dominium legitimum eſſe penes illos qui carent gratiâ ſupernaturali, negare debent, poſſe quenquam quicquam ab illis emere, aut accipere: nam legitimum dominium baſis eſt omnium contractuum qui ſecundum commutativam juſtitiam celebrantur. At è contrà novimus, juſtiſſimum Abrahamum à Chittæis agrum, Jacobum ab Ægyptiis frumentum coëmiſſe. Quo facto agnoſcebant illos idololatras ſuarum rerum temporalium legitimum dominium obtinuiſſe. Neque unquam legimus ullum ſanctum titulo gratiæ involâſſe in bona impiorum, aut novum aliquod jus temporale ſibi vendicâſſe.

Sed qui dominium temporale in gratia fundatum tenent, multis argutiis id evincere conantur: quarum præcipuis occurremus.

Object. 1. Argutantur, Omne dominium juſtum quoad homines præſupponere etiam jus quoad Deum: quo jure carere putant eos omnes qui carent gratiâ ſanctificante.

Solutio. Sed nos haud veremur affirmare, Dominium ipſorum Ethnicorum in res temporales, etiam quoad Deum cenſeri juſtum & legitimum, quoties per media juſta & legitima illud ipſum adepti ſint. Rationem antea attigimus; quia Deus ipſe probat leges humanas in bonum generis humani conditas, quarum beneficio hæreditates, regna, imperia, non minùs ad Ethnicos & infideles, quàm ad Chriſtianos & ſanctos devolvuntur.

Object. 2. Urgetur & illud, Qui habent juſtum dominium in res temporales, poſſunt etiam & juſtè illis uti: Nemo autem gratiæ expers aliquid juſtè agit, quia ipſe plenus eſt injuſtitiâ & impietate; utì videtur innuere Auguſtinus.

Auguſt. epiſt. 54. prope finem.

Solutio. Reſpondeo, Aliud eſt jus dominii in poſſidendo, aliud juſtitia dominantis in utendo: illud ſpectatur ex modo adipiſcendi dominii, hæc ſita eſt in modo adminiſtrandi; quæ duo nullo neceſſariæ connexionis vinculo copulantur. Quanquam & illud etiam ambiguè dicitur, Hominem ſupernaturali gratiâ deſtitutum nihil juſtè agere poſſe. Si juſtitiam intelligimus ſpiritualem, atque ad præmium vitæ æternæ ordinatam; nihil verius: ſi juſtitiam civilem, ad Reipublicæ pacem & utilitatem promovendam conducentem; nihil falſius. Qui enim privatim impiè vivendo ſuæ ſaluti malè conſulit, publicè bene imperando, aliorum utilitati ſæpiſſime inſervit.

Object. 3. Ad hæc inſtant; De ratione dominii eſt, ut qui dominus cenſetur,

ſetur, verè imperet illis rebus in quas habet dominium: ſi autem gratia abſit, nemo hiſce temporalibus rebus dominatur, ſed turpiſſimè ſubjicitur. Sola igitur gratia videtur verum dominium conferre; quia illa ſola efficit ut homo verè dominetur creaturis, dum ſubjicitur Creatori.

Diſtinguo dominium, in *Evangelicum* ſeu *ſpirituale*, & *politicum* ſeu *temporale*. Agnoſco eſſe de ratione prioris dominii, conferre facultatem ſpiritualiter dominandi in haſce res temporales, ad finem ſpiritualem: ſed poſterioris dominii adæquatum effectum eſſe aſſero, tribuere facultatem aſſumendi hæc temporalia in uſus temporales: atque hoc ſenſu quoad uſum externum verè dominantur his rebus mundanis, qui quoad affectum internum iiſdem inſerviunt. *Solutio.*

Denique objiciunt, Transfugas, & Majeſtatis læſæ reos, amittere jus omne & dominium in ea quæ Regis beneficio tenebant: quiſquis autem gratiâ caret, & peccato ſervit, transfuga fit in caſtra diaboli, & reus læſæ Majeſtatis divinæ; non habet igitur dominium in ullas Dei creaturas, nec præſtandum eſt illi ullum obſequium ab amicis & filiis Dei. *Object.* 4.

Si de *merito* quæratur, concedo impios rebellione ac proditione hac ſuâ ſpirituali mereri non modò ut ſpolientur omni jure quod habent in creaturas, ſed ut conſumantur prorſus & in nihilum redigantur: ſin de *facto* loquantur, dico Deum, pro infinita ſua bonitate, hiſce proditoribus non ſtatim omnia ſua bona abjudicare. Negat revera talibus panem filiorum, hoc eſt, amorem ſuum paternum, atque eximia illa bona gratiæ & gloriæ: ſed vult illos retinere micas catulorum, hoc eſt, bona naturæ & hujus mundi. Neq; prohibentur fideles debita obſequia præſtare hiſce proditoribus, quando ab ipſo ſupremo Rege non modò tolerantur, ſed etiam temporali poteſtate armantur. Sed hoſce mittamus, atque confligamus pauliſper cum Jeſuitis, contra quos poſterior noſtra hæc theſis militabit; *Solutio.*

Reges, qui à fide Romanæ Eccleſiæ, aut obedientia Romani Pontificis recedunt, non amittunt jus regnandi, neque poſſunt per ullam Pontificis Romani ſententiam dominio ſuo abdicari. *Theſis* 2.

Cauſam tam præclarè à multis actam non agam multis. Prima ratio hæc ſit: Poteſtas Regia, ex natura rei, neque fidem, neque aliud donum gratiæ ſupernaturalis neceſſariò requirit; ſed in electione, ſucceſſione, aliiſve modis quibus juſtum dominium comparatur, firmiter fundari, ac ſufficienter ſtabiliri poteſt. Cùm igitur Chriſtianæ fidei ſuſceptio non mutet naturam, neque infringat jus Regalis dominii; in Chriſtiano principe ex fide non pendebit, ſed, manente proprio ſuo fundamento, quicquid ſit de fide, manebit inconcuſſum. Rectè Gerſon, *Dominium in ſubditos non amittitur, niſi amiſſo eo in quo fundatur.* *Rat.* 1. *De vita ſpirit.*

Sed illud etiam quæro, Si ſoli Reges Chriſtiani, eò quòd *Rat.* 2.

fidei & Eccleſiæ ſe ſubmiſerunt, per hæreſin aut inobedientiam excidant ſuo dominio, Quo peculiari jure id fiat. Non divino: neque enim ex Scripturis deduci poteſt, Regem hæreticum aut præfractum per Petri ſucceſſorem eſſe deponendum. Non humano: nam humana jura à Regibus vim ſuam habent, qui nil tale in ſuum præjudicium decreverunt. Non Eccleſiaſtico: nam antiqua & orthodoxa Eccleſia non modò Imperatoribus Paganis, ſed etiam hæreticis jus dominii incolume & intactum ſemper reliquit. Non alio igitur jure Papa hoc vendicat quàm Antichriſtiano, cujus conditor fuit Hildebrandus, qui Satanam imitatus, ſe hujus mundi regna univerſa pro imperio auferre & dare poſſe jactitavit.

Platin. in vita ejus.

Rat. 3.

Sed obtendunt Romanenſes, Non modò *utile*, ſed planè *neceſſarium* eſſe, ut Principum Chriſtianorum dominium temporale ità pendeat ex arbitrio Pontificis, ut propter fidem violatam poſſint per ejus ſententiam judiciariam ſuo dominio ſpoliari: niſi enim hoc admittamus, quis ſuccurret Eccleſiæ laboranti ſub tyrannide & perfidia Principum hæreticorum? E contrà nos pertendimus, nec *neceſſarium*, nec *utile* eſſe Eccleſiæ, ut talis poteſtas reſideat in Pontifice.

Non eſt *neceſſaria* hæc poteſtas diſſolvendi regna: fac enim Regem aliquem ab orthodoxa fide deficere, fac ſuam hæreſin ſubditis obtrudere; Cui ignotum eſt, impia Regum mandata obligationem non inducere? Cui incognitum, primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos patiendo & moriendo, non pugnando aut rebellando contra Paganos & hæreticos Imperatores, fidei integritatem conſervâſſe? Obſervavit illud Auguſtinus; *Cùm Reges pro falſitate contra veritatem conſtituunt malas leges, probantur & coronantur bene credentes.* Non dixit, Ab illorum juſto dominio liberantur credentes, ſed, Sub illorum injuſta crudelitate probantur.

Epiſt. 50.

Sed *inutilis* inſuper, imò *noxia* eſſet talis poteſtas in Paſtore ſpirituali, qualem Pontificem Romanum eſſe perhibent. *Inutilis* ſiquidem atque inanis eſt illa potentia, cui media non conceduntur quibus exeat in actum. Chriſtus autem hiſce Pontificibus Romanis nullos ſatellites, nullos exercitus ſubjecit, quibus ſolis (niſi ad miracula confugiamus) Reges ab imperio deturbari poſſint. Quinetiam *noxia* Eccleſiæ eſſet talis poteſtas; Regum enim animos ab Eccleſia & religione Chriſtiana magis alienos faceret, cùm intelligerent ſe hoc ipſo pejore jure regnare, ſi Chriſtiani ſint. Ut verbo abſolvam, demus adverſariis, in Rege quovis Chriſtiano dominium temporale cum orthodoxæ fidei profeſſione ità connexum eſſe, ut mereatur exui dominio ſuo quiſquis fidem excuſſerit; quid indè lucrantur Jeſuitæ? Sit pœna hæc juſta, Epiſcopus tamen Romanus non habet juſtam autoritatem eandem infligendi. Hujus ordinis reos, non Eccleſiaſtico,

Aquin. 2. 2. quæſt. 12.

cleſiaſtico, ſed ſuo foro Deus reſervavit, quod attinet ad pœnas temporales. Nam claves Eccleſiæ non dant Epiſcopis dominium in bona privatorum, multo minùs in ſceptra Regum. Occami ſententia hanc litem terminabit; *Nullus poteſt dotis ſtatuere, ſuper quæ conſtat ipſum dominium non habere:* unde irritum & inane eſt quicquid ſtatuit Papa de Regum temporalibus auferendis, ſuper quæ conſtat illum à Chriſto poteſtatem prorſus nullam accepiſſe.

Quæstio XXXI.

Omne peccatum est suâ naturâ mortiferum.

[a] Deut. 27. 26.
[b] Ezech. 18. 4.
[c] Rom. 6. 23.
[d] 1. Cor. 15. 56.
[e] Jac. 2. 10.

FUndamenta sententiæ nostræ sunt hæc clarissima Scripturarum testimonia. [a] *Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.* [b] *Anima quæ peccaverit morietur.* [c] *Stipendia peccati mors.* [d] *Stimulus mortis peccatum.* [e] *Qui offenderit in uno, reus est omnium.* Ex quibus licèt non deducamus paritatem peccatorum aut suppliciorum; rectè tamen deducimus quorumlibet peccatorum naturam mortiferam esse, si ex propria sua ratione & legis rigore spectentur. Papistarum igitur figmentum oppugnamus, qui peccatum veniale definiunt, Quod, sine ulla relatione, vel ad misericordiam Dei, vel ad statum personæ peccantis, ejusmodi est, ut ex natura sua mereatur pœnam solummodo temporalem. Nos è contrà de omnibus peccatis universim affirmamus, esse ea suo merito mortifera, atque de facto mortis inductiva, nisi pœnitentiæ & gratiæ antidotum lethale eorundem virus expellat.

Bellarm. de Amiss. grat. lib. 1. cap. 9.

Demonstratur ab ipsa natura peccati; Cujus formalis ratio in eo sita est, quòd recedit ab illa regula divinæ legis, cui, sub pœna æternæ mortis, omnes vitæ nostræ actiones conformare tenemur. Hinc Joannes Apostolus peccatum ἀνομίαν, id est, *legis transgressionem*, appellavit: atque Aquinas de ratione peccati esse statuit, quòd regulæ actionis nostræ, hoc est, legi divinæ, opponatur. Peccatum igitur nec vocari debet, nec intelligi potest, quod cum lege Dei non pugnat: quod autem huic repugnat, ex sua natura æternæ morti peccatorem subjiciat est necesse. Papistæ putant se nervos hujus argumenti elidere, dum respondent, Peccata quæ vocantur *venialia*, ità à lege divina discrepare, ut sint *præter legem* solummodo, non *contra legem*. Nil fingi potuit ineptius. Si enim hæc peccata prohibeantur, contra legem sunt: nam contra legem is facit, qui facit quod lege prohibetur. Si non prohibeantur, nè peccata quidem omnino æstimanda sunt. Hisce igitur peccatis Præterlegalibus nullus locus relinquitur.

1. Joann. 3. 4.
Quæst. disp. de pecc. art. 1.

Sic

Sic Auguſtinus, *Peccatum eſt dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei.* Sic Bernardus, *Omne peccatum contra mandatum Dei præſumitur.* Sic ipſi Pontificii ſaniores, Durandus, Gerſon, aliique. Cùm igitur omne peccatum violet æternam Dei legem; utri credemus? Paulõne affirmanti, *Stipendium peccati mors?* an Bellarmino vociferanti, *Stipendium peccati pœna temporalis?* Cont. Faust. 22. 27. De Præc. & disp. cap. 14.

Pergamus à natura ipſius peccati, ad pœnæ debitæ naturam conſiderandam. Verum eſt, & in Schola receptum, Duratio pœnæ reſpondet durationi culpæ, non ex parte actûs tranſeuntis, ſed ex parte maculæ atque reatûs permanentis. Si igitur, excluſâ gratiâ & miſericordiâ Dei, macula cujuſcunque leviſſimi peccati æterna eſt, & reatus æternus; apertè conſequitur, quodlibet peccatum in ſua natura conſideratum à regno Dei in æternum excludere, & peccatorem æternis ſuppliciis ſubjicere. Theologicè Cajetanus, *Nullum peccatum eſt remißibile poſitivè, quaſi jure poſſet ſibi remißionem vendicare: ſed remißibilitas & irremißibilitas attenduntur penes ſtatum ſubjecti.* Si peccator ponatur in ſtatu gratiæ, peccatum quodlibet, quantumvis ex ſua natura mortiferum, non erit æternæ mortis inductivum; interveniente nimirum pœnitentiâ, gratiâ, ac miſericordiâ Dei, quæ abſtergit peccati maculam, & reatum ſolvit: at ſi extra gratiam conſtituatur, quodlibet pertrahet in æternam damnationem; quia macula cujuſlibet & reatus adhærebunt animæ in æternum. Impiè igitur affirmat Bellarminus, peccata venialia non ſolùm in hominibus juſtis; ſed etiam in ipſis impiis eſſe poſſe. Det mihi impium & infidelem, qui abſque gratia & miſericordia purgare ſeipſum poſſit à reatu & macula cujuſcunque vel leviſſimi peccati, atque fatebor illico dari peccatum aliquod ex natura ſua veniale. In 2. 2. quæſt. 87. art. 5. De Amiſſ. grat. lib. 1. cap. 11.

Jam, tertio in loco, condonationis ſive veniæ naturam perpendamus: nam indè patebit, omne peccatum eſſe ſuâ naturâ mortiferum. Omnes enim in animo habemus hanc informatam veniæ notionem, ut deſignet actum clementiæ divinæ: quod autem Deus facit ex clementia ſeu miſericordia, id potuit ſecundum juſtitiam abſolutè non feciſſe. At ſi ex natura ſua peccato alicui pœnæ terminatio debeatur, niſi crudelem & injuſtum ſe exhiberet, tali peccato non potuit non veniam indulgere. Poſtulat etenim juſtitia ut tandem aliquando ab eo puniendo ceſſetur, cujus culpa æternam pœnam non meretur. Deus igitur, cùm tandem deſiſtit à punitione hujus peccati, non facit actum miſericordiæ; quia ſi non deſiſteret, incideret in crimen ſævitiæ. Præclara ſcilicet defenſio; quæ, ut aliquod peccatum ex ſua natura veniale eſſe obtineat, ipſius veniæ ac miſericordiæ divinæ naturam evertit.

Hiſce rationibus quartam adjicio, ductam à conſideratione naturæ divinæ, in quam omne peccatum committitur. Deus eſt

eſt infinitæ majeſtatis & bonitatis: qui igitur talem majeſtatem imminutum it quantulacunque tranſgreſſione, infinitam pœnam incurrit: nam juxta qualitatem perſonæ læſæ, criminis admiſſi gravitatem ponderare, & pœnam ſolemus imponere. Quid quòd mutua ſemper proportio eſt inter obligationem ad officium, & tranſgreſſionem; atque porrò inter tranſgreſſionem & punitionem: Cùm igitur ad Deum infinitum ſit infinita cujuſcunque hominis obligatio, infinita erit quælibet contra illum tranſgreſſio, infinita etiam cujuſcunque tranſgreſſionis punitio. Quid contra hæc tam perſpicua afferre poſſunt Pontificii?

Contendunt primò, dari quædam peccata ex ipſo genere minimè mortifera; quia non pugnant cum charitate: atque in his numerant verbum otioſum, riſum immodicum, & conſimilia. At aliter ſenſit Chriſtus, qui, niſi in hoc ſeculo remittatur, cujuſlibet verbi otioſi rationem reddendam docuit in extremo judicio, quando venialibus peccatis ac temporalibus pœnis locus nullus relinquetur. Neque illud rectè dicitur, Hujuſmodi peccata non pugnare cum charitate. Revera non expectorant, aut expugnant charitatem hominis renati, ſed pugnant tamen cum illa perfecta charitate quam lex imperat, & oriuntur ab illa inordinata concupiſcentia quæ eſt charitati & legi divinæ contraria. Denique in eo labuntur adverſarii, quòd peccati naturam mortiferam ex ſola extinctione charitatis dijudicant, cùm illa in qualibet declinatione à charitate & lege divina ſe exerat.

Secundò cauſantur, nonnulla peccata ex ipſa parvitate materiæ eſſe venialia: ut ſi quis proximo ſuo unum ſolummodo obolum ſuffuretur. Sed ubicunque reperitur manifeſta inobedientia divini mandati, ibi parvitas materiæ non poteſt mortiferam peccati naturam immutare. In parva materia peccavit Adamus, quando unius pomi fruſtulum guſtavit: at nihilominus reatum contraxit mortiferum, quia præceptum Dei violavit. Sic in parva materia peccat, qui unum obolum ſurripit proximo: at mortali tamen reatu ſe conſtringit, quia legem illam Dei tranſgreditur, quæ clarè vetuit vel *concupiſcere* quicquid proximi eſt, nedum *furari* & *auferre*. Auguſtini igitur conſilium hîc amplexandum, *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro, dicentes, Hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, & in illa appendamus peccata, vel potiùs à Domino appenſa recognoſcamus.* Cont. Donat. 2. 6.

Poſtremò, argutantur ex ipſa imperfectione operis, quædam peccata pro *venialibus* habenda eſſe, non pro *mortiferis*. Talia ſunt motus ſubiti inordinatæ concupiſcentiæ, qui ſurrepunt ſæpiſſime nobis imprudentibus. Hujuſmodi peccata, cùm non ſint perfectè voluntaria, neque perfectè ſunt peccata: ac proinde pœnam æternæ mortis, quæ eſt omnium pœnarum perfectiſſima,

non meminit. Nihil valeat hæ argutiæ: quia voluntarium reputatur, non modò quod expressè & actuali voluntate committitur, sed quod ab ipsa voluntate non impeditur, quando tenetur impedire: tenetur autem voluntas imperare rationi ut pervigil sit in comprimendis omnibus inordinatæ concupiscentiæ motibus. Neque, ut isti somniant, imperfectè peccati naturam participat, quod ex diametro repugnat huic perfectissimo mandato, *Non concupisces.* Nè nimius sim, concludam cum doctissimo Gersone: *Omne peccatum, pro quanto est offensa Dei, & contra legem ejus æternam, est de sua conditione & indignitate mortiferum, ac secundum rigorem justitiæ à vita gloriæ separativum.*

De vit. spir. lect. 1. pag. 319.

T Quæstio

Quæstio XXXII.

Consilia, quæ vocantur Evangelica, habent quandoque vim præcepti.

MUlta consilia Evangelica celebrantur à Papistis; sed tria præcipuè, ad quæ, tanquam ad eximia supererogationis opera, Monachi omnes solenni voto astringuntur. Primum est illud consilium cœlibatûs, seu continentiæ virginalis: quod fundatum putant in illis Christi verbis, *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Matth.19.12. Secundum est voluntariæ paupertatis: quod deducunt ex illo Salvatoris dicto ad adolescentem, *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Ibid. vers.21. Tertium & ultimum est regularis obedientiæ: quod inferre conantur ex Christi verbis ad Discipulos, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Luc.9.23. Hæc omnia dicunt esse opera perfectionis, non præcepto aliquo alicui impositа, sed uniuscujusque arbitrio relicta: quæ si omittantur, reatum nullum inducunt; si autem fiant, singulare præmium afferunt. Hæc illi. Nos è contrà affirmamus, nullum opus esse Deo gratum, & ad præmium vitæ æternæ acceptum, nisi à Deo præceptum sit, aut lege communi, aut speciali quadam vocatione, & privatâ quasi lege Spiritûs sancti: quam quisquis rejicit, graviter peccat.

Ad singula jam descendamus; ac primò, quod attinet ad cœlibatum, seu virginitatis statum, agnosco non extare commune aliquod præceptum, quod ex æquo omnes solet obligare; atque hoc respectu, vitam ducere virginalem, in genere, res *consilii* est, non *præcepti*. Sed illud jam appono; Cùm ad hanc vel illam particularem personam descenditur, particularis vocatio Dei, impulsio Spiritûs sancti, conscientia accepti doni, efficiunt ut illud Hîc & Nunc ab hac Individua persona non possit omitti sine peccato, quod universim consideratum relinquitur sub arbitrio.

Nam

Nam Apoſtolus, qui præceptum non habet de virginitate, præcipit tamen, *Ut unicuique donum partitus eſt Deus, ut unumquemq; vocavit Dominus, ità incedat.* Atque ipſi Scholaſtici confitentur, homines pios & religioſos amplecti opera Conſiliorum, non nudo liberi ſui arbitrii motu, ſed arcano Spiritûs ſancti impulſu, qui illos ad hæc opera excitat, corroborat, & per donum Conſilii dirigit: unde perſpicuè colligitur, abſque reatu peccati non poſſe à talibus taliter vocatis omitti. *Qui moventur per inſtinctum divinum, non expedit conſiliari ſecundum rationem humanam, ſed quòd ſequantur interiorem inſtinctum, quia moventur à meliori principio quàm ſit ratio humana.* Atque Cajetanus dicit, *Contemnere Deum Conſulentem, eſſe peccatum mortale, ſicut & contemnere Præcipientem.* Qui autem poteſt eſſe manifeſtior contemptus, quàm reniti Spiritui ſancto vocanti ad perfectiora, & per dona ſingularis gratiæ corroboranti? Sed Thomas planiſſimè hoc docuit in Opuſculo, contra retrahentes homines ab ingreſſu religionis: *Si voci Conditoris exterius prolatæ ſtatim obediendum ſit, tum multò magis interiori locutioni, quâ Spiritus ſanctus mentem immutat, reſiſtere nullus debet, ſed abſque dubitatione obedire.* Et cap. 10. *A Spiritu ſancto, qui eſt Spiritus fortitudinis & pietatis, hoc propoſitum homini inſpiratur, & ab eodem, qui eſt conſilii & ſcientiæ Spiritus, deliberatio interius miniſtratur.* Ex hiſce patet, eos omnes, qui ritè amplectuntur ſtatum virginitatis, aut alia opera quæ *perfectionis* dicuntur, id fecere ductos privatâ lege, quæ eſt *lex Spiritûs ſancti* (ut loquitur Urbanus Papa;) ac proindè non ſine peccato negligi poteſt. Hæc de conſilio continentiæ virginalis.

1. Cor. 7. 17.

Aquin. 1. 2. *quæſt.* 68. *art.* 1.

2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 2

Opuſc. 17. *cap.* 9.

Aquin. ibid. cap. 11

Cauſ. 19. *quæſt.* 2.

Quod ad paupertatem voluntariam, ſive proprietatis abdicationem ſpectat; quoad præparationem animi ſemper eſt de neceſſitate præcepti; quoties etiam juſtitiæ & fidei cauſa efflagitat, ipſa actualis deſertio omnium rerum temporalium cadit ſub præcepto: ſed Monaſtica illa paupertas quæ dicis cauſâ proprietati renuntiat, divitiarum verò uſum affluentem ſibi reſervat, Chriſto nec præcipiente nec conſulente ſuſcipitur.

Poſtremò, ad obedientiam quod attinet, verè religioſam, quæ Deo, parentibus, & legitimis ſuperioribus debetur, lex Dei arctiſſimè præcipit: ſed cæcam illam, ſuperſtitioſam, & Monaſticam, quâ quis ſuam voluntatem alienæ prorſus ſubjicit, aut regulæ humanitus inventæ obſervatiunculis merendi & Deo ſatisfaciendi opinione ſeipſum ſubdit; talem (inquam) Deus nunquam juſſit, Chriſtus ſæpe damnavit.

De cæteris operibus, quæ à Papiſtis vocantur opera Perfectionis, Conſilii, aut Supererogationis (quale fuit illud Pauli, quando gratis prædicabat Evangelium; qualia infinita fieri poſſunt à piis, charitate imperante, prudentiâ dirigente) de talibus dico, Internum actum ſive affectum animi (abſque quo externum

opus res nihil est) esse sub præcepto: internum autem actum voco studium gloriæ divinæ, & amorem proximi, ad cujus salutem promovendam externa actio adhibetur. De hac interiori parte operis rectè Aquinas, *Dilectio Dei & proximi non cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram, ità ut id quod plus est sub consilio relinquatur.* Hîc itaque nullus supererogationi aut consilio locus invenitur. Secundò, ipsum externum opus, quod nominatim nullo præcepto injungitur, tamen mediante dictamine prudentiæ Christianæ, atque imperio charitatis, ad præceptum necessarium diligendi Deum & proximum in speciali hoc casu revocatur. Verbi causâ, Lex Dei non jubet Ministros ἰδίοις ὀφθαλμοῖς φρονεῖν. Veruntamen cùm Paulo præsentes circumstantias consideranti prudentia Christiana dictaverit, Si mercedem acceperis, divinæ gloriæ obstabis, cursum Evangelii retardabis, infirmos fratres à Christo alienabis; Lex charitatis statim præcipit, ut divinæ gloriæ, & animarum saluti, potiùs quàm privato suo commodo, prospiciat. Nam quamvis in circumstantiis liberis ordinariè sufficiat (non inito accurato examine quid maximè expediat) solummodo quod licitum est facere, quòd prohibitum vitare: tamen quoties res ipsa loquitur, & propria conscientia clamat, Hoc, quod suâ naturâ liberum relinquitur, summopere expedire aut non expedire ad gloriam Dei & salutem proximi; quod in se fuit arbitrarium, ex accidente officii necessarii naturam assumit. Atque sic videtis, ea, quæ *consilia* haud incommodè dicantur, si operis speciem consideremus, fieri tamen posse *præcepta* aliquando, si speciales circumstantias pensitemus.

2.2. *quæst.* 184. *art.* 3.

1. Cor. 9. 7.

Quæstio

Quæstio XXXIII.

Remissâ culpâ remittitur poena.

VEriſſimum hoc pronuntiatum Pontificii explodunt, neque ſine cauſa. Nam ſi, unà cum remiſſione culpæ, pœnam quoque ſemper remitti ſtatuamus, ignem purgatorium extinguimus, indulgentias Papales abrogamus, preces pro defunctis inanes eſſe monſtramus, perpetuas denique illas & fructuoſiſſimas Miſſarum nundinationes prorſus evertimus. Hæc Papiſtæ æquo animo ferre nequeunt; ſed qui veritatem dogmatum ex Verbo Dei, non ex ſuo lucro metiuntur, facilè intelligent, cum remiſſione culpæ remiſſionem pœnæ neceſſariò & indivulſè eſſe connexam. Quod patet multis argumentis.

Primò, Ex juſtitiâ Dei, quæ nunquam infert vindictam pœnæ, niſi aſpectu ad reatum culpæ. Qui enim pœnam ſatisfactoriam expoſcit ab illo qui non eſt reus, ſed ab omni culpa jam immunis & purgatus, is non *juſtitiæ*, ſed *ſævitiæ*, aut ſaltem *abſolutæ potentiæ* actum exercet.

Secundò, Idem colligitur ex natura ipſius rei. Quid enim aliud eſt, peccatum ſive culpam remittere, quàm illud ad pœnam haud ampliùs imputare? Qui igitur dicit Deum culpam remittere peccatori, ſed pœnam haud relaxare; eâdem operâ defendat Regem poſſe proditori crimen remittere, & eum nihilominus ob idipſum ad metalla vel triremes damnare.

Tertiò, Hoc etiam evincitur ex modo quo Chriſtus ſuſcepit in ſe peccata noſtra: quod non aliter fecit quàm ſuſcipiendo in ſe, & portando illorum pœnam. Si igitur noſtram vicem pœnas ſuſtulit, proculdubio & abſtulit. Sic Propheta Eſaias, *Vulneratus eſt propter peccata noſtra — & livore ejus ſanati ſumus.* Eſai. 53. 5. Quomodo tandem ſanati, ſi, non obſtante Chriſti paſſione & ſatisfactione, ob peccata noſtra acerbiſſimis pœnis ſumus excruciandi?

Quartò, Sententia noſtra confirmatur ex effectu ſatisfactionis

Christi: nam proprium hujus effectum, est Deum reconciliatum & pacatum reddere erga quemlibet fidelem & verè pœnitentem. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, Rom. 5.10. *Justificati ex fide pacem habemus apud Deum*, Rom. 5.1. Si autem pœna non remittatur pœnitentibus, sed in satisfactionem Dei sunt adhuc torquendi & cruciandi; perspicuum est, Deum non esse per Christum illis reconciliatum & pacatum.

Denique, Indè etiam concluditur sententia nostra, Quòd Deus debita nostra non minùs gratuitò & plenè nobis dimittit, quàm docuit nos debitoribus nostris dimittere. Sed voluit Deus ut fratribus in nos peccantibus ità culpam remitteremus, ut simul voluntatem inferendæ vindictæ deponeremus. Non ergò diminutam & verbalem remissionem pœnitentibus concedit, sed plenariam & veram, quæ tam à culpa quàm à pœna liberat.

Sed adversarii sententiam hanc nostram oppugnant magnâ copiâ exemplorum; atque ostendunt Mosem, Davidem, aliósque à Deo post remissionem culpæ fuisse punitos. Verùm, nè æquivocatione ludamur, sciendum est, Rationem pœnæ propriè dictæ (de qua instituitur præsens disputatio) ex causâ finali semper esse desumendam. Quæ enim infligitur à Deo tanquam Judice vindicante, eâ intentione ut justitiæ ejus satisfiat, habet veram & propriam pœnæ rationem: Talem autem pœnam negamus Mosi, Davidi, aut ulli fidelium post remissionem culpæ inflictam fuisse. Quæ verò infligitur ab eodem Deo tanquam Patre providente, eâ intentione ut filiorum suorum saluti prospiciat, *medicina* non *pœna* naturam obtinet. Talem autem concedimus sæpissime imponi pœnitentibus post culpam remissam. Quemadmodum igitur cùm Judex, in vindictam culpæ, jubet ut falsario manus abscindatur, veram & propriè dictam pœnam illi imponit; cùm verò medicus idem jubeat alio animo, non *pœna* sed *medicina* censetur: sic cùm improbi & impœnitentes flagellantur, pœnas dant divinæ *justitiæ*; cùm pii & pœnitentes post adeptam remissionem eadem flagella patiuntur, sentiunt effecta non *iræ* divinæ sed *curæ*, non *vindictæ* sed *medelæ*.

Hebr. 12. 5, 6, 7, 8, 9, 10, &c.

Quæstio XXXIV.

Nemo potest de congruo mereri primam gratiam divinam.

MEritum hoc de congruo, Papistis quibusdam fatentibus, est meritum quoddam diminutum, improportionatum, quódque aptiùs *impetratorium*, vel *præparatorium opus*, quàm *gratiæ meritorium* appelletur. Hanc enim hujus meriti efficaciam statuunt, quòd Deum oblatâ quasi tenui quadam occasione provocet ad gratiam suam conferendam: quódque hominem ipsum, sublato quodam obice, dispositum reddat ad eandem recipiendam. Hinc illud Scholasticorum, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Facit autem quod in se est, qui deserit actum peccati, voluntatem peccandi, & conatur in bonum, vel convertere se ad Deum: Qui hæc fecerit, dicunt illum mereri gratiam hoc merito congrui: quia congruum est, ut homini facienti secundum virtutem suam Deus retribuat secundum excellentiam virtutis suæ: quia insuper incongruum esset, gratiam illis impertire, qui hæc facere negligunt, dum voluntarium obicem gratiæ opponunt. Est ergò hoc meritum congrui introductum à Scholasticis ut *ex parte hominum ostendatur aliqualis ratio, cur quibusdam detur gratia gratum faciens, quibusdam non.* Scotus aliquanto longius procedit, & absque hoc merito congrui Deum à προσωποληψία vix defendi autumat: *Nisi ponatur hæc dispositio de congruo ex naturalibus, difficile est salvare quòd apud Deum non sit acceptio personarum.* Sed hæc omnia sunt hominum planè ignorantium miseram servitutem humani generis sub peccato, gratuitam & specialem Dei misericordiam in liberandis electis à peccato, ipsam denique excellentiam gratiæ cœlestis quæ dat quasi novum esse peccatori.

Aquin. quæst. de Lib. Arb. art. 5.

Apud Scotum de Nat. & Grat. lib. 2. cap. 4.

Primò igitur, qui sentiunt hominem sub statu peccati, faciendo quod in se est, posse ex congruo promereri gratiam divinam, non animadvertunt hujusmodi homines esse adhuc inimicos

inimicos Dei & filios iræ: quæ autem fiunt à talibus, nullam omnino vim habent ad promerendum Deum, neque de *condigno*, neque de *congruo*. Persona siquidem facientis nec diligitur à Deo, nec diligit Deum; non facit opera sua ex amore Dei, non refert ad honorem Dei: nihil igitur incongruum facit Deus, quamvis tales operarios non dignetur munere gratiæ salutiferæ. Quid enim aliud Pelagius volebat, Quid aliud Catholici concedere recusabant, quàm meritum, quocunque modo sumptum, esse gratiæ justificantis antecedaneum, & ejusdem aliquo modo provocativum? Unde Fulgentius, *Injustè gratia dicitur, quæ non gratis datur hominibus, sed bona attribuitur voluntati.* Ad hæc falsum est quod isti sumunt quasi pro concesso, posse homines sub dominio Diaboli & peccati adhuc existentes (si velint facere quod in se est) affectu pio ad Deum se convertere, actum & propositum peccandi deserere. Nam primum & minimum initium in conatu nostro ad bonum est ipsa determinatio cogitationis ad illud: at *non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam boni, velut ex nobis ipsis; sed quòd idonei sumus, id ex Deo est.* Nam 2. Cor. 3. 5. verissimum est illud Augustini, *Percipiendæ gratiæ hujus, quâ justus fit qui prius injustus erat, merita nulla præcedunt; quoniam meritis impii non gratia sed pœna debetur.* Epist. 105. ad Sixtum.

Secundò, Qui hoc meritum congrui defendunt, ignorare videntur mysterium gratuitæ & specialis misericordiæ, quæ exerit se in omnibus salvandis. Hanc enim salutiferam Dei misericordiam ipse dispensat juxta beneplacitum voluntatis suæ, non juxta præparationes aut merita congrua voluntatis humanæ. *Miserebor quorum miserebor:* non dicit, Illorum miserebor, qui priùs faciendo quod in se est, ex merito congrui, ad salutiferæ gratiæ receptionem erunt dispositi: sed è contrà, *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Quod à Patribus orthodoxis contra Pelagianos semper fuisse defensum patebit. Augustinus totidem penè verbis, *Defendimus, contra novum Pelagianorum errorem, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed gratis dari, cui datur; quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: justo autem judicio non dari, cui non datur; quia non est iniquitas apud Deum.* Prosper in eandem sententiam, *Impietatis est affirmare, ipsam gratiam, quâ salvamur, aut bonis meritis rependi, aut malis arceri.* Ambrosius, de vocatione Gentium, lib. 1. cap. 18. *Omnibus hominibus causa percipiendæ gratiæ voluntas Dei est, apud quem ratio electionis abscondita est: ab ea gratia intipientibus meritis, quam accepere sine meritis.* Porrò, hoc meritum congrui, pullulans ex arbitrio humano, innuit quosdam homines, ante acceptam Dei gratiam, conatu proprio se discrevisse ab aliis, qui talem conatum non præstiterunt. At hoc repugnat dicto Apostolico, *Quis te discernit? quid habes quod non acceperis?* Hi enim vere respondere possent, Meritum congrui, ortum ex libero meo arbitrio, Rom. 9. 15. Ibid. vers. 16. De Prad. Sanctor. cap. 14. Resp. 8. ad Gall. 1. Cor. 4. 7.

arbitrio, me discrevit. Habui conatum ad bonum, quod non accepi ex plenitudine Christi, sed ex fonte naturæ, sive liberi arbitrii. Sed tale discrimen humanarum voluntatum ante infusionem gratiæ salutiferæ excludit Augustinus, ubi improbat illud dictum Pelagianum, *Omnes acceptures gratiam, si non eam suâ voluntate respuerent*: & ostendit hac in re, nulla merita humanæ voluntatis pensari; *quandoquidem illi, quibus gratia non datur, similem cum iis quibus datur habent causam.* Et Concil. Arausic. 2. can. 25. *Deus nullis præcedentibus meritis bonis fidem & amorem sui inspirat.* Epist. 107.

Postremò, qui ante gratiam meritum qualecunque gratiæ præsupponunt, dignitatem & excellentiam hujus cœlestis doni nunquam cogitârunt. Est enim hæc gratiæ prærogativa, quòd sit cujuscunque meriti, sive operis Deo grati, radix & principium: quòd autem principium meriti sub ipso merito cadat, est à sensu communi alienum. Huc accedit, quòd donum gratiæ planè superet naturam humanam, præsertim corruptam: *Quilibet* autem *ad id quod supra naturam suam est* (ut Schola loquitur) *Materialiter se habet solummodo, non Efficaciter.* Haud potest ergò peccator viribus arbitrii sui disponere seipsum ad supernaturale donum gratiæ, sed ab eodem Deo, à quo hoc donum infunditur, ipsa præparatio seu dispositio subjecti efficitur. Errant itaque Scholastici, qui idoneitatem ad gratiam quærunt in merito congrui, ipsam autem gratiam ex dono Dei: nam utraque à Deo habetur. Sed quia tandem animadverterunt Papistæ, crassum hunc Pelagianismum defendi non posse, novum commentum excogitârunt. Dicunt gratiam dupliciter accipi: vel enim designat quodcunque excitativum voluntatis, exhibitum homini ab ipsa divina providentia: vel denotat donum habituale in anima receptum. Si gratia capiatur priore sensu, agnoscunt neminem mereri primam gratiam; quia hæc prævenit omnem conatum humanum: si posteriore, affirmant liberum arbitrium hâc gratiâ præveniente excitatum posse ex congruo mereri gratiam justificantem, sive habitualem. Sed neque hoc admittendum est. Coloss. 1. 12. *Aquin.*

Nam primò, Nonnulli ex doctissimis Pontificiis reclamant, & expresse docent, nullam dispositionem præcedentem habitum gratiæ posse dici *meritum*, nec de *congruo*, nec de *condigno*: & Justificari hominem gratis, nihil aliud esse volunt, quàm justificari sine ullo merito prævio, procedente sive ex viribus naturæ, sive ex auxilio Dei excitantis. Nobis igitur haud persuadebunt, quod suis nondum persuaserunt.

Secundò, Qui ad meritum congrui auxilium gratiæ prærequirunt, si bene discutiantur, sub nomine gratiæ ut plurimum nil aliud intelligunt, quàm communia quædam auxilia, quæ secundum communem ordinem naturæ, & providentiæ divinæ,

omnibus promiſcuè adeſſe ſolent, etiam iis quibus χάρις σωτήριος Jeſu Chriſti nunquam illuxit. Nam Aquinas ægritudinem corporis, admonitionem alicujus hominis, quamlibet demique occaſionem externam, vocat *gratiam excitantem*. Huc igitur redit illorum ſententia, Ex ſolo libero arbitrio poſſe hominem promereri ex congruo gratiam juſtificantem, ſi quacunque occaſione excitetur: quod idem eſt ac ſi dicerent, Poſſe ſuis viribus id facere; nam occaſiones hujuſmodi ſupernaturales vires haud inſpirant voluntati.

2. Sent. diſt. 28. quæſt. 4.

Poſtremò, non concedimus meritum congrui ex ſuppoſitione talis gratiæ excitantis; quia illa argumenta omnia quæ contra priorem ſententiam adhibita fuerunt, etiam contra hanc militant.

Nam qui ſunt ſub dominio Satanæ & peccati, non poſſunt tam facili operâ liberari ab hac captivitate: ſed, præter hujuſmodi excitamenta, ut recedant à voluntate peccandi, & ad Deum ſe convertant, requiritur talis gratia, quæ ſolvat vincula, & ſanare incipiat vulnera peccatorum; quæ novas vires inſpiret, veterem malitiam adimat libero arbitrio. Sicuti enim non ſufficit, captivum vulneratum, ad terram alliſum, & ferreis catenis revinctum, monere ut exeat è carcere, & redeat in patriam: ità non ſufficit, peccatorem terrenis affixum, vinculis peccatorum conſtrictum, & in peccatis mortuum, interno aut externo aliquo excitamento monere tantummodo, aut provocare, ut deſerat peccatum, & revertatur ad Deum. Ad hoc medelâ opus eſt, ſuadela non ſufficit: *voluntas* enim *non, niſi per infuſam gratiam, liberalem ſuſcipit ſervitutem, & ſervilem amittit libertatem*; ut ſcitè Proſper.

De gratia Dei contra Collatorem.

Dein, hæc ſententia non convenit cum alto illo myſterio ſingularis & gratuitæ miſericordiæ, quâ Deus ante jacta mundi fundamenta electos complexus eſt, quámque in tempore illis exhibet. Nam admiſſo hoc merito congrui, aut demerito, ſecundum quod detur gratia juſtificans, aut negetur, prout homines uſi aut abuſi fuerint prædictâ excitatione, totum myſterium electionis & reprobationis in diverſum actum humanæ voluntatis, applicantis ſe ad hanc excitantem gratiam, vel non applicantis, reſolvetur. At in confeſſo eſt apud ſaniores Pontificios, efficacitatem gratiæ pendere ex prædeſtinatione divina. Clarè id aſſeritur ab Aquinate, *Hoc ipſum velle accipere gratiam eſt ex prædeſtinatione divina*. Dominicus Soto etiam fatetur, illam diſpoſitionem, quam certò & infallibiliter ſequitur gratia juſtificans, eſſe effectum prædeſtinationis. Guilielmus Eſtius Profeſſor Duacenus, idem agnoſcit, in 1. Senten. diſt. 41. ſect. 6. *Per gratiam prædeſtinationis ſit ut oblatam gratiam quis acceptet, eâque bene utatur, & in eadem perſeveret.* Et in 2. Sent. diſt. 26. ſect. 33. *Gratia eſt proprius effectus prædeſtinationis*; *ergò ſi*

Quæſt. diſp. de Prad. art. 2. De Nat. & Grat. lib. 2. cap. 3.

gratia datur secundum merita, prædestinatio erit ex meritis. Apage ergò illud meritum congrui, quod communem gratiæ oblationem sic refert ad misericordiam Dei, ut interim justificantis gratiæ acceptationem & possessionem ad merita reducat liberi arbitrii.

Denique, prærogativam gratiæ salvantis hoc suo commento evertunt. Nam gratiæ proprius effectus est, non solummodo excitare ad bonum, per modum externæ aut internæ monitricis, sed habilitare & *roborare* ad illud perficiendum; imò dare ipsum velle & perficere. Gratiam esse liberi arbitrii solummodo monitricem, inter Pelagiana dogmata habetur: at Catholicorum sententia semper fuit, gratiam Christi propriè dictam esse bonæ voluntatis creatricem, & bonarum actionum operatricem. *Deus occultâ & mirabili potestate operatur in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed bonas voluntates*, ut rectè Augustinus: Et paulò pòst, *Desinat Pelagius dicere, Quòd possamus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit: quòd verò bene agimus nostrum est. Desinat, inquam, ista dicere. Non solùm enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis*, cap. 25. Sed clarissimè hoc docuerunt Episcopi Africani in sua epistola Synodica, ubi hæc verba habentur, *Deus in vivificandis hominibus nullum initium humanæ voluntatis expectat, sed ipsam voluntatem bonam faciendo vivificat.* Actum est igitur de merito congrui, quo præcedente, & quasi disponente, volunt peccatorem gratiâ justificante vivificari. Sed dicet aliquis, Nunquid igitur omnes conatus voluntatis humanæ explodemus? nunquid omnes præparationes & dispositiones ad gratiam justificantem prævias rejiciemus? Absit. Agnoscimus conatus nostræ voluntatis requiri, sed qui nulli sunt si non excitentur, vani si non adjuventur. Fatemur etiam Deum non solere gratiam justificantem & salutiferam infundere, nisi animis subactis, emollitis, & præparatis. Sed hasce præparationes ipse operatur Spiritu suo, non admonente solummodo liberum arbitrium, sed relevante, corroborante, & quocunquè voluerit suavi quadam manuductione pertrahente. Si absit hæc gratia, ea est cæcitas & durities cordis humani, quæ æternum obicem opponet prædictis excitationibus gratiæ divinæ. Cur autem secreta hæc gratia, quæ à nullo duro corde respuitur, quâque solâ pravi cordis durities pervincitur, aliis detur, aliis non detur, noli tu quærere, si non vis errare: noli merito qualicunque tribuere, si non vis Pelagianus audire.

Prosp. de Lib. Arb.

Aug. de Grat. Chr. lib. 1. cap. 24.

Vide Aug. Tom. 7. de prad. Sanct. lib. 1. cap. 8, & 10.

Quæstio XXXV.

Ecclesia invisibilis non est Idea Platonica.

HUic quæstioni duplex sensus subesse potest. Unus, Ecclesiam invisibilem non esse figmentum Theologorum nostrorum, sed illam sanctam catholicam Ecclesiam, quam in Symbolo profitemur nos credere, esse revera invisibilem. Alter, Ecclesiam orthodoxam, quæ in terris ritè Deum colit, posse ad illam paucitatem redigi, & à prævalente factione superstitiosorum aut hæreticorum ità ad tempus opprimi, ut nullo externo splendore incurrat in oculos vulgi. De utroque brevi ter dicendum. Quod de Ecclesia invisibili asserimus, verissimum esse constat,

1. Primò, quia ejus pars præcipua, quæ triumphat in cœlis, non oculorum sed fidei beneficio conspicitur. Quis autem nescit, denominationes rerum rectè fieri, vel à parte majori, vel à nobiliori? Cùm igitur Ecclesia illa numerosa & nobilis, quæ jam triumphat in cœlis, sit planè nobis invisibilis; cùm ipse Christus, Caput catholicæ Ecclesiæ, sit etiam invisibilis; horum respectu cùm Ecclesiam dicimus invisibilem, non ideam Platonicam fingimus; sed optimam, maximam, sanctissimam, certissimam Ecclesiæ partem designamus. Quando Scripturæ commemorant Ecclesiam sine omni macula & ruga, ad hanc invisibilem pertinere illud elogium sentit Augustinus, non ad eam quæ nunc versatur in terris; uti videre licet in Retractationibus, & alibi passim. Fortasse hanc invisibilem beatorum Ecclesiam ægrè agnoscunt Pontificii, quia illa pro Capite suo non omnino agnoscit Romanum Pontificem.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 34.

2. Secundò, Ecclesiam eâ ratione defendimus esse invisibilem, quia hæc ipsa pars quæ peregrinatur in terris, nullo externo sensu percipi aut dijudicari potest. Videmus ipsos homines ex quibus coalescunt particulares Ecclesiæ; sed quis inter istos pertineat ad catholicam sanctam Ecclesiam, (quæ est mysticum Christi corpus) nulla est oculorum acies quæ potest discernere.

Nam

Nam *ſive intus verſari videantur homines, ſive foris ſinon, quod palea eſt, palea eſt, & ſemper à vera Eccleſiæ unitate dividuum*; ut verè Auguſtinus. Facilè agnoſcuntur viſibilia Eccleſiarum membra; ſed videre & ſcire quænam vera ſint catholicæ Eccleſiæ membra, hoc opus, hic labor eſt. *Multi enim miſcentur cœtui Sanctorum in templo manufacto, qui ſubmoventur à corpore myſtico Chriſti. Multi ità dicuntur eſſe in domo, ut non pertineant ad compagem domûs*, Auguſt. lib. 7. de Baptiſm. contra Donat. cap. 51. Nihil igitur abſurdi habet, ſi hoc ſenſu Eccleſia vera ſtatuatur inviſibilis.

Auguſt. de Bapt. contr. Donat. lib. 1. cap. 17.

Cypr. de dupl. martyr.

Tertiò, Eccleſiam non fingi à noſtris, ſed verè dici inviſibilem, indè probari poteſt, quia nihil viſibile aut ſenſibile certò demonſtrat aliquem pertinere ad Eccleſiam catholicam. Oculi teſtantur quinam illi ſint, qui ad ſocietatem alicujus Eccleſiæ particularis ſe adjungunt; quinam illi ſint, qui Verbum audiant; qui Sacramenta recipiunt: ſed non teſtantur quis Chriſto Capiti uniatur, quis gratiâ ſalutiferâ imbuatur, quis Spiritu Chriſti vivificetur; ex quibus ſolis homines conſtituuntur vera membra Eccleſiæ catholicæ. Pluſquam Lynceis igitur oculis ſunt Papiſtæ, ſi Eccleſia ſancta catholica ſit illis viſibilis & cognoſcibilis ſub propria ſua & formali ratione; vel ex ſignis aut indiciis quibuſcunque externis vera Eccleſiæ membra certò demonſtrantibus. *Non eſt revera Chriſti corpus, quod cum illo non erit in æternum.* Dicant Papiſtæ, ſe oculorum viſu diſcernere poſſe eos qui cum Chriſto ſunt regnaturi, ab illis qui cum diabolo ſunt cruciandi. *Non ſunt vera membra Eccleſiæ, qui nodo charitatis minimè conjuncti ſunt inter ſe, & Capiti ſuo Chriſto.* Dicant Papiſtæ, ſe adeò perſpicaces eſſe, ut in alieno corde charitatem gratiámque divinam intueri poſſint, quam in ſuo unuſquiſque eorum fatetur ſe certò videre non poſſe. Poſtremò, non conſtituunt ſanctam catholicam Eccleſiam, quam credimus, aut impii aut hypocritæ; ſed ex ſolis conſtat, qui regale ſacerdotium, gens ſancta, peculiaris populus, ſponſa & corpus Chriſti, verè appellantur. Dicant Papiſtæ ſe videre quinam illi ſint, qui hiſce titulis meritò ornantur; quinam iſti, qui iiſdem falſò inflantur: & tum demum concedemus illis, veram Eccleſiam ſub ratione veræ Eccleſiæ non eſſe inviſibilem. Fruſtra igitur contra nos conantur probare, quod non negamus, Chriſtianorum Eccleſias eſſe viſibiles, quoad externam profeſſionem: probent Catholicam, vel ullum membrum Catholicæ eſſe viſibile, quoad formalem ſuam & conſtitutivam rationem.

3.

Auguſt. de doct. Chriſt. lib. 3. cap. 32.

Idem.

Jam venio ad illum alterum ſenſum, quem diximus huic quæſtioni ſubeſſe, nimirum veram & orthodoxam Eccleſiam ad illam paucitatem redigi aliquando, & quaſi in angulos compingi poſſe, ut nullo externo ſplendore incurrat in oculos

vulgi, nec ab illis qui præſunt & dominantur in Eccleſia pro vera & orthodoxa habeatur, ſed pro hæretica aut ſchiſmatica condemnetur. Hoc modo inviſibilis aliquando fuit, & tamen in terris manſit vera Eccleſia. Temporibus Eliæ id eveniſſe legimus, 1. Reg. 19. 14. Unde illa Eliæ querela ad Deum, *Dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael, altaria tua deſtruxerunt — & derelictus ſum ego ſolus.* Si (uti Lactantius affirmat) ea ſola ſit catholica Eccleſia quæ verum cultum retinet, nulla tunc erat catholica Eccleſia viſibilis in terris. Nam quod ad Eliam attinet, turbator Iſraelis habebatur, & ſeptem illa millia quæ non curvaverunt genua Baal, adeò in abſcondito latuerunt, ut nè ipſi Prophetæ innoteſcerent. Porrò, illo tempore quo Chriſtus in terris degebat, Scribæ, Phariſæi, Sadducæi, Sacerdotes, adeò corruperunt verbum cultúmque divinum, ut illam Judaicam Eccleſiam pro ſana & orthodoxa nemo ſanus agnoſcat. Quæ autem ſana ac vera in Chriſto Chriſtíque Diſcipulis extitit, Præſulibus Judaicis non modò *inviſibilis* fuit ſub ratione Eccleſiæ, ſed *inviſa & deteſtabilis.* Joan. 9. 22. *Conſpiraverant Judæi ut ſi quis Jeſum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret.* Huc adde, celebres quoſdam Pontificios tradidiſſe, tempore paſſionis in ſola virgine fidem permanſiſſe: quod ſi verum habeatur, quis illo tempore Eccleſiam viſibilem potuit quaſi digito demonſtrare? Deſcendamus ad ſtatum Eccleſiæ poſt Chriſtum in cœlos receptum: Cùm in Concilio Ariminenſi Homouſiani pro hæreticis habiti, cùm in exilium pulſi Paſtores orthodoxi, cùm totus orbis Arianum ſe eſſe miratus eſt; ubi facies viſibilis Eccleſiæ extitit? De miſeris hiſce temporibus ſic ſcribit Athanaſius, *Qua nunc Eccleſia liberè Chriſtum adorat? Si alicubi pii & Chriſti ſtudioſi ſint (ſunt autem ubique permulti) abſconduntur, & in cavernas & ſpeluncas terræ ſeſe abſtrudunt, aut in ſolitudine oberrantes commorantur.* Et Hilarius, de Trinitate lib. 10. *Sana doctrina audientia non ſuſtinetur; & omnis ipſa cum prædicatoribus ſuis exulat.* Si Proteſtantes Eccleſiam orthodoxam per aliquot ſecula ſub tyrannide Antichriſti inviſibilem fuiſſe ſcripſerunt, nil aliud voluerunt, quàm pios Paſtores ſedibus ſuis pulſos, piam plebem afflictam & diſperſam, ſanam fidem ab Eccleſiæ Præſulibus pro hæreſi condemnatam; uno verbo (ut Athanaſius & Hilarius conqueruntur) veritatem, ac profeſſores veræ fidei, in cavernas & ſpeluncas fuiſſe disjectos, florentibus interim & dominantibus in Eccleſia lupis ſub ovinis pellibus. Hoc ipſe Chriſtus ſub finem mundi prædixit eventurum; *Filius hominis cùm venerit, num reperturus eſt fidem in terra?* Lucæ 18. 8. Hoc denique fore agnoſcunt ipſi Papiſtæ: nam Antichriſto ſæviente, dicunt publicum fidelium cum Romana Eccleſia commercium ceſſaturum, & tamen pios corde & animo cum hac Eccleſia communicaturos. Concedunt igitur, Eccleſiam

Inſtitut. 4. cap. 30.

Canus lib. 4. cap. 5

Epiſt. ad ſolit. vitam agentes.

Vide etiam Aug. epiſt. 48.

Eccleſiam quæ in latebras ſe abdidit, poſſe tamen manere veram Eccleſiam. Non eſt ergò idea Platonica, aut figmentum inane, quod noſtri Theologi affirmant, Prævalente Antichriſto Romano, veræ & orthodoxæ fidei profeſſores poſſe latere aliquandiu, & tamen Chriſtum interim habere poſſe veram Eccleſiam etiam in terris.

Quæstio XXXVI.

Christi victima sola verè expiatoria.

PRoponitur hæc quæstio contra satisfactiones humanas, quas Pontificii cum merito ac morte Christi in ipso opere redemptionis conjungunt. Dicunt enim Christum Mediatorem peccatores ab ira Dei & à pœna æterna liberâsse; sed addunt, oportere homines suis satisfactionibus à pœna temporali seipsos redimere. Qui autem docent, Miseros homines, & peccato contaminatos, sive agendo sive patiendo, expiare posse ullas pœnas peccatis suis debitas,

Primò, coguntur, velint nolint, Redemptoris officium violare, atque aliquam ejus partem ad ipsum peccatorem pertrahere. Satisfacere enim Deo pro pœna peccato debita, est propriissimum opus Redemptoris. *Vnus Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, Qui seipsum dedit redemptionis pretium pro omnibus*, 1. Tim. 2. 5, 6. Si nostras satisfactiones offeramus Deo pro redemptione peccatorum nostrorum, proculdubio hoc Mediatoris & Redemptoris officium ex parte nobis vendicamus. Non puduit Bellarminum hujus blasphemiæ; quam etiam sacris Scripturis conatur affingere: *Homo sui ipsius redemptor & salvator appellatur; nec propterea ulla fit Christo injuria: siquidem tota virtus satisfactionis nostræ, à Christi sanguine pendet.* Quasi Christus venisset in mundum, non ut ipse expleret omnes partes Redemptoris, sed ut illam virtutem hominibus impertiret, quâ ipsi redemptores efficerentur. Hæc portentiloquia recitâsse est refutare.

De Purg. lib. 1. cap. 10.

Secundò, progreditur idem Bellarminus, & quasi parùm esset partiri hoc opus satisfaciendi inter Christum Mediatorem & hominem peccatorem, tandem Christi ipsius satisfactionem expressè negat. *Quidam* (inquit) *asserunt esse unam tantùm satisfactionem, & illam Christi esse, & nos propriè non satisfacere: quæ sententia dicetur erronea. Alii dicunt esse duas satisfactiones; quarum*

Ibid.

rum una pendet ab altera: quæ ſententia non eſt improbabilis. Sed ipſe Bellarminus dicit, unam tantùm eſſe actualem ſatisfactionem, & eam eſſe noſtram. En! tandem Chriſti ſatisfactionem extruſit foras. Verùm, nè conqueratur Chriſtus, ſe excluſum, hoc illius ſatisfactioni tribuit, quòd nos indè gratiam habemus, unde Deo ſatisfaciamus. Inauditum genus ſatisfaciendi, Impetrare à parte læſa, ut reus pro ſeipſo ſatisfaciat. Perinde ac ſi quis dicat, ſe pro latrone ſatisfeciſſe, quia hanc gratiam illi impetravit, ut flagris ad necem penè cæſus, tandem liberetur.

Tertiò, repugnant ſibiipſis Papiſtæ, quando dicunt, Ad majorem honorem hominis hoc illi eſſe conceſſum, ut pro ſeipſo etiam ſatisfaciat. Quis enim loco beneficii haberet, ſpoliari illo privilegio, quod honoris cauſâ illi fuit conceſſum? At notiſſimum eſt, Papas putare ſe beneficium Chriſtianis tribuere, quando per ſuas indulgentias tollunt ab iis hunc honorem ſatisfaciendi: atque Papiſtas hanc jacturam honoris ſui cupidè appetere. Aut igitur Chriſtus inutiles honores ſuis promeruit, aut Pontifex Romanus ſub ſpecie beneficii perfidè illos hiſce honoribus diſpoliat. *Bellarm. Ibid.*

Quartò, neque in hoc ſibi conſtant, Quòd haſce ſatisfactiones introducant, ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat; quæ, expiatâ per Chriſtum culpâ, pœnas tamen (ut illi volunt) expoſcit; neque illas leves aut ludicras, ſed gehennæ pœnis æquales, remotâ ſolùm æternitate. Sed cùm divinam juſtitiam tam rigidam & inexorabilem ſtatuerint, quæ Chriſti pretioſo ſanguine inflecti nolit ad pœnam relaxandam; neſcio impiè magis an ridiculè ſtatuant ſuſceptâ peregrinatione ad celebrem aliquam beatæ virginis imaginem, aut viſitatione templi Lateranenſis, aut, ſi cætera omnia deficiant, taxatâ pecuniæ ſummâ, redimi poſſe. Quis non facilè perſpicit, illos hâc doctrinâ ſuâ, non Divinæ juſtitiæ, ſed Pontificalis avaritiæ ſatisfactionem quærere? *Bellar. de Pœn. lib. 4. cap. 1, & 5.*

Quintò, qui haſce ſatisfactiones poſt remiſſam culpam flagitant, Deum faciunt magis parcum & reſtrictum in reconciliatos & amicos, quàm in hoſtes & inimicos; ac Chriſti ſanguinem minoris efficaciæ ad expianda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quàm ante: quod divinæ bonitati parùm conſentaneum eſt.

Non negant Chriſti ſatisfactionem in ſe ſufficientem eſſe ad delendum totam culpam & pœnam; quinetiam in Baptiſmo id fieri contendunt, abſque ullo ſatisfactionis humanæ adjumento. Sic Aquinas, *Per Baptiſmum liberatur homo ab omni pœna peccati, quia pœna paſſionis Chriſti communicatur Baptizato, ac ſi ipſe illam ſuſtinuiſſet: & ideo ejus peccata remanent ordinata per pœnam paſſionis Chriſti.* Jam ſi nos inferamus, eandem mortem Chriſti communicari cuivis fideli & pœnitenti ad expianda etiam peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ac proinde illorum etiam pœnam remanere *Part. 3. quæſt. 69. art. 2.*

manere ordinatam per passionem Christi, nec opus esse novâ aliâ satisfactione; quis non videt esse conclusionem firmissimam? Sed Bellarminus respondet, In Sacramento Baptismi Deum liberalissimè agere, & applicare Christi meritum ad tollendam omnem culpam & pœnam: at in absolutione peccatoris post Baptismum, contrahere manum, & applicare Christi meritum ad tollendam culpam, & pœnam æternam; tamen adhuc requirere opera satisfactoria quibus redimantur pœnæ temporales. Sed frustra hoc comminiscitur Bellarminus, cùm causam nullam satis idoneam afferat hujus discriminis, cúmque Pontifex Romanus hoc discrimen tollat dando plenarias indulgentias à culpa & pœna, etiam illis qui peccant post Baptismum. Infinitis aliis incommodis obruere possemus hunc errorem Pontificium; sed ex hisce satis liquet, ad unicam Christi victimam esse necessariò redeundum, cùm contraria sententia Papistas in tot absurda commenta impulerit.

De Purg. lib. 1. cap. 10. Et de Pœn. 4. 14.

Quæstio.

Quæstio XXXVII.

Fides justificans est fiducia in Christum Mediatorem.

FIdes communiter considerata multos multúmque diversos actus parit & producit, habet etiam objecta particularia ferè innumera: quot enim pronuntiata in Scripturis continentur, tot particularia objecta fidei nostræ proponuntur. Sed in hac disputatione, non fidei qualiscunque, sed justificantis, actum & objectum quærimus: nec quemvis actum, aut quodvis objectum, sed specialem illum actum quem exercet, & speciale illud objectum quod respicit, eo ipso momento quo quis à statu damnationis liberatur, & in statu justificationis collocatur, Deo ipso Judice. Nostra igitur sententia est, actum justificandi, ut consideratur in Deo, eo ipso temporis articulo cadere in hominem peccatorem, quo is promissionem salutis in Christo omni credenti factam apprehendit, & in hunc Mediatorem toto corde pro eadem obtinenda fiduciaiter recumbit.

Ad actum igitur hunc specialem quod attinet, non est nuda notitia verbi divini, hanc enim dæmones habent, qui minimè capaces sunt justificationis: non est generalis assensus quo agnoscimus & admittimus pro veritate divinitus revelata quicquid traditum est in Scripturis, hanc enim habent mali Christiani, qui nondum justificantur: non est denique vel gratuitarum promissionum conditionalis & universalis apprehensio; hanc enim concipiunt impœnitentes, nec tamen indè justificationem consequuntur. Id unum igitur reliquum est, ut sit specialis quædam fiducia, excitata in corde ministerio Verbi & operatione Spiritûs, quæ in causam justificantem particulariter sibi oblatam & applicatam recumbit, & ex illa gratiam justificationis hauriat. Non ergò neganus prævios illos & communes fidei actus, quibus homines parantur ad justificationem recipiendam: sed dicimus, hanc fiduciam esse illum ultimum actum cujus præsentiam ipsa justificatio concomitatur, uti in Physicis forma concomi-

tatur illam quam Philosophi vocant *dispositionem ultimam*. Hactenus de speciali actu fidei justificantis.

Jam quod spectat ad proprium illud & speciale objectum in quod fides respicit eo ipso articulo quo accipit justificationem à Deo, certum est in historica narratione creationis aut gubernationis non posse animam ream invenire hanc peccatorum remissionem. Unde Aquinas, *In ipsa justificatione peccatoris non est necesse ut cogitentur cæteri articuli, sed solùm ut cogitetur Deus peccata remittens*, quæst. disp. de Just. art. 4. Dein in mandatis & comminationibus legis multò minùs invenitur hoc speciale objectum: nam talis consideratio ex se nil aliud gignit quàm terrores; accedente autem gratiâ excitat ad circumspiciendum illud quod nos ab hac damnatione liberet; ità tamen ut in hac doctrina legis fides objectum suum (ut ità dicam) *consolatorium* & *justificatorium* nunquam possit reperire. Restant igitur dulces promissiones Evangelicæ de favore & gratuita peccati remissione per & propter Mediatorem, in quas dum fides respicit, peccator fiduciam concipit, in hunc oblatum sibi Mediatorem recumbit, divinæ misericordiæ se justificandum subjicit, atque indè justificationis beneficium protinus consequitur.

Fidem, quam vocamus *justificantem*, talem esse actum qualem descripsimus, atque in ipso momento justificationis oculum & cor credentis in Mediatorem eo modo tendere quo affirmavimus, patere potest,

Primò, Quia Scriptura clarè indicat, proprium & formalem actum fidei quæ justificat, esse promissionis in Christo oblatæ acceptationem sive particularem applicationem, sive fiduciam obtinendæ remissionis & salutis per Jesum Christum Mediatorem; nam hæc omnia eodem recidunt. Quid aliud volunt hæc testimonia? Act. 13. 38, 39. *Notum sit vobis, viri fratres, quia per hunc Jesum Christum vobis remissio peccatorum annuntiatur: Et — in hoc omnis qui credit justificatur.* Videtis hîc speciale objectum quod fides intuetur in actu justificationis, promissionem scilicet remissionis: videtis etiam in quem recumbit pro remissione hac & salute obtinenda, nempe in Christum, in quo Deus mundum sibi reconciliat. Huic & illum locum adjungo, ad Rom. 3. 22, 23, 24. *Justitia Dei, per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum, &c.* Et vers. 25. *Quem proposuit propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Quid aliud justitia Dei hoc in loco designat, quàm gratuitam peccatoris justificationem, quâ justus censetur per *divinam misericordiam*, qui manet peccator quoad *propriam personam*? At quo pacto fiunt homines hujus justitiæ participes? Credendo in eum quem proposuit Deus propitiatorem, hoc est, innitendo, recumbendo in Christum, in quo promissiones Evangelicæ suum habent fundamen-

tum & efficaciam. Addo, ad extremum, illud Pauli ad Rom. 4. 16. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio:* ubi videtis, juſtificationem noſtram pendere à fide gratuitas promiſſiones apprehendente & ſibi applicante; quod perinde eſt, ac pendere à fide in Chriſtum Mediatorem recumbente.

Secundò, huic fiduciæ in Chriſtum Mediatorem tribuimus inſtrumentalem vim juſtificandi, potiùs quàm ulli actui hominis peccatoris, Quia conſtat eo modo juſtificari homines, quo gloria divina maximè illuſtretur, & honor ſalutis noſtræ ad ſolum Deum referatur. At qui aliis virtutibus aut operibus ſtatuunt hominem juſtificari, in juſtificationis negotio gloriam ſalutis humanæ non integram Deo relinquunt, ſed merito ſuo aliqua ex parte adſcribunt. Nos verò, uti totam gloriam eleemoſynæ promiſſæ & datæ non mendico accipienti, ſed liberaliter eam donanti adſcribere ſolemus: ſic totam gloriam juſtificationis & ſalutis humanæ, non fidei in Chriſtum tendenti, & eam ad ſe attrahenti, ſed Deo ipſi aſſignamus credentem gratuitò juſtificanti.

Tertiò, ad hanc fiduciam in Chriſtum referendam putamus juſtificationem noſtram, Quia certum eſt, Deum hunc actum præ cæteris omnibus maximi facere, in quantum per eundem Chriſtus Mediator maximi à nobis fit, & quaſi in ſolio ſuo collocatur & adoratur. Hoc innuebat ipſe Servator, quando quærentibus Judæis, *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* reſpondit Chriſtus; *Hoc eſt illud opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille.* Quaſi dixiſſet, Vos ſcire deſideratis, qualium operum præſtatione Deo gratiſſimi eſſe poſſitis: At ego vobis dico, unicum eſſe opus, quod vos Deo gratos & acceptos reddet; nimirum ſi me agnoſcatis Dei Filium & Meſſiam, atque in me fideli corde recumbatis. Et verſu quadrageſimo, in eandem penè ſententiam; *Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Ubi, ad juſtificationis & ſalutis adeptionem duos actus à nobis requiri, manifeſtum eſt; unus eſt θεωρεῖν τὸν υἱὸν, Chriſtum prædicatum videre, & agnoſcere pro Dei Filio mundique Redemptore, quo actu vitæ æternæ fontem diſcernimus, & ad eum recta tendimus: alius, πιστεύειν εἰς, credere in eum, quo actu vitam à vitæ fonte haurimus, & in ipſum quaſi totos nos immergimus. Hoc actu Deum Patrem, Chriſtúmque ab eo miſſum maximè honoramus: hunc igitur actum hoc eximio honore dignatus eſt, ut illum ſemper comitetur juſtificatio, & in gratiam Dei acceptatio. Jam paucis videamus quid ab adverſariis in contrariam partem afferri ſoleat.

Primò, argutantur, Fidem ad intellectum pertinere, fiduciam ad voluntatem; ac proinde malè nos ſtatuere fidem juſtificantem eſſe fiduciam in Chriſtum Mediatorem.

Reſpondemus, Speculativum ſive nudum actum fidei apprehendentis

hendentis veritatem Evangelii, illíque tanquam historiæ indubitatæ assentientis, non adhuc pertingere ad justificationem: sed fidem illam, quam Scriptura justificantem agnoscit, habere in se complicatum actum voluntatis & intellectûs. Nam, Apprehendere Christum esse mundi Redemptorem, atque huic propositioni assentiri, *Quisquis in eum crediderit, salvus erit*, revera pertinet ad intellectum: sed hæc fides, quasi eminus conspiciens & agnoscens Redemptorem, non justificat, priusquam peccator Christum ad se domum quasi deduxerit, & se huic Mediatori conjunxerit; quod non fit, nisi illo fiduciali actu quem etiam ad voluntatem pertinere asserimus. Unde Durandus, *Lib. 4. dist. 2. quæst. 8.* *Nullus potest justificari nisi per unionem ad Christum: prima autem unio ad Christum fit per fidem.* Non per merè speculativam in intellectu sitam, quæ tantummodo intuetur causam justificantem; sed per fiduciam tendentem in eam, & eidem inhærentem, quæ spectat etiam ad voluntatem. Huc etiam facere videtur distinctio illa Augustini, *Sermone de Temp. 181.* *Credere Deo, Credere Deum, Credere in Deum.* Duos actus priores saluti humanæ necessarios affirmat; quos tamen non modò malos Christianos, sed & dæmones elicere posse confitetur. At postremum (*Credere* scilicet *in Deum,*) quo solo acquiritur justificatio, ad voluntatem pertinere innuit, dum adhæsionem quandam esse ostendit. Quid autem aliud esse potest hæc adhæsio, quàm quod nos alio vocabulo, sed sensu eodem, fiduciam in Deum appellamus? Augustino adstipulatur Albertus: *Compend. lib. 5. cap. 21.* *Credere in Deum, est credendo in Deum ire, ac membris ejus incorporari:* quod fieri nudo actu intellectûs nè ipsi quidem Papistæ dicere audebunt.

Secundò objiciunt, unam virtutem non posse esse in duabus potentiis genere distinctis: Fidem autem, quam vocamus justificantem, esse unam ex virtutibus Theologicis, & sitam in intellectu, non in voluntate: At fiduciam illam, quam nos urgemus, ad voluntatem spectare confitemur.

Respondeo, Quod philosophantur voluntatem & intellectum esse duas potentias reipsa distinctas, dogma Philosophicum est ab omnibus haud receptum, & Theologicis dogmatibus firmandis aut infirmandis fundamentum minimè idoneum. Fatetur Estius, *In Sent. lib. 2. dist. 24.* utrùm reipsa distinctæ sint potentiæ intellectus & voluntas, à multis haud temere dubitari. Porrò, non damus adversariis, illam fidem, quam nos justificantem appellamus, esse prorsus eandem, quam illi inter virtutes Theologicas reponunt. Nam illorum fides Theologica nil aliud est, quàm assensus supernaturalis divinis revelationibus adhibitus propter auctoritatem revelantis. Hanc etiam in malis Christianis inveniri posse haud diffitentur: unde subit mirari, quâ vertigine correpti, justificantem fidem cum hac confundant, quam informem

formem manere poſſe agnoſcunt, & interim juſtificare non poſſe agnoſcere tenentur. Verum eſt quod dicunt, Fidem juſtificantem aſſentiri revelatis à Deo: ſed falſum eſt, ab hoc generali aſſenſu eſſe juſtificantem. Præcedat oportet hic aſſenſus in doctrinam de Chriſto Mediatore à Deo revelatam; atque hic actus à ſolo intellectu ſupernaturaliter illuminato producitur: ſed conjungatur oportet fiducia (cæteris omnibus abdicatis) in hunc ipſum Mediatorem recumbens, quæ totum cor ſive totam animam ad Chriſtum trahit, Chriſtóque agglutinat: atque in hoc confidendi actu voluntas etiam ſuas partes exequitur. Neque nobis abſurdum, ſed valde conſentaneum videtur, actum illum, quo tota anima purificatur & juſtificatur, ad totam animam pertinere: ità ut in nudo intellectu habeat initium, in voluntate complementum.

Tertiò contendunt, Fiduciam nihil aliud eſſe quàm ſpem roboratam: ſpes autem eſt virtus à fide diſtincta, juxta communem ſententiam Theologorum, tres Theologicas virtutes ponentium, Fidem ſcilicet, Spem, & Charitatem.

Negamus hanc fiduciam, quæ tota recumbit in Mediatorem, quæque Deum nobis peccata remittentem propter eundem Mediatorem apprehendit, eſſe actum ſpei: quinetiam affirmamus, eſſe propriiſſimum actum fidei quam *juſtificantem* appellamus. Nam ſpes illa, quam *roboratam* dicunt, eſt firma expectatio futuræ beatitudinis: at hæc fiducia non tendit in objectum ſuum ut bonum *futurum*, ſed *præſentaneum*. Concipit enim & apprehendit Mediatorem uti jam homini peccanti præſentem, & Deo Patri eundem reconciliantem. Inhæret igitur veritati Evangelicarum promiſſionum, non per modum *expectantis*, ſed per modum *poſſidentis*: juxta illud Servatoris, *Qui credit in Filium habet vitam æternam.* Joann. 3. 36. & 6. 47.

Ultimò arguunt adverſarii, Fiduciam, quâ quis confidit ſibi remiſſa eſſe peccata, ſéque Deo acceptum eſſe, & cœleſtis regni hæredem, eſſe aliquid juſtificatione poſterius; ac proinde non eſſe fidem juſtificantem. Talis etenim fiducia non conceditur niſi hominibus in vitæ novitate ambulantibus, ac bonam conſcientiam ſervantibus. Non igitur juſtificamur tali fiduciâ; ſed poſt juſtificationem ac ſanctificationem noſtram talis fiducia per Spiritum ſanctum in cordibus electorum excitatur.

Fiduciæ vocabulum duo deſignat. Ipſum actum innitendi & adhærendi Jeſu Chriſto, quo quaſi ambabus ulnis Chriſtum amplectimur, & per eum actum veniam, gratiam, gloriam conamur obtinere à Deo Patre: atque hunc putamus eſſe illum actum ad quem ſemper ſequitur juſtificatio, id eſt, abſolutio à peccatis, & acceptatio in gratiam favorémque divinum; ſive peccator illo ipſo primo momento πληροφορίαν concipiat obtentæ remiſſionis, ſive non. Solet etiam aliquando fiducia denotare conſequens

ſequens effectum fidei juſtificantis, nempe plenam perſuaſionem, & quaſi vividum ſenſum remiſſionis impetratæ, & obtenti favoris divini. Fatemur hanc fiduciam non eſſe fidem juſtificantem, ſed fidei juſtificantis filiam; quam anima juſtificata non niſi poſt multa fidei & ſanctitatis exercitia ſolet eniti. Concludimus ergò, Fiduciam illam in Mediatorem à Deo conſtitutum, nobíſque in Evangelio propoſitum, eſſe illum actum, cui Deus remiſſionem peccatorum, ſive juſtificationem peccatoris, dignatur indulgere.

Quæstio XXXVIII.

Fides Justificans non potest à charitate disjungi.

HAnc controversiam hisce ipsis verbis proponit Bellarminus, *An fides justificans possit à charitate disjungi?* Sed (quod observatione dignum est) quando ad ipsum conflictum accedit, cogitur terminos institutæ quæstionis mutare, atque hunc in modum sententiam suam proferre; *Fides vera & Christiana, quæ per modum dispositionis justificat, potest à dilectione aliisque virtutibus separari.* Non ausus est Jesuita dicere, Fidem justificantem, sed Fidem quæ per modum dispositionis justificat, posse à charitate disjungi. At nobis ea dicitur & habetur fides justificans, quam certò & infallibiliter consequitur aut concomitatur justificatio: non dispositio quævis remota & imperfecta, quæ ad obtinendam justificationem prærequiritur, sed ità eam præcurrit, ut in pluribus justificatio nunquam sequatur. Dominicus Soto eundem in modum tergiversatur: *Fides*, inquit, *vera & orthodoxa, quæq; necessaria est ad justificationem, potest esse sine charitate.* At longè aliud est, *esse necessarium ad justificationem*, & *esse de facto fidem justificantem.* Potuerunt adversarii de ratione justificante sub isto sensu controversiam agitare. Nam rationis discursus, & cogitatio prævia, necessaria est tum ad ipsum actum fidei, tum ad effectum justificationis; quandoquidem Credere nil aliud est quàm cum assensu cogitare. Si in turbam dispositionum remotarum fidem justificantem conjiciunt, cur non cæteris dispositionibus idem epitheton adjungunt? Sed ut ad rem accedamus: nos fidem illam, quæ non titulo tenus, sed de facto justificans appellatur, à charitate disjunctam negamus, hisce freti rationibus.

De Justif. lib. 1. Ord. disp. cap. 15.

De Nat. & Grat. lib. 2. cap. 8.

Primò, Quia sacra Scriptura fidem justificantem cum nova nativitate conjungit. *Omnis* enim *qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est*, 1. Joann. 5. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*, Joann. 1. 12.

At qui expertes ſunt charitatis, ſpurii ſunt, & Satanæ filii: fidem ergò juſtificantem non habent, qui charitatem non habent. Audite Auguſtinum: *Credere in Deum ſoli noverunt, qui diligunt eum; qui non ſolùm nomine Chriſtiani ſunt, ſed vitâ.* Jam ex adverſo audite Bellarminum: *Fides vera & Chriſtiana, quæ per modum diſpoſitionis juſtificat impium, poteſt à dilectione ſeparari.* Si per modum diſpoſitionis remotæ intelligat, malè vocat juſtificantem, quæ nondum juſtificat, quæ fortaſſe nunquam juſtificabit: Si per modum diſpoſitionis attingentis, clarum eſt eos nondum didiciſſe ad hunc modum credere in Deum, qui ſimul non didicerunt amare Deum.

Serm. de Temp. 181.

De Juſtif. lib. 1. *cap.* 15.

Secundò, Quia fides juſtificans (teſtante etiam Scripturâ) non eſt iners & otioſa qualitas, ſed viva & actuoſa, à Spiritu ſanctificante excitata & agitata. At fides illa informis, quam Papiſtæ *orthodoxam, Chriſtianam, & juſtificantem* appellant, in plurimis otioſa & ſtertens invenitur. Bellarminus, qui acriter contendit fidem juſtificantem nil aliud eſſe quàm aſſenſum ad ea quæ in verbo continentur, fatetur ſimul, imò contendit, hanc ſuam fidem juſtificantem ſtare cum hoc, Quòd tali fide præditi maneant mali. At verè nominata fides juſtificans cor purificat, vitam ſanctam parit, opera bona producit; uno verbo, charitatem individuum comitem habet. Unde Auguſtinus, *Fides ſine charitate poteſt quidem eſſe, ſed non poteſt prodeſſe.* At quæ juſtificans ritè vocatur, non poteſt eſſe in ullo homine, & non illi prodeſſe ad ſalutem. Unde Dominicus Soto fidem illam informem & inertem, quæ abſque charitate manet, non eſſe dignam appellatione virtutis pronunciat. At fides juſtificans virtus cœlitus infuſa & egregia eſt, atque eo nomine digna. Nam *nullum inſtans aſſignari poteſt, in quo actus hujus fidei qui proxima eſt gratiæ juſtificantis præparatio, inveniatur abſque gratia:* non ergò abſque charitate.

De Juſtif. lib. 1. *cap.* 9.

Act. 15. 9.

De Trin. 15. 18.

Soto de Nat. & Grat. 2. 12.

Tertiò, Quiſquis habet fidem juſtificantem, manet in Deo, & Deus in illo: nam Chriſtus habitat in cordibus noſtris per hanc fidem: Per hanc fidem manducamus Chriſti carnem, & bibimus ejus ſanguinem; unde in illo manemus, & ille in nobis. Nam *fide, non dente, Chriſtum manducamus,* ut verè Cyprianus. Si Deus maneat in illis qui credunt in Chriſtum, expertes charitatis eſſe nullo modo poſſunt. Nam ſicuti quod igne repletur, calore nunquam deſtituitur; ità qui Deo plenus eſt, charitate vacuus eſſe non poteſt.

Epheſ. 3. 17.

Joann. 6. 56.

Quartò, Ipſi Papiſtæ *juſtificationis* vocabulum trifariam accipi docent: pro acquiſitione juſtitiæ; pro incremento juſtitiæ acquiſitæ; pro declaratione juſtitiæ, vel abſolutione à peccatis. Dent igitur nobis illam fidem juſtificantem, quâ acquiritur inhærens juſtitia, vel acquiſita augetur, vel deniq; quâ remiſſio peccatorum procuratur; & oſtendant eam fuiſſe nihilominus à charitate diſjunctam.

Bellarm. de Juſtif. 1. 1.

junctam. Non poterunt, imò nè conantur quidem: ſed putant ſe rem confectam habere, ſi probaverint fidem illam, quæ doctrinam in Scripturis revelatam pro vera & divinitus inſpirata agnoſcit, in multis expertem charitatis exiſtere. At talem fidem non modò homines improbi & damnandi habere poſſint, ſed dæmones etiam habent, & indè contremiſcunt. Fides autem juſtificans non apprehendit ſolummodo quæ de Chriſto narrantur, per modum veræ & divinitus revelatæ hiſtoriæ; ſed ipſum Chriſtum apprehendit, & peccatori applicat per modum remedii divinitus inſtituti. Probent ergò, generalem illum aſſenſum Scripturis adhibitum haurire vitam & ſalutem à Chriſto fonte vitæ & ſalutis, ac tum demum agnoſcemus fidem juſtificantem à charitate disjunctam reperiri.

Poſtremò, nè nimis multus ſim in re non admodum obſcura, Pontificios ad Doctorem ſuum Angelicum remitto. Is ad juſtificationem impii quatuor requiri docet: Gratiæ infuſionem, motum liberi arbitrii in Deum per fidem, motum liberi arbitrii in peccatum, & remiſſionem culpæ. Jam qui primo in loco ponit infuſam gratiam, eámque fidei præſupponit, is charitatem cum eadem copulatam ſupponit. Charitas enim à gratia infuſa vix diſtinguitur, certè nunquam ſeparatur. Idem, in Quæſtionibus diſputatis, *Liberum arbitrium in juſtificatione movetur in Deum motu fidei, charitatis, & ſpei; oportet enim juſtificatum in Deum converti amando ipſum cum ſpe veniæ.* Quo igitur colore appellant illum generalem aſſenſum *fidem juſtificantem*, qui in quamplurimis non movet animum in Deum hiſce motibus ad juſtificationem requiſitis? quo colore defendunt fidem juſtificantem à charitate quandoque disjungi, cùm *credere in Deum* non ſit præciſè actus fidei ſolitariæ, ſed fidei & charitatis ſimul (ſi non naturâ, tamen tempore) operantium? Unde Auguſtinus, ubicunq; de fide juſtificante loquitur, non aliam fidem hoc nomine dignatur, quàm quæ conjunctam habet charitatem. Sed audiamus quibus rationibus permoveantur Papiſtæ, ut fidem illam, quam *juſtificantem* appellant, charitate tamen vacuam eſſe poſſe contendant.

1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 6.

De Juſtif. art. 4.

Primò, afferunt illud Joannis 12. 42. *Multi ex Principibus crediderunt in eum, ſed non confitebantur. — Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* Hìc Evangeliſta teſtatur, in illis Principibus fuiſſe fidem abſque charitate.

Argum. 1.

Bellarm. de Juſtif. 1. 15.

Sed Evangeliſta non teſtatur hanc fuiſſe fidem juſtificantem, imò planiſſimè oſtendit non fuiſſe: nam fide juſtificante imbuti gloriam Dei magis diligunt quàm gloriam hominum. At dicuntur credidiſſe, Sed miraculis victi: quod & diaboli fecerunt; qui inſuper, quod hi non fecerunt, confitebantur Jeſum Filium Dei altiſſimi, nec tamen fide juſtificante prædìti fuerunt. Demus hiſce Principibus, quòd aſſenſum minimè ſimulatum,

Solutio.

Matth. 8. 29.

minimè extortum evidentiâ factorum præbuerint huic propoſitioni, *Jeſus filius Mariæ eſt Meſſias in mundum miſſus à Deo.* Eſt quidem hic actus, ratione objecti, actus verus veræ fidei: ſed non actus proprius juſtificantis fidei; quia non tendit in agnitum Mediatorem eo modo quo obtinetur juſtificatio. Si Principes illi fidem juſtificantem nacti ſunt, tum omnes Chriſtiani adepti ſunt fidem juſtificantem; quod nemo ſanus dixerit.

Argum. 2. Illud omnibus in ore eſt, 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habuero; nihil ſum.* Poteſt igitur omnis fides ſeparata inveniri à charitate.

Solutio. Poteſt omnis fides de qua loquitur Apoſtolus illo in loco, id eſt, omnis fides ſignorum quocunque gradu obtenta, vacare charitate: Sed hanc non eſſe eandem cum juſtificante fide, ſed potiùs donum gratis datum in uſum aliorum, indè apparet, Quòd, non obſtante hâc fide, manere poſſint homines *operarii iniquitatis*; manere poſſint tales, quales Chriſtus *nunquam novit.* At hoc de iis, qui fidem juſtificantem adepti ſunt, verè dici nequit: ſicut nec illud quòd *nihil* ſunt. Nam qui fidem juſtificantem habent, in Chriſto (qui eſt theſaurus omnium bonorum ſpiritualium) omnia poſſidere judicantur.

Matth. 7. 22, 23.

1. Cor. 13. 2.

Argum. 3. Tertiò, Argumentantur ab illis locis in quibus docet Servator, in Eccleſia ſua eſſe bonos & malos: ut Matth. 3. 12. ubi ponitur ſimilitudo palearum & tritici; & Matth. 13. 48. ubi ponitur ſimilitudo piſcium bonorum & malorum in eodem reti, &c. Quoniam igitur qui ſunt in Eccleſia fideles ſunt; ſi iidem mali eſſe poſſint, ſequitur fidem, unde dicuntur fideles, cum peccato, unde dicuntur mali, poſſe eſſe conjunctam, ac per conſequens à charitate disjunctam.

Solutio. Aliud eſt, in Eccleſia eſſe per externam fidei profeſſionem, & indè fidelem denominari: aliud, eſſe verum membrum Chriſti, & indè juſtificatum denominari. Fides illa quæ communis eſt bonis & malis, conſtituit differentiam inter Chriſtianos & non Chriſtianos, ſed minimè inter juſtificatos & non juſtificatos: ineptè igitur dicitur juſtificans, quæ, dum talis manet, nec actum nec virtutem juſtificandi habet.

Argum. 4. Quartò, Argutatur Bellarminus hunc in modum, Si fides & charitas inter ſe disjungi non poſſunt, vel id ex eo fieret, quòd una eſſet de ratione alterius, vel certè, quòd una naſceretur ab altera. Neutrum autem dici poteſt. Non primum; nam fides & charitas non ſunt una virtus, ſed duæ, habentes diverſa ſubjecta, actus, & objecta. Non ſecundum; quoniam tametſi charitas oriatur ex fide, non oritur tamen ut propria paſſio, ſed ut virtus ad quam fides inclinat. Inclinatio autem non cogit liberum arbitrium, ſed relinquit hominem liberum, ut diligat ſi velit, & non diligat ſi non velit.

Non

Non dicimus fidem nullam à charitate disjungi posse, sed fidem justificantem non posse. Largimur etiam Bellarmino, fidem hanc esse virtutem *distinctam* à charitate, *disjunctam* tamen aut *divulsam* esse non admittimus. Neque tamen harum virtutum necessariam concatenationem indè potissimùm arcessimus, quòd charitas ex fide tanquam propria passio oriatur; sed ex aliis causis id demonstramus. Nam utcunque fidei vocabulum potest imperfectam & (ut Schola loquitur) informem qualitatem denotare; quando tamen justificantis vocabulum accedit, notat perfectiorem qualitatem, & Theologicæ virtutis nomine meritò decorandam, ex afflatu Spiritûs sancti in anima conceptam. At Theologicas virtutes esse inter se connexas, in confesso est apud ipsos Scholasticos. Unde Aquinas, *Fides & spes possunt esse sine charitate: sed sine charitate, propriè loquendo, virtutes non sunt.* Necessitatem igitur connexionis inter fidem justificantem & charitatem indè monstramus, quòd fides justificans est opus Spiritûs sancti suâ gratiâ hominem imbuentis, & hanc eximiam & salutiferam virtutem in animo ejus generantis. Ea autem est largitas Dei, ut non det fidem recumbentem in Christum Mediatorem, quin unà det spem erigentem, & charitatem inflammantem animos nostros amore Dei Salvatoris nostri. Unde Gregorius in Ezech. Hom. 22. *Tantum in hac vita amamus, quantum credimus; & quantum amamus, tantum de spe præsumimus.* Huc adde, rationem fidei (præsertim justificantis) non solùm consistere in certitudine intellectûs, quam dæmones habere possint clariorem quàm nos; sed in eo, quòd per obedientiam & obsequium voluntatis suscipitur. At Deus obedientem & sibi obsequentem humanam voluntatem non reddit, nisi inspirato aliquo sui amore. Uno verbo concludimus, Charitatem ex fide oriri per modum solummodo inclinantis, sed ex Deo fidem justificantem dante, per modum inspirantis, & hanc charitatis virtutem unà ingenerantis: atq; hinc est quòd nunquam divulsæ reperiantur.

Solutio.

1. 2. Quæst. 65. art. 4.

Postremò adfert Bellarminus testimonia Patrum, sed causæ suæ prorsus inutilia: perpendamus tamen.

Argum. 5.

Fides sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse, Aug. de Trin. 15. 18.

Testimon. 1.

Non de fide justificante loquitur, sed de fide mortua; quam alibi, non Christianorum, sed *dæmoniorum fidem* appellat.

Resp.

Jam credit aliquis in Christo, sed odit Christum; habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides qualem dicit Apostolus Paulus, FIDES QUÆ PER DILECTIONEM OPERATUR, Aug. tract. 10. in Epist. Joan.

Testimon. 2.

Notitia doctrinæ Christianæ cum assensu quòd vera sit, potest dici fides; sed dici fidem justificantem, quæ stat cum odio Christi, à communi sensu abhorret. Talem igitur fidem esse posse absque charitate sine ullo causæ nostræ detrimento agnoscimus.

Resp.

Teſtimon. 3. Auguſt. de ſpir. & lit. cap. 32.

Reſp.

Unde eſt dilectio, per quam fides operatur, niſi unde illam fides ipſa impetravit? Si fides impetrat charitatem, certè prior eſt charitate, & antequam illam impetret, ſine illa manet.

Fatemur fidem illam, quæ eſt nuda notitia credendorum cum aſſenſu, in multis Chriſtianis inveniri expertem charitatis. Sed fidei juſtificantis alia eſt ratio; in cujus actu tota anima ſe convertit ad cauſam juſtificantem: quod non fit nec fieri poteſt ab anima quæ prorſus vacua eſt charitate. Quod autem dicit Auguſtinus, fidem hanc initialem impetrare charitatem, id ità intelligendum eſt, quòd oſtendat ac doceat nos à quo debemus petere & obtinere charitatem. Sed quod attinet ad fidem cui Scriptura juſtificandi vim adſcribit, illam vel ad momentum temporis eſſe à charitate diſtinctam, nec ſenſit, nec ſcripſit Auguſtinus. Si naturæ ordinem ſpectemus, fides præcedit ſpem, ſpes charitatem: ſed ſi temporis rationem habeamus, fides juſtificans habet utraſque comites indivulſas.

Quæstio XXXIX.

Laici non ſunt arcendi à lectione Scripturarum.

NUllius momenti ſunt illæ ratiunculæ quibus permoti Pontificii privatam Scripturarum lectionem Laicis adimunt. Nam quod cauſari ſolent, *hinc homines imperitos occaſionem ſumere errandi, peccandi, blaſphemandi*, tam Clericis quàm Laicis commune eſt. Imò ſi præteriti temporis hiſtorias evolvamus, inveniemus viros doctos & Eccleſiaſticos, ex Scripturis malè intellectis ac detortis, in hæreſes & blaſphemias ſæpius incidiſſe, quàm quoſvis è plebe homunciones; quos plerunque à viris doctis in hæreſin abductos nemo neſcit. Quod itaque per accidens, & ex abuſu Scripturarum, tam Clericis quàm Laicis poteſt contingere, non eſt cauſa idonea cur uſus Scripturarum populo Chriſtiano denegetur. Perinde faciunt Papiſtæ, ac ſi quis omnes à cibo aut vino deterreat, quia homines luxurioſi hiſce ad crapulam & ebrietatem abutentes multos indè morbos contrahere ſolent. Non igitur à lectione Scripturarum abigendi ſunt Laici, ſed monendi ut ſobrio & pio animo legant, ut Spiritûs illuminantis gratiam petant, ut publicæ prædicationi diligenter attendant, ut Miniſtros ſuos (cùm opus eſt) conſulant; uno verbo, ut caveant ab erroribus, non ut fugiant Scripturas. Præclarè Auguſtinus, *Doctrina Scripturarum ità modificata eſt, ut nemo indè non haurire poſſit quod ſibi ſatis eſt, modò ad hauriendum devotè ac piè accedat.* *De util. credendi, ad Honor. cap. 6.*

Sed qui ferociùs populo Chriſtiano inſultant, ſacroſanctam Scripturarum dignitatem obtendunt: quaſi tanti pretii margaritam populo tractandam permittere, eſſet porcis margaritas conculcandas projicere. At illud Petri, *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*, non Clericis ſolis convenit, ſed omnibus bonis Chriſtianis; qui per Spiritum, fidem, & Sacramenta ſanctificantur, & Deo conſecrantur. Sancti autem non ſunt à rebus ſanctis aut actionibus prohibendi, niſi ejuſmodi ſint quæ à *Vide Hoſium, de Expoſ. Dei verb. pag. 649.*

nemine

nemine abſque ſpeciali conſecratione tractari debeant: quod de libris ſacrarum Scripturarum dici non poteſt. Quanquam haud credibile eſt, Papiſtas, præ nimia reverentia Scripturarum, populum Chriſtianum ab iis arcere; qui Scripturas cereo naſo comparant, qui illas ambiguas & obſcuras eſſe clamitant, qui eas interpretamentis Pontificis Romani ſubjiciunt, qui denique negant aut fuiſſe divino juſſu conſcriptas, aut eſſe non ſcriptis traditionibus præponendas. Sed, ut quod res eſt dicamus, viderunt Pontificii, innumeros illos errores, quibus Eccleſiam conſpurcârunt, non poſſe ferre lucem verbi divini: illud igitur è medio amovendum ſtatuerunt, non tam metuentes nè populus per Scripturas in errores induceretur, quàm nè ſe in errores à Prælatis ſuis jam pridem inductos perſentiſceret.

Porrò, & illud obtendi poteſt, Lectionem Scripturarum illis tantùm neceſſariam, quibus munus docendi incumbit; tutius eſſe ut populus (quod infantes ſolent) cibum à nutricibus præmanſum accipiant. Verùm enimvero, ipſa neceſſitas diſcendi, ut commodiùs & expeditiùs fiat, requirit privatam lectionem Scripturarum. Nam (ut rectè obſervavit Chryſoſtomus) *privata lectio viam parat intellectioni eorum quæ publicè docentur.* Neque tamen Laici omnino eximuntur ab officio docendi; nam Patresfamiliâs tenentur uxores ac liberos ſuos inſtituere. Unde idem Chryſoſtomus, poſtquam ſeculares omnes ad biblia comparanda excitâſſet, ſic alloquitur Patresfamiliâs, *Vos oportebat duntaxat à nobis inſtitui, uxores verò à vobis, à vobis etiam liberos.*

Hom. 1. in Matth.

Hom. 9. in Epiſt. ad Coloſſ.

Illud denique affertur à nonnullis, quaſi ad rem faceret, Quòd Hebræi non permittebant juvenibus lectionem quorundam ſacrorum librorum; út ſcribit Nazianzenus in oratione de modeſtia in diſputationibus obſervanda. Scribit etiam Origenes, *Apud Hebræos, niſi quis ad ætatem maturam perveniſſet, Canticum Canticorum nè in manibus quidem tenere permittebatur.* Ex Hieronymo addi poteſt illa Hebræorum traditio, *Ut nemo qui triceſimum annum non impleviſſet, vel principia Geneſeos, vel Canticum Canticorum, vel Ezechielis exordium & finem legere permitteretur.* Sed hæc omnia eos refellunt qui Scripturas adimunt populo Dei; tantum abeſt ut hoc eorum inſtitutum ſtabiliant. Nam, Primò, obſervandum eſt, lectionem illarum Scripturarum non *ablatam* hominibus, ſed *dilatam* fuiſſe. Dein, hæc traditio ætatem hominum ſpectans, tam Eccleſiaſticos quàm Laicos arcebat. Poſtremò, quæ certa loca Scripturarum ſepoſuit ad tempus, ac legi vetuit ab adoleſcentibus, Scripturas reliquas ab eiſdem legi voluit; etiam & illas, poſt adeptam ætatis quandam maturitatem. Depulſis adverſariorum cavillis, jam noſtra argumenta in medium proferamus.

Prologo in Cantic. Cantic.

Proœmio in Ezech.

Argum. 1. Primum petatur à mandato & voluntate Dei in Scripturis patefacta; cui plus tribuere debemus, quàm traditionibus Hebræorum,

bræorum, aut decretis Patrum Tridentinorum. *Reponetis verba mea in corde veſtro: —Docebitis ea filios veſtros: — Inſcribes ea poſtibus domûs tuæ, &c.* Notum eſt etiam Chriſti mandatum, *Scrutamini Scripturas.* Laudantur qui hoc præſtiterunt, Beroenſes: vituperantur qui id neglexerunt, Iſraelitæ. *Scripſi iis mirabilia legis meæ, & tanquam res aliena reputata ſunt.* Quid vultis amplius? Beati pronuntiantur, qui devotè obtemperant huic mandato divino, & in ſtudio Scripturarum jugiter ac diligenter ſeſe exercent: *Beatus vir qui in lege Dei meditatur die ac nocte.* Nullum hîc diſcrimen videmus inter Laicos & Clericos, omnes vocantur ad Scripturas, omnibus Scripturæ proponuntur evolvendæ.

Deuter. 11, 18, 19, 20.

Joan. 5. 39. Act. 17. Hoſ. 8. 12.

Pſalm. 1. 2.

Secundum petatur à praxi Prophetarum & Apoſtolorum. Verbum hoc quod Papiſtæ populo ademptum cupiunt, illi prædicârunt non Sacerdotibus ſolis, ſed toti mundo. Idem literis conſignatum, non ab Eccleſiaſticis tantùm, ſed à Laicis legi voluerunt; certè neminem edicto ab ejus lectione arcuerunt, neminem ad facultatem ab Epiſcopis aut Inquiſitoribus petendam obligârunt. Certum eſt, Romanos, Corinthios, reliquóſque ad quos Apoſtolorum Epiſtolæ miſſæ fuerunt, & potuiſſe & debuiſſe eas legere. Abſurdum enim eſt ut putemus, ſcripta Apoſtolorum ad totam Eccleſiam miſſa fuiſſe, ſed hâc cautione, nè quis Laicorum in illa introſpiceret, niſi veniâ ab Ordinario loci aut quibuſdam Inquiſitoribus petitâ & obtentâ. Gregorius Magnus totam Scripturam vocat *Epiſtolam Omnipotentis Dei ad ſuam creaturam:* Auguſtinus, *Legationem à Deo ad nos miſſam.* Quis vetabit nè populus attingat literas tam Laicis quàm Clericis miſſas? nè legationem ſolennem ad ſe deſtinatam ipſe recipiat, evolvat, & apud ſe perpendat? De Teſtamento vetere aſſerit doctiſſimus Comes Mirandulanus, *Omni turba Iſraelitica legenda lex tradebatur:* Et de doctrina Evangelica, *Hiſtoria Evangelica debet eſſe perpetua lectio cujuſlibet Chriſtiani.*

Præfat. in Heptaplum. Expoſit. in Orat. Domin.

Tertium petatur à fine ſive fructu Scripturarum. Scriptæ ſunt ut indè petamus illuminationem mentis, quoad credenda; directionem vitæ, quoad agenda; ut indè hauriamus ſolatium in rebus adverſis; uno verbo, ut indè evadamus perfecti ad omne opus bonum. Hinc illa Pſalmiſtæ encomia quibus verbum Dei paſſim exornat: [a] *Convertit animas, —ſapientiam præſtat parvulis:* [b] *Corrigit vias etiam adoleſcentium.* Sed hoſce fructus enucleatè recenſuit Apoſtolus, 2. Timoth. 3. 16, 17. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata eſt, utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Aut hiſce opus non habent Laici, aut à Scripturis, unde hi fructus decerpi poſſint, non ſunt arcendi. Si dixerint adverſarii, redundare quidem hoſce fructus ad populum

[a] Pſalm. 19. 7.
[b] Pſalm. 119. 9.

populum ex verbi publica prædicatione, non autem ex privata
Aug. Epiſt. 120. lectione; omnes pii doctíque illis reclamabunt. *Ama lectionem Scripturarum, & omnia quæ cognitione digna ſunt, aut certè plurima, Deo inſpirante, perdiſces.* Hìc oſtendit Auguſtinus, legendo Scripturas illuminari ſolere mentes humanas. Sed etiam corda mutari ac purgari ſuo didicit exemplo; ut videre licet, Confeſſ. lib.8. cap.ultimo.

Quartum petatur à diſſidiis Chriſtianorum in negotio religionis. Nam ſi de ſuis temporibus verè dixerit Chryſoſtomus,
In Matth.Hom.29 *Omnes Chriſtiani ſe conferre ad Scripturas debent, quia non eſt aliud refugium Chriſtianorum,* tum multò magìs hâc noſtrâ ætate ità abundare oportet Chriſtianos ſcientiâ verbi divini, ut poſſint ſpiritus probare, à ſeductoribus cavere, atque in omnibus quæ ad fidei integritatem, aut morum ſanctitatem pertinent, verum à falſo diſcernere. Qui autem in Scripturis minimè exercitati ſunt, hæc præſtare nullo modo poſſunt: ſed, tanquam pueri, quovis vento doctrinæ temere circumferuntur; aut, tanquam cæci, à quovis cæco duce in foveam præcipitantur. Neque tamen illud ſentio, Ex lectione Scripturarum quoſvis Chriſtianos aut poſſe parare, aut debere affectare controverſiarum quæ nunc dierum agitantur ſcientiam; ſed poſſe & debere, ſi aſſiduè & devotè iis incumbant, illam ſcientiam acquirere, quæ illorum mentes ità dirigat, ut nec in *credendis* pernicioſos errores pro orthodoxæ fidei dogmatibus, nec in *agendis* ſuperſtitioſos cultus aut quoſlibet illicitos & impios actus pro officiis lege Dei imperatis amplectantur. Hoc ſufficit illis quibus non incumbit munus publicè docendi in Eccleſia: hoc privatis Chriſtianis competere poteſt, qui unà cum lectione Scripturarum alia debita media & cognitionis acquirendæ ſubſidia conjungere non detrectaverint. Quicquid Papiſtæ de difficultate & obſcuritate Scripturarum diſputent, ad deterrendos Laicos à ſacra hac lectione, communis ſanctorum Patrum ſententia eſt, Poſſe eos qui ad haſce legendas pio animo acceſſerint, indè haurire quod ſibi ſufficit ad ſalutem. Mitto cæteros Patres, ac duo tantummodo teſtimonia afferam; unum Auguſtini, alterum doctiſſimi
De doctrina Chriſtiana lib.2.cap.9. ejus diſcipuli, Proſperi Aquitanici. Sic Auguſtinus, *In iis, quæ apertè in Scripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moréſque vivendi.* Quid impediat Laicos, quò minùs legendo ex Scripturis hauriant ea, quæ in Scripturis apertè poſita reperiuntur? Sed jam Proſperum audiamus: *Doctrina Apoſtolica tam ſalubris támque vitalis eſt, ut pro capacitate audientium, neminem ſui relinquat exortem. Quia, ſive ſunt parvuli ſive magni, ſive infirmi ſive fortes, habent in ea & unde alantur, & unde ſatientur.*
Epigram.de doctr. Apoſt. Quod etiam elegantiſſimo hoc Epigrammate expreſſit,

Exueret Deus ut tetrâ caligine mundum,
Doctrina accendit lumen Apoſtolica:

Qua

Quæ nullis animis, nullis non congruet annis,
Lacte rigans pueros, pane cibans validos.

Quæ igitur hæc invidia, quanta impietas, Scripturas divino artificio omnium animis illuminandis ſanandíſque attemperatas, ſolis doctis concedere, indocto populo eripere! Sed negat Bellarminus Scripturarum lectionem in lingua vernacula eſſe Laicis vetitam; imò (inquit) *Videmus concedi lectionem ejuſmodi librorum iis qui utiliter & cum fructu eâ uti poſſunt, id eſt, iis qui facultatem ab Ordinario obtinuerint.* Quid, quæſo, aliud eſt vetare, quàm inhibere nè quivis Laicus attingat Scripturas, niſi ſpeciali facultate priùs obtentâ ab Ordinario aut Inquiſitoribus; quod Pius quartus ſanxit, & ſynodus Tridentina approbavit? Quid aliud eſt vetare lectionem Scripturarum in lingua vernacula, quàm Laicos hoc facientes pro hæreticis habere, & flammis adjudicare? Sed licet hoc facere obtentâ priùs facultate. Præclarè. Quàm pauci apud iſtos curant hanc facultatem obtinere! quàm pauci (nè hæreticam videantur olere novitatem) audent eam petere! quàm pauci (niſi in omnes Eccleſiæ Romanæ errores jurati) poſſunt talem facultatem ſperare! Huc igitur res redit denique, Non licet Laico cupienti legere Scripturas, niſi id illi nominatim permiſſum fuerit: impetrare autem hanc facultatem nemo poterit, niſi de quo apud Ordinarium conſtiterit, quòd à Romanenſium erroribus nè latum quidem unguem abſcedet. Quicquid igitur obtendit Bellarminus, manifeſtum eſt, Laicos arceri à lectione Scripturarum; quod ingenuè agnoſcit Joannes Molanus, cujus verba clauſulam imponent huic noſtræ diſſertationi: Sic igitur ille, *Negamus à Laicis requiri ſtudium Scripturarum; imò ſalubriter dicimus eos à lectione Scripturarum arceri, ſufficeréque ut ex præſcripto Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ vitæ curſum moderentur.*

De verbo Dei, lib. 2. cap. 15.

De pract. Theolog. tract. 3. cap. 27. concl. 2.

Quæstio XL.

Superbia fuit primum peccatum Angelorum.

SCripturæ Angelorum lapsum & apostasiam clarè indicant; sed qualis, aut ex quo speciali peccato originem sumpserit hæc illorum apostasia, tam clarè ex iisdem Scripturis non colligitur.

Apud Patres, Scholasticos, omnésque ferè Theologos obtinuit illa opinio, quæ statuit superbiam fuisse primum peccatum Angelorum. Nazianzenus, in Natalem Salvatoris, *Qui propter splendorem Lucifer, propter superbiam Caligo & factus & dictus est.* Augustinus, 12. de Civ. Dei, cap. 6. *Cùm causa miseriæ malorum Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, Quòd ab illo qui summè est aversi, ad seipsos conversi sunt, qui non summè sunt: & hoc vitium quid aliud quàm superbia nuncupatur?* Prosper, de vita contemplativa, lib. 3. cap. 3. *Superbia ex Angelis Dæmones fecit: humilitas homines sanctis Angelis similes reddit.* Et denique Bernardus, Serm. 22. in Cantic. cantic. *Angeli superbia lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur.* Et revera hæc sententia est omnium maximè probabilis. Nam cùm spiritualis natura capi non possit, nisi bono aliquo spirituali; in spiritualibus autem bonis affectandis non peccetur, nisi per hoc, quòd in tali affectu superioris regula non servetur: consequens est, superbiam, cujus proprium est in affectanda excellentia mensuram suam transilire, fuisse primum omnium peccatorum. Ad hæc, Cùm Angeli pulcherrimis dotibus à suo Creatore fuerunt exornati, non facile est excogitare ullam peccati speciem in quam tam proclive fuit illis labi, atque in superbiam. Nam quod nonnulli ex antiquis de peccato libidinis cum mulieribus admisso fabulantur, indignum est quod refellatur. Nec admittendum est, quod de invidia, tanquam primo Diaboli peccato, dixit Cyprianus: *Hinc Diabolus inter initia statim mundi & periit primus & perdidit. Ille Angelicâ Majestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem factum conspexit,*

Serm. de Zelo & livore.

in

in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens inſtinctu zeli, quàm ipſe zelo antè dejectus; captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum ſtimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipſe quoque id quòd prius fuerat amiſit. Hactenus Cyprianus: Quibus verbis videtur innuere, Diabolum invidiſſe homini ad imaginem Dei facto, & hoc primo ſuo peccato tam ſe quàm hominem perdidiſſe. Sed hoc non eſt admodum verisimile: nam invidia non eſt (ut ità dicam) peccatum originarium, ſed ſemper à ſuperbia ortum habet. Hoc optimè oſtendit Auguſtinus, lib. 11. de Geneſi ad literam, cap. 14. *Nonnulli* (inquit) *dicunt hunc Diabolo fuiſſe caſum à ſupernis ſedibus, quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei: ſed invidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit. Non enim cauſa ſuperbiendi eſt invidentia, ſed cauſa invidendi ſuperbia.* Et non multò pòſt, *Superbiendo igitur invidus, non invidendo quiſquam ſuperbus eſt.* Fatemur itaque, quòd per invidiam Diaboli mors intravit in orbem terrarum, ſed per invidiam Diaboli lapſi, qui ægris oculis intuebatur hominem ad immortalitatem & beatitudinem factum, à qua ipſe exciderat. Ante lapſum ſuum cur homini inviderit Angelus nulla cauſa aſſignari poteſt; ſed poſt primum ſuum peccatum excluſus ab omni ſpe beatitudinis adipiſcendæ, non potuit non invidere homini, quem ad eandem deſignatum intellexit. Poſtquam igitur ipſe perierat per ſuperbiam, trahere voluit ſecum humanum genus per invidiam. Hiſce omnibus addi poteſt, Diabolum, ex communi conſenſu Theologorum, peccâſſe ante hominem à Deo creatum. Primum igitur ejus peccatum non potuit eſſe invidia in hominem, de quo an creandus eſſet, vel ſaltem qualis & quibus doribus ornatus creandus foret, ipſe ignorabat. Poſtremò, verisimile eſt, Diabolum primos parentes eâdem ſuggeſtione ineſcâſſe, quâ ipſe captus fuit: at illis injecit propriæ excellentiæ inordinatam appetitionem; *Eritis ſicut Dii, &c.* Videtur igitur ipſe hujuſmodi ſuperbo aliquo motu corruiſſe. Huc adferri ſolet illud Eccleſiaſtici, *Initium omnis peccati ſuperbia.* Cap. 10. Quæ etiam apud Eſaiam de Regis Babylonici faſtu literaliter affirmantur, à Patribus ad hanc Diaboli ſuperbiam adumbrandam paſſim referuntur: ſicut etiam & multa conſimilia quæ de Rege Tyrio habentur apud Ezechielem. Ut itaque admittamus communem hanc & maximè probabilem ſententiam, primum peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam; tamen quodnam fuerit ſpeciale objectum primæ hujus ſuperbæ motionis, difficile eſt aſſignare. Putant multi affectâſſe illum inconſideratâ quâdam voluntate æqualitatem Divinam: quod multis in locis ab Auguſtino traditur: ſed ille unus pro omnibus ſufficiat, Concione 1. in Pſalm. 68. *Chriſtus non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: & tamen ſemetipſum exinanivit. Sed quis rapuit primò? Ille qui ſeduxit Adam. Quomodo rapuit Diabolus? Ponam ſedem meam* Cap. 28.

ad aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo. Rapere voluit divinitatem, perdidit felicitatem. Quam opinionem, inter Scholæ Doctores, amplectitur Scotus: atque ſuam ſententiam ità explicat; *Non potuiſſe quidem Diabolum appetere æqualitatem Dei voluntate efficaci; quia talis voluntas non eſt impoßibilium: ſed velleitate quâdam, ſeu voluntatis actu conditionato id deſiderâſſe*, quod ad peccati reatum contrahendum ſufficit. Atque videtur hanc ſententiam ſuam à Lombardo mutuâſſe, qui expreſſis verbis ait, *Diabolum voluiſſe ſe parificare Deo.* Alii dicunt Diabolum deſiderâſſe ſibi beatitudinem ex ſe & in ſe abſque habitudine ad Deum: non ità ut directè appetierit divinitatem, ſed indirectè, id deſiderando quod ſoli Deo poteſt convenire. Nam creaturæ limites & conditionem excedit, habere vel eſſentiam vel felicitatem à ſe, & independentem ab alio. Dei hoc ſolius privilegium eſt, & qui hoc concupiſcit, indirectè divinitatem concupiſcit. Huc ſpectant illa Gregorii verba de Diaboli lapſu, *Celſus eſſet, ſi ei qui veraciter celſus eſt inhærere voluiſſet: celſus eſſet, ſi participatione veræ celſitudinis contentus fuiſſet: ſed dum privatam celſitudinem ſuperbè appetiit, jure perdidit participatam. Relicto enim eo cui debuit inhærere principio, ſuum ſibi appetiit quodammodo eſſe principium.* Catharinus aliíque nonnulli putârunt illum peccâſſe unionis hypoſtaticæ appetitu, quo deſideravit ſuam naturam divinæ perſonæ uniri. Nam ſtatim poſt Angelos creatos, opinantur Deum illis revelâſſe, quòd etiam vellet creare hominem quendam ex terrena ſubſtantia, cujus humanam naturam Filius Dei ſibi conjungeret. Præceptum inſuper fuiſſe Angelis, ut huic ſe ſubmitterent, atque ut ab hoc, tanquam ſalutis ſuæ autore, penderent. Malorum autem Angelorum Principem, dedignatum homini ſe ſubmittere, hunc honorem ſuperbè ſibi vendicâſſe, cæteróſque malos Angelos ejus ſuperbiæ conſenſiſſe. Huic conjecturæ illud ſuffragari videtur, quòd ſicut homini in ſtatu innocentiæ ſuæ datum fuit præceptum poſitivum ad explorandam ejus obedientiam; ità veriſimile eſt in eundem finem datum fuiſſe Angelis aliquod tale mandatum: non eſt autem facile excogitare aliud convenientius, quàm hoc de adoratione Verbi incarnandi, ſeu Chriſti θεανθρώπου. Sed quæ ſine autoritate Scripturarum aut antiquorum Patrum aſſeruntur, eâdem facilitate, quâ affirmari, & repudiari poſſunt. Ab hac opinione non multùm abludit Hieronymus Zanchius. Sed ad me quod attinet, nihil aliud concludo, quàm de ſpeciali objecto Diabolicæ ſuperbiæ mihi non liquere; ſuperbiam tamen in genere fuiſſe primum Diaboli peccatum arbitrari.

In lib. 2. Sent. diſt. 6. quæſt. 1.

Lib. 2. diſt. 5.

Moral. lib. 34. cap. 17.

Comm. in Epiſt. ad Philip. cap. 2.

De oper. creat. 4. 2.

Quæſtio

Quæstio XLI.

Publica religionis exercitia ſunt linguâ vulgari peragenda.

PUblica religionis exercitia habentur, quæcunque in Eccleſiis ſolenniter congregato populo peraguntur. Hujuſmodi ſunt conciones, Sacramentorum adminiſtrationes, preces, lectio Scripturarum, uno verbo, quælibet ſacra officia in ſacro conventu populi à Sacerdotibus celebrata. Hæc omnia linguâ vulgari peragenda, id eſt, cognitâ & vulgo intellectâ, haſce ob cauſas judicamus.

Primò, quia canon Apoſtolicus eſt, ut in Eccleſia Dei omnia fiant ad ædificationem. Nemo autem ædificatur audiendo quæ non intelligit: quod Apoſtolus apertè demonſtrat, 1. Cor. 14. 6, &c. Frivolum eſt quod huic argumento & teſtimonio reſpondet Eſtius, *Paulum* ſcilicet *non id velle, ut totus populus intelligat, ſed ut is ſaltem qui ſuâ reſponſione & approbatione vicem populi ſupplet: quem profectò cæteris doctiorem eſſe convenit; & in quo, tanquam ſuo vicario, populus quodammodo intelligit.* Hæc ille. Sed primò falſum eſt, Paulum noluiſſe ut totus populus intelligeret: voluit quantum in ſe fuit, omnes in Eccleſia congregatos, ad unum uſque, ædificari concionibus, precibus, cantionibus, Sacramentis in Eccleſia celebratis. Sive igitur reſpondendi officium populo univerſo incumbebat, ſive ſecùs; intelligi tamen ea debuerunt à populo univerſo, per quæ populus univerſus debuit ædificari. Porrò, ridiculum eſt, quod Eſtius videtur ſupponere, fuiſſe ſcilicet Apoſtoli temporibus unum (quem nunc *Clericum* appellant) qui ſolus populi totius vice reſponderet Sacerdoti ſacra officia peragenti. Contrarium planè indicant, Cyprianus in Sermone de oratione Dominica, Hieronymus Prolog. 2. in Comment. in Galat. aliíque Patres; qui totum populum reſpondiſſe Sacerdoti expreſſè dicunt. Huic erroneæ Papiſtarum

In 1. Cor. cap. 14.

piſtarum conjecturæ occaſionem præbuerunt verba illa malè intellecta, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, per quæ illi denotari putant Clericum populi vices ſupplentem; cùm nihil aliud deſignent, quàm quemvis è turba Laicorum. Poſtremò, quod ſubjunxit Eſtius, populum in ſuo hoc vicario Clerico quodammodo intelligere, eſt ab Apoſtoli mente alieniſſimum. Nam qui voluit Chriſtianos in ſcientia & pietate ædificari, non per vicarium, ſed ſingulos per ſe; voluit etiam ut intelligerent ea quæ ſpectant ad ſuam ædificationem, non per vicarium, ſed per ſe.

1. Cor. 14. 16.

Secundò, quia lingua incognita repugnat naturæ & fini publicæ orationis; nam publicæ preces requirunt, non ſolummodo corporalem præſentiam totius populi Chriſtiani, ſed multò magis publicam & communem illorum conſpirationem & conſenſionem cùm Sacerdote in precibus Deo offerendis. Unde Auguſtinus oſtendit, verbis non ſemper opus eſſe inter orandum, ſi privatim oretur, *Niſi, ſicut Sacerdotes faciunt, ſignificandæ mentis ſuæ causâ, non ut Deus, ſed ut homines audiant, & conſenſione quâdam per commemorationem ſuſpendantur in Deum.* Hinc Tertullianus deſcribens hac in re Eccleſiæ primitivæ conſuetudinem, *Coimus*, inquit, *in cætum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu factâ precationibus ambiamus orantes. —Cogimur ad divinarum literarum commemorationem: —fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, &c.* Si preces & Scripturas incognitâ linguâ Sacerdos recitâſſet, falsò & ineptè hæc omnia dicerentur. Pervertunt igitur publicas preces, & ex illis privatas faciunt, qui id unum præcipuè curare videntur, ut à nemine Laicorum, vel ſaltem à pauciſſimis intelligantur. Quod quàm abſurdum ſit, vel indè intelligere potuerunt, quòd ipſe Apoſtolus vult populum reſpondere *Amen* orationi Sacerdotali; quod eos ritè facere non poſſe docet, qui neſciunt quid à Sacerdote dicatur.

De Magiſtr. cap. 1.

In Apologet. adverſus Gentes, cap. 39.

1. Cor. 14. 16.

Tertiò, quia inter orandum, non ſatis eſt ut mens quovis affectu pio tangatur, ſed oportet affectum conformem habere ipſis rebus quas à Deo petimus. Jam verò populus, qui non intelligit Sacerdotem orantem, pium affectum aliquem interim habere poteſt; ſed conformem ipſi negotio quod agitur, non poteſt. Concedit nobis Gerſonius, Tempore orationis laudabiliorem eſſe cæteris paribus converſionem cordis ad Deum, ſi ſecundùm ſenſum orationis fiat: quamvis non concedit hoc eſſe abſolutæ neceſſitatis quoad illiteratos. Sed, quicquid de hac abſoluta neceſſitate ſtatuatur, ſi laudabilius ſit ut populus orans Deum, intelligat ſenſum orationis prolatæ; laudandi non ſunt Romanenſes, qui de induſtria jubent preces publicas ità celebrari, ut populus omnino eas non intelligat. Guilielmus Pariſienſis, in libro de Rhetorica divina, cap. 40. ubi quærit quid intelligatur per *vitulos labiorum* apud Prophetam Hoſeam, hæc

In Regulis Moralibus, de Acedia.

Cap. ult. verſ. 2.

verba

verba habet, *Carnes iſtius vituli intellectus ſunt & cogitationes eorum quæ verbis orationis ſignantur: Pinguedo carnium hujuſmodi devotio eſt: Pellis autem vituli iſtius, ipſe contextus & ſeries verborum eſt: Pili quoque in vitulo iſto, ſtrepitus eſt vocalis exterior.* Paulò poſt, *Sunt qui pellem vituli iſtius Deo reddunt: & hoc utique bonum eſt, niſi Deum potioribus vituli iſtius defraudarent; ſcilicet dum intellectus & ſignata verborum vel non habent, vel nuncupant: & ſi in pelle Deo ſatisfacere videantur, in carnibus tamen non modicum ſacrificium laudis detrahunt & detrimcant.* In publico igitur orationis ſacrificio plebs Papiſtica pellem & pilos ſacrificii, id eſt, ſeriem quandam & ſtrepitum verborum Deo offerre poteſt: ſed carnes & pinguedinem hujus ſacrificii, id eſt, verborum ſenſum, & devotionem mentis verbis conformem, nullo modo poteſt.

Poſtremò, quia ex Eccleſiæ primitivæ praxi manifeſtum eſt, publicam lectionem Scripturarum, & publicas preces, non aliâ linguâ celebratas, quàm publicas conciones: haſce autem linguâ toti populo optimè intellectâ ſemper habitas fuiſſe, nemo dubitabit. Quamvis ergò, dum floruit Romanum imperium, officia ſacra Latinè peragi haud incommodè potuerunt, quia lingua Latina vulgo Chriſtianorum tam nota fuit per Provincias Romano imperio ſubditas, ut Patres etiam Latinè concionantes intelligerent: tamen poſtquam cum imperio Latinorum vulgaris uſus linguæ Latinæ evanuit, inſaniæ extremæ fuit, in publicis conventibus Scripturas & preces Latinas adhuc retinere, & populo obtrudere. Atque hîc quæro à Pontificiis, cùm Ambroſius, Auguſtinus, aliíque Patres in Eccleſiis occidentalibus Latinas conciones ad populum habuerint, cur ipſi nunc dierum inter prædicandum ſermone vernaculo utantur, non Latino. Nihil aliud poſſunt reſpondere, quàm conciones Latinas ad populum Latinè non intelligentem infructuoſas fore omnino & ridiculas. Idem nos dicimus de lectione Scripturarum, precum, atque adeò reliquorum omnium quæ ad publicam liturgiam ſpectant, & populi conventum deſiderant. Cur populus cogatur ea audire, quæ prohibetur intelligere? Cur verba, quæ ſigna debent eſſe, ità adhibentur, ut quid per ea ſignificetur neſciant audientes? Mirum profectò eſt, tam craſſum errorem nondum fuiſſe à Præſulibus Romanæ Eccleſiæ reformatum. Sed haſce pœnas meritò luit illa Eccleſia, quæ jactitat ſe non poſſe errare, ut ex quo ſemel erravit, cogatur æternùm in ſuis erroribus perſeverare. Nam ſaniores quoſdam Papiſtas vidiſſe hunc abſurdum errorem, ex Lyrano colligere licet, qui ſcribit, *Populum intelligentem preces Sacerdotis, meliùs reduci in Deum, & devotiùs reſpondere, Amen:* atque etiam ex Cajetano, qui in Commentariis ad eundem locum ſcripſit, *Melius eſſe ad Eccleſiæ ædificationem, ut publicæ orationes linguâ vulgari dicantur, quàm Latinâ.* Quam

In 1. Cor. cap. 14.

propoſitionem agnoſcit, & in doctrina Pauli fundatam eſſe aſſerit, Tom. 3. in Opuſc. Tract. 15. in Reſp. ad artic. ſibi impoſitos, artic. 7. Extat denique apud beatæ memoriæ Juellum noſtrum Joannis Billetti hac de re querimonia: *In primitiva* (inquit) *Eccleſia prohibitum erat, nè quis loqueretur linguis, niſi eſſet qui interpretaretur. Quid enim prodeſſet loqui, niſi intelligeretur? Indè etiam inolevit laudabilis conſuetudo, ut pronunciato literaliter Evangelio, ſtatim in vulgari populo exponeretur. Quid autem noſtris temporibus eſt agendum, ubi nullus vel rarus invenitur legens vel audiens qui intelligat? Videtur igitur potiùs eſſe tacendum, quàm pſallendum.* Celebrent ergò Papiſtæ officia ſacra ſermone vernaculo & plebi intellecto, aut ab inani ſuo boatu deſiſtant.

Juellus contra Harding, art. 3. pag. 118.

Quæſtio

Quæstio XLII.

Diversitas graduum in Ministris Evangelicis, verbo Dei non repugnat.

QUæ de septem spiritualium officiorum gradibus, sive ordinibus, tradunt Pontificii, non est præsentis instituti attingere: præsertim cùm ipsi cogantur fateri, omnes infra Diaconatum esse adjectitios. De Episcopatu & Presbyteratu solummodo disputandum est. Neque hîc opus erit subtiliter disquirere, utrùm Episcopatus sit diversus ordo à Presbyteratu, an alius & altior tantùm gradus in eodem ordine. Guilielmus Parisiensis disertè affirmat Episcopatum non esse *ordinem* sed *honorem*: cui etiam adstipulatur Gersonius, cujus hæc sunt verba, *Non est alia potestas ordinis in Episcopis quàm Presbyteris, sed eadem ineſt modo perfectiori.* Durandus denique in eadem sententia est: *Episcopatus* (inquit) *non est ordo præcisè distinctus à Sacerdotio simplici, sed distinguuntur sicut perfectum & imperfectum.* Hinc igitur redit Scholasticorum argutatio, Episcopatum, ut distinguitur à simplici Sacerdotio, non esse alium ordinem, sed eminentiorem quandam potestatem & dignitatem in eodem ordine Sacerdotali constitutorum. Nobis sufficit (hâc verborũ velitatione sepositâ) si ostendamus, eos, qui appropriatè vocantur Episcopi, habere dignitatem altiorem, potestatem majorem, & eminentiora officia sibi annexa, quàm habent alii Presbyteri, idque verbo Dei minimè repugnante. Sed parùm est quod dicimus *non repugnante*: nam in verbo divino adumbratam, delineatam, & ab ipsis Apostolis constabilitam fuisse hanc Episcoporum supra Presbyteros eminentiam, facile est demonstrare.

Lib. 4. dist. 24.

Nam primò, quod in Ecclesia Judaica à sapientissimo Deo fuit institutum, ut summus Sacerdos reliquis Sacerdotibus, Sacerdotes Levitis præficerentur, id Ecclesiæ Christianæ præluxit, ad consimilem ordinem stabiliendum. Unde illud Hieronymi,

Numer. 3 & 4 cap.

Epiſt. ad Euag.

Ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de Vetere Teſtamento, quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia. Voluit Deus ordinem quendam vigere inter Miniſtros veteris Teſtamenti: voluit Eccleſia inter ſuos non diſſimilem ordinem reperiri. Ubi autem omnes dignitate & poteſtate pares exiſtunt, ibi ordinis decori nè umbra quidem retinetur. Nam ordo nihil aliud eſt, quàm parium impariúmque, ſua cuique tribuens loca, diſpoſitio. Aufer ergò imparitatem, & eâdem operâ omnem ordinem turbatum inter ſacros Miniſtros relinques.

Secundò, manifeſtum eſt, ipſum Chriſtum Miniſtros ad ædificationem Eccleſiæ conſtituiſſe, non pari autoritate præditos, ſed dignitatis & poteſtatis gradu diſtinctos. Nam duodecim Apoſtoli ſeptuaginta Diſcipulis eminebant; nec donorum ſolummodo præſtantiâ, ſed autoritatis & poteſtatis amplitudine, iiſdem præponebantur. Jam verò omnium ferè Patrum conſtans doctrina eſt, Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe in gubernatione Eccleſiæ ordinaria, ſicuti & Presbyteri ſucceſſerunt ſeptuaginta Diſcipulis. Pro omnibus loquatur unus Auguſtinus, in

In Pſalm. 44.

hæc Pſalmiſtæ verba, PRO PATRIBUS NATI SUNT TIBI FILII: *Quid eſt* (inquit) PRO PATRIBUS TUIS NATI SUNT TIBI FILII? *Patres miſſi ſunt Apoſtoli: pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa filios genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum.* Eadem eſt Hieronymi, Ambroſii, Theodoreti ſententia; qui omnes in hoc conveniunt, quòd agnoſcant Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores: non in illis extraordinariis privilegiis, quæ ad fundandam Eccleſiam erant neceſſaria; ſed in illa ordinaria ſuperioritate, quæ ad perpetuã conſervationem & propagationem Eccleſiæ fundatæ requiritur. Huc adde, ſtatim poſt aſcenſionem Chriſti Eccleſiam diſtinctam & ornatam fuiſſe Miniſtris Evangelicis, qui inter ſe diſtabant, non modò donorum varietate, ſed dignitatis & poteſtatis quâ-

1. Cor. 12. 28, 29.

dam imparitate. *Poſuit Deus in Eccleſia ſua, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, deinde Doctores, &c. Num omnes Apoſtoli? num omnes Prophetæ? &c.* Qui Miniſtros Evangelicos poteſtate pares eſſe volunt, aut Chriſti factum neſcire videntur, aut illud ab Eccleſia minimè imitandum judicare.

Veniamus tertio in loco ad ipſos Apoſtolos, quos dicimus, priuſquam è terris in cœlos migrárunt, Epiſcopum reliquis Presbyteris autoritate ſuperiorem, poteſtate majorem, in magnis civitatibus collocâſſe. Hic erat illius civitatis primarius Paſtor; hic non modò in Laicos, ſed Clericos ſive Presbyteros ejuſdem civitatis, ſuperioritatem obtinebat. Talis erat apud Cretenſes Titus, apud Epheſios Timotheus, apud Hieroſolymitanos Jacobus, apud Antiochenos Euodias, apud Alexandrinos Amianus,

anus, apud Smyrnenses Polycarpus, ut de aliis taceam, quos viventibus, videntibus, approbantibus, imò id ipsum procurantibus Apostolis, in sedem Episcopalem evectos planè constat. Constat etiam, horum successores per universam Christi Ecclesiam semper obtinuisse eximiam quandam super gregem suum, super inferiores Ministros autoritatem: constat denique de perpetuâ successione eorundem. Huic rei vel ipsi tituli attestantur passim apud antiquos Episcopis hisce atque eorundem successoribus attributi: Vocantur *Pastores magni, Prælati, Capita, Principes Ecclesiæ.* Si omnium Ministrorum par dignitas fuisset & potestas, nunquam hujusmodi inanibus titulis Episcopi præ aliis ornarentur, vel potiùs illuderentur. Quid quòd ipse Christus hosce primarios Pastores (quos Episcopos vocamus) Ecclesiarum suarum *Angelos* κατ' ἐξοχὴν, appellavit? Erant in Ecclesia Ephesina, Smyrnensi, Pergamensi, reliquísque, multi Presbyteri; erat tamen in singulis unicus Angelus, id est, Episcopus, quem Christus singulariter compellat. Si unus fuisset è grege Presbyterorum, nec dignitate nec potestate major cæteris, cur illum Christus quasi nominatim conveniret, nulla causa fuit. Non malè igitur Beza exponit hæc verba, ANGELO ECCLESIÆ EPHESINÆ, *Id est,* προεστῶτι, *Præposito:* quod verbum optimè quadrat in Episcopum, qui non Laicis solùm, sed Clericis reliquis præponitur. Quod autem de hujus προεστῶτος munere minimè perpetuo attexit, id ex historia Ecclesiastica tam clarè refellitur, ut mirum sit, à viro docto, & antiquitatis minimè imperito, fuisse affirmatum.

Apud Nazianz. & Hilar.

Apoc. 2.

In 2. Apoc.

Sit igitur hoc fixum & stabilitum, Inter multos Presbyteros, qui in una aliqua civitate verbum & Sacramenta administrabant, fuisse unum ab ipsis Apostolis præpositum cæteris, & singulari quadam dignitate ac potestate munitum. Hisce Episcopis Apostolorum autoritate sic stabilitis, constat perpetuâ serie successores fuisse subrogatos in iisdem civitatibus; novos etiam ad idem exemplar (quando Ecclesiæ sic visum fuit) in aliis civitatibus constitutos. Id jam ultimo in loco dispiciendum est, quibus in rebus sita fuerit præcellens hæc dignitas & potestas Episcoporum, quâ distinguantur ab aliis Presbyteris inferioribus, ídque non suâ præsumptione, sed ordinatione Apostolicâ. Hîc autem illud ingenuè agnoscendum est, Episcopos habere aliqua supra Presbyteros privilegia, quæ non à primaria Apostolorum institutione, sed aut ex singulari Principum Christianorum beneficio, aut Conciliorum autoritate, originem duxerunt. De talibus cum Hieronymo dicimus, *Ea potiùs ad honorem sacerdotii, quàm ad legis necessitatem pertinere.*

Dialogo adversus Luciferanos.

Tria autem sunt insignia Episcoporum propria, quibus facilè à cæteris Presbyteris distinguantur, cæterísque superiores agnoscantur.

Primum est, quòd in civitatibus, quantumvis amplis & populosis, in quibus plures Presbyteri creabantur, unicum tantùm Episcopum ordinârunt Apostoli, cui decedenti alius singulariter in eadem sede succedebat. Hinc illud Concilii Nicæni decretum, *Nè in una civitate sint duo Episcopi.* Hinc Cornelius Romanus Episcopus exprobrat Novato inscitiam suam, quòd singularitatem successionis Episcopalis non agnoscat: *Vindex ille Evangelii ignoravit unum esse debere Episcopum in ea Ecclesia in qua non nescit Presbyteros esse quadraginta sex, &c.* Si paritatem omnium Ministrorum probâssent Apostoli, cur hâc singularitate successionis unum à reliquis omnibus distinctum esse voluerunt? Hieronymus (qui in Episcopalem dignitatem paulò iniquior habitus est) agnoscit tamen, cum hac singulari successione singularem dignitatem & eminentiam fuisse conjunctam. Sic enim scribit de Alexandrino Episcopo, *Alexandria, à Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri unum semper ex se electum, in excelsiore gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Ab hac Episcopi unius in una civitate, sive Diœcesi, eximiâ autoritate externam pacem & unitatem Ecclesiæ pendere viderunt sanctissimi ac sapientissimi Patres, atque nobis testatum reliquerunt. Cyprianus, vir ab omni superbia & ambitione remotissimus, hanc Sacerdotalem autoritatem unius Episcopi divinâ dignatione firmatam demonstrat; ac statim addit, *non aliunde hæreses obortas, aut nata esse schismata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.* Quæ verba impudentissimè à Romanensibus ad Papæ Monarchiam stabiliendam detorquentur; cùm luce meridianâ clarius sit, beatissimum Martyrem de seipso, non de Pontifice Romano loqui. Si suspectum sit Episcopi testimonium in causa Episcoporum, audiamus rursus S. Hieronymum, qui nec deprimere Presbyteros, nec plùs æquo solet Episcopos extollere. Sic ille, adversus Luciferianos, *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quadam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.* Hæc ipsa singularitas Episcopalis successionis, conjuncta semper cum amplitudine quadam autoritatis, per se sufficit ad debellandum errorem nuper natum de paritate omnium Ministrorum.

Euseb. 6. 42.

Epist. ad Euagr.

Epist. lib. 1. epist. 3.

Cap. 4. pag. 199.

Sed accedat secundum insigne dignitatis Episcopalis, Jus scilicet & potestas ordinandi; quæ ab ipsis Apostolis ad Episcopos transmissa, Presbyteris autem inferioribus denegata est. Utrumq; indè liquet, quòd videmus Apostolos ad Ecclesias in quibus multi fuerunt Presbyteri (Ephesinam scilicet & Cretensem) misisse Timotheum & Titum, ut, cùm opus esset, Presbyteros ordinarent. *Manus citò nemini imposueris,* Pauli monitum est ad Timotheum ordinandi potestate præditum. *Hujus rei gratiâ reliqui*

1. Tim. 5. 22.

liqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ejuſdem verba ad Titum eodèm ſpectantia. Cur ante appulſum Timothei non potuerunt Presbyteri Epheſini alios ordinare? Cur ante adventum Titi non licuit Cretenſibus Miniſtris idem facere? Nulla ratio hujus rei aſſignari poteſt ſatis idonea, niſi quòd ordinandi poteſtas in illis ſolis reſidet, qui Epiſcopali munere funguntur. Hieronymus (qui videtur nonnullis cum Aerio ſenſiſſe) fatetur tamen ordinationem ità propriam eſſe Epiſcoporum, ut fas non ſit Presbyteris eam ſibi uſurpare. *Quid facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Huic inſtituto Apoſtolico ſemper acquievit Eccleſia catholica, nec aliam ordinationem legitimam agnovit, quàm quæ ab Epiſcopo legitimo celebratur. Celebre eſt illud exemplum apud Athanaſium: Colythus quidam in Eccleſia Alexandrina Presbyter, alios Presbyteros ordinare præſumpſerat: Sed quid illis factum poſtea? *Reſciſſa eſt hæc ejus ordinatio, & omnes ab eo conſtituti Presbyteri, in Laicorum ordinem redacti fuerunt.* Certum igitur eſt, poteſtatem ordinandi ex officio ſolis Epiſcopis convenire, Presbyteris inferioribus non convenire; quod manifeſtum eſt Epiſcopalis dignitatis & Presbyteralis inferioritatis argumentum. Sed hîc obiter dubium explicemus, quod ab ipſis Scholaſticis non eſt prætermiſſum. Quærere enim ſolent, An præter Epiſcopum, qui ex officio ordines ſacros diſpenſat, poſſit inferior Epiſcopo eoſdem diſpenſare in caſu neceſſitatis. Ad quod reſpondemus, Cùm ordines ſacros conferre ex inſtitutione Apoſtolica ſit actus officii Epiſcopalis, ſi Presbyteri in Eccleſia bene inſtituta id facerent, actum hunc illorum non modò illicitum eſſe, ſed irritum & inanem. Hîc enim valebit illud Hugonis, *Quod contra inſtitutionem celebratur, irritum reputatur.* Sed in Eccleſia turbata, ubi Epiſcopi omnes in hæreſin aut Idololatriam inciderunt, ubi Miniſtros orthodoxos ordinare recuſârunt, ubi ſolos factionis & erroris ſui participes ſacris ordinibus dignos reputârunt, ſi orthodoxi Presbyteri (nè pereat Eccleſia) alios Presbyteros cogantur ordinare, ego non auſim hujuſmodi ordinationes pronunciare irritas & inanes. Nam ſi periculum uni infanti imminens, ſatis ſit ad transferendum officium baptizandi in quemvis Laicum, quod ex inſtitutione ſolis competit Miniſtris; cur periculum particulari alicui Eccleſiæ incumbens non ſufficit ad transferendum officium ordinandi in ſimplices Sacerdotes, quod ex inſtitutione ſolis competit Epiſcopis? Neceſſitas non inſcitè *lex temporis* appellatur: & in tali caſu defendit id ad quod coegit. Armachani opinio eſt, quòd ſi omnes Epiſcopi eſſent defuncti, Sacerdotes minores poſſent ordinare. Profectò non diſpar ratio eſt, cùm omnes in veritatem evaſerint hoſtes conjurati. Sicut enim quælibet Reſpublica, ſic quælibet particularis Eccleſia habet ad neceſſariam ſui conſervationem

Ad Tit. 1.5.

Vide Medin. lib. 1. de Sacr. hom. cont. cap. 5.

Epiſt. ad Euag.

Athan. Apolog. 2.

Vide Durand. lib. 4 diſp. 7. quæſt. 3.

vationem extraordinariam quandam potestatem. Hâc freti necessitate, si Ecclesiæ quædam Protestantium, quę ordinationes ab Episcopis Papistis expectare non poterant, consensu Presbyterorum suorum Presbyteros ordinârunt, non indè dignitati Episcopali præjudicâsse, sed necessitati Ecclesiæ obtemperâsse, judicandi sunt.

Restat ultimum insigne dignitatis Episcopalis, quod eos supra Presbyteros evexit, nec ullo modo patitur ut gradu pares habeantur. Hoc autem est Jurisdictionis potestas, non modò supra Laicos, sed supra Clericos, etiam Apostolicâ institutione Episcopis subjectos. Vulgò & verè dicitur, *Par in parem non habet potestatem*: at Episcopi habent in Clericos, non *Regale* quidem aut *Herile* imperium, sed *Pastorale* sive *Paternum*, quod cum omnimoda paritate sive æqualitate non consistit. Ut de aliis nihil dicatur, excommunicatio, quę est instar baculi spiritualis, Episcopo traditur in manum ad castigandum non Laicos solùm impuros aut contumaces, sed Presbyteros etiam hanc censuram promerentes. Id manifestissimè patet ex Epistolis ad Timotheum & Titum, quorum unus Ephesinæ, alter Cretensis Ecclesię Episcopus à Paulo constitutus fuit. Jubentur præcipere nonnullis nè docerent doctrinam diversam, obthurare ora deceptoribus, hæreticos rejicere, & id genus alia, quæ superioritatem & jurisdictionem innuunt. Patet etiam ex Christi ipsius ad Angelos Ecclesiarum Asiaticarum sermone. Reprehenditur Angelus (id est, Episcopus) Ecclesiæ Pergamensis, quòd in sua Ecclesia haberet quosdam tenentes doctrinam Nicolaitarum. Sic etiam Angelus Ecclesiæ Thyatirensis, quòd permitteret mulierem Jezebel docere, & populum seducere. Christi igitur ipsius judicio, penes Episcopum est autoritas hæreticos coërcendi, & ex Ecclesia ejiciendi. Non dico Episcopum id facere solitum absque consilio Presbyterorum; nam quod Cyprianus de seipso profitetur, *se à primordio Episcopatûs sui statuisse nihil sine consilio privatâ suâ sententiâ gerere*, id ab aliis piis Episcopis fuisse etiam observatum, verisimile est. Censuram tamen ab Episcopali tantùm autoritate prodiisse, & tanquam actum Episcopalis jurisdictionis in invitos transiisse, manifestum est. Nam excommunicatio *Episcopalis mucro* vocatur: in causa excommunicationis ab Episcopali judicio appellatur ad Synodum; Episcopi censura à Synodo aut firmatur si ritè lata fuerit, aut rescinditur si secùs. Non populus igitur, non Presbyteri agnoscuntur Judices in actu excommunicationis, sed solus Episcopus. Hanc fuisse primitivæ Ecclesiæ disciplinam, ex antiquis Conciliis patere potest. Inspiciantur Concilium Nicænum, can. 5. Concilium Antiochenum, can. 6. & Sardicense, can. 14. Quin etiam ipse Hieronymus non dubitat, potestatem excommunicandi Presbyteros ad Episcopum pertinere. Unde hunc in modum

Apoc. 2. 15.

Ibid. vers. 20.

Epist. lib. 3. Epist. 10.

dum ſcribit ad Riparium de Vigilantio Presbytero hæretico, *Miror ſanctum Epiſcopum, in cujus parochia eſſe Presbyter dicitur, acquieſcere furori ejus; & non virgâ Apoſtolicâ, virgâque ferreâ confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat.* Epiſt. 53.

Videntur hæc ſatis liquidò oſtendere, ab ipſis Apoſtolicis temporibus Epiſcopos fuiſſe Presbyteris gradu & poteſtate ſuperiores, nec unquam paritatem inter Miniſtros Evangelicos obtinuiſſe. Sed jam breviter ſolvenda ſunt argumenta quæ in contrarium afferri ſolent.

Object. 1.

Ipſe Chriſtus videtur prohibuiſſe hanc imparitatem inter Miniſtros Evangelicos: *Principes gentium dominantur eorum, &c. Non ità erit inter vos.* Cui accedat illud Petri, *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, &c. Neque ut dominantes Cleris, &c.* Matth. 20. 25, 26. 1. Pet. 5. 2, 3.

Solutio.

Ad Apoſtolos quod attinet, fatemur ex inſtitutò Chriſti fuiſſe omnes gradu & poteſtate pares: ſed negamus ex hoc loco, aut ullo alio ſtabiliri illam paritatem inter Miniſtros Evangelicos, quam illi volunt, qui Epiſcopalem dignitatem oppugnant. Nam non obſtante hoc Chriſti mandato duodecim Apoſtoli erant ſeptuaginta Diſcipulis dignitate altiores, poteſtate majores. Non obſtante eodem mandato, ab ipſis Apoſtolis in Eccleſia Epheſina, Cretenſi, aliiſque (uti ſuprà demonſtratum eſt) conſtituti fuerunt primarii Paſtores, qui poteſtatem juriſdictionis non modò in Laicos, ſed in ipſos ſuarum Eccleſiarum Presbyteros obtinuerunt. Non igitur Chriſtus, non Petrus graduum differentiam ſublatam voluit inter Eccleſiaſticos; ſed, conceſſâ Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis *Paſtorali gubernatione & Paternâ ſuperioritate*, noluit illos ſibi vendicare *Regale* aut *Herile imperium*, ſive in Presbyteros, ſive in populum Dei ſibi ſubjectum. Hanc imparitatem agnovit Hieronymus in Epiſtola ad Nepotianum: *Eſto ſubjectus Pontifici tuo, & quaſi anima parentem ſuſcipe.* Paulò pòſt, *Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe noverint, non Dominos: honorent Clericos, quaſi Clericos, ut & ipſis à Clericis, quaſi Epiſcopis, honor deferatur.*

Object. 2.

Paſſim in Actis & per Epiſtolas Paulinas, Presbyteri vocantur *Epiſcopi*, & è contrà: unde nonnulli conantur probare Presbyteros non modò pares eſſe Epiſcopis, ſed eoſdem prorſus cum Epiſcopis. Act. 20. 17, 28. Paulus alloquitur unius Eccleſiæ Sacerdotes, eóſque omnes vocat *Epiſcopos*. Sic ad Philip. 1. 1. omnes illius Eccleſiæ Presbyteros *Epiſcopos* appellat. Denique ad Titum 1. 7. eoſdem *Presbyterorum & Epiſcoporum* nomine deſignat. Jam verò ipſe Apoſtolus Petrus *Presbyteri* nomen ſibi accommodat, 1. Pet. 5. 1. *Presbyteros qui in vobis ſunt precor compresbyter.* Sic etiam Joannes, ſecundâ epiſtolâ ſuâ & tertiâ, ſeipſum *Presbyterum* agnoſcit. Ex hiſce locis collegit olim Hieronymus, Apoſtolos perſpicuè docuiſſe, eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos. Epiſt. ad Evag.

Solutio. Concedimus promiſcuum horum vocabulorum uſum fuiſſe tempore Apoſtolorum: quod mihi accidiſſe videtur multas ob cauſas. Primò, quia in propinquo agentes Apoſtoli, ad tempus, in multis quas fundárunt Eccleſias ſolos Presbyteros pari poteſtate præditos collocárunt, quorum curæ Eccleſia communiter fuit commendata. Rectè igitur vocabantur *Epiſcopi*, quorum officium erat ſuperintendere, & præeſſe gregi ſibi commiſſo. Porrò, in illis rebus quæ maximi ſunt momenti ad ſalutem hominum, nempe in prædicatione Evangelii & diſpenſatione Sacramentorum, Presbyteri non minùs quàm Epiſcopi invigilant, & ſuperintendunt animarum ſaluti promovendæ: unde & *Epiſcoporum* nomen non immeritò in eos quadrare potuit. Denique, probabile eſt Apoſtolos, humilitatis teſtandæ causâ, vocabula dignitatum Eccleſiaſticarum permiſciſſe; quia *ſecundùm rationem humilitatis* (utì alicubi loquitur Gregorius) *Sacerdotes omnes ſunt æquales*. Sed ſicuti Apoſtoli, quando *Diſcipuli* vocantur aut *Presbyteri*, non idcirco deprimuntur infra gradum Apoſtolatûs: ità cùm nonnulli ex Diſcipulis vocantur *Apoſtoli*, aut ex Presbyteris *Epiſcopi*; non ſtatim coæquantur Apoſtolis aut Epiſcopis propriè dictis. *Modus ſignificandi in dictionibus ſequitur modum intelligendi.* Intelligimus autem tum ex Scripturis, tum ex perpetua Eccleſiæ praxi, *Epiſcopi* nomen largè ſumptum accommodari poſſe cuivis animarum curam habenti; ſtrictè & appropriatè ſumptum in illos ſolos competere qui ſingularem habent ordinandi, & claves exercendi poteſtatem. Ex promiſcuo igitur uſu vocabulorum non rectè inferrur paritas omnium Miniſtrorum.

Durand.

Object. 3. Utcunque Apoſtoli agnoſcantur ſuperiores reliquis Miniſtris Evangelicis, tamen utì illorum vocatio extraordinaria fuit, ſic etiam & poteſtas. Non poſſunt igitur Epiſcopi vendicare ſibi ſuperioritatem, ſive poteſtatem in alios Presbyteros, quia præcellens hæc poteſtas Apoſtolorum perſonis annexa, non tranſiit ad Epiſcopos illorum ſucceſſores.

Solutio. Rectè affirmavit Hieronymus, in catholica Eccleſia Apoſtolorum locum tenere Epiſcopos. Concedimus tamen multa illorum privilegia fuiſſe perſonalia, nec poſſe ab Epiſcopis vendicari. Talia ſunt, immediata vocatio, univerſalis ad omnes nationes legatio, infallibilitas in docendo, donum linguarum, miraculorum, uno verbo, quicquid peculiariter ſpectavit ad jacienda Eccleſiæ Chriſtianæ prima fundamenta. At erant alia quædam Apoſtolorum privilegia quæ eos ab ordinariis Presbyteris diſtinguebant, & ad Eccleſiam propagandam erant planè neceſſaria. Hujuſmodi ſunt, ordinatio Presbyterorum, nè Miniſterium Evangelicum prorſus pereat; & gubernatio Presbyterorum, nè per hæreſes, ſchiſmata, aut impuros mores, Eccleſiam perdant. Hæc & hujuſmodi alia, fine

quibus

quibus Eccleſia conſtituta, nec bene conſiſtere, nec hitè gubernari poteſt, tranſmiſſa ſunt ad Epiſcopos, eóſque conſtituunt cæteris Presbyteris gradu altiores, poteſtate majores.

Object. 4. Ultimo in loco, valde urgetur Hieronymi autoritas, qui ſcribit, *Epiſcopum & Presbyterum unum eſſe: & antequam ſtudia in religione fierent, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiam fuiſſe gubernatam.* Tandem addit, *Noverint Epiſcopi ſe Presbyteris majores, conſuetudine magis, quàm Dominicæ diſpoſitionis veritate.* *Hieron. in Tit. cap. 1.*

Solutio. Ad duo priora loca facilis reſponſio eſt. Nam ad illud tempus reſpexit Hieronymus, quo Apoſtoli nondum ordinârunt Epiſcopos propriè dictos, ſed ſibi ea reſervârunt quæ jam propria ſunt Epiſcoporum. In illo temporis interſtitio iidem vocabantur Epiſcopi & Presbyteri, atque horum communi conſilio Eccleſia Epheſina, Corinthiaca, reliquæque gubernabantur: ità tamen ut Apoſtoli ipſi in propinquo agentes, ordinationem Presbyterorum, & excommunicationem improborum ſibi retinerent. Quod autem docti quidam viri autumârunt, hunc ordinem gubernandi Eccleſias, quaſi per ſenatum Presbyterorum, non immutatum fuiſſe, aut unum Epiſcopum cæteris præpoſitum, viventibus Apoſtolis, id Scripturis atque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ planè repugnat. Nam certum eſt, Timotheum, Titum, Jacobum, multóſque alios propriè dictos Epiſcopos, fuiſſe, viventibus Apoſtolis, Eccleſiæ Epheſinæ, Cretenſi, & Hieroſolymitanæ præpoſitos & quaſi affixos. Certum etiam eſt, vivente Joanne Apoſtolo, Eccleſias illas Aſiaticas, ad quas ſcripſit Chriſtus, habuiſſe ſuos Epiſcopos aliis Presbyteris ſuperiores. Non obeſt igitur dignitati Epiſcoporum, quòd Presbyteri ad modicum tempus quaſdam Eccleſias pari autoritate, & communi conſilio regebant: ſed confirmat potiùs Epiſcopalis officii neceſſitatem, quòd hoc regimen, etiam viventibus & videntibus Apoſtolis, perpetuis diſſidiis Eccleſias dilaceravit. *Apoc. 2.* Quod ultimo in loco poſitum fuit Hieronymi teſtimonium, nempe Epiſcopos eſſe Presbyteris majores, conſuetudine magis, quàm Dominicæ diſpoſitionis veritate; id arctiùs premere videtur. Sed primò reſpondemus, Hieronymi verba non eſſe nimis premenda, quia de hac ipſa re variis in locis variè loquitur, & parùm ſibi conſentaneé. Poſſunt tamen illa verba ſano ſenſu admitti: nempe ut intelligatur Hieronymus de *titulis* locutus, non de *officiis*: conſuetudo enim Eccleſiæ Epiſcopi titulum majorem fecit titulo Presbyteri, non Dominica aut Apoſtolica aliqua conſtitutio. Vel de autoritate illa quam Hieronymi ætate obtinuerunt Epiſcopi ſupra Presbyteros. Nam illa magnam ob partem ſita fuit in privilegiis quæ conſuetudine & Conciliorum autoritate illis conceſſa fuerunt, non autem in ordinatione aliqua Apoſtolorum

fundata. Poſtremò, intellexit fortè Hieronymus, per *Dominica diſpoſitionis veritatem*, expreſſum Domini noſtri in Scripturis mandatum: per *conſuetudinem*, praxin ab Apoſtolis ipſis inchoatam, & perpetuò in Eccleſia obſervatam. Quocunque modo verba exponantur, certum eſt, Hieronymum inter Clericos graduum diverſitatem agnoviſſe: quod ad paritatem Miniſtrorum refellendam ſufficit.

Quæſtio

Quæstio XLIII.

Cœlibatus non est necessariò sacris ordinibus annexus.

QUorundam Pontificiorum sententia est, cœlibatum jure divino annexum esse sacris ordinibus. Sic Joannes major: sic Turrianus, qui contendit cœlibatum οὐσιωδῶς & lege divinâ adjunctum esse ministerio Evangelico; adeò ut non magis liceat Pontifici, vel Ecclesiæ, permittere Sacerdotibus conjugium, quàm furtum aut adulterium. Syricius Papa in hac hæresi fuisse videtur, qui Sacerdotes conjugio utentes, *in carne esse, & Deo placere non posse* pronuntiat; eosdem *contaminatos, & obscœnis cupiditatibus inhiantes* appellat, uti videre licet in decretalibus ejus epistolis. Sed hæc Dæmoniorum doctrina tam apertè proposita displicuit cautioribus Pontificiis. Nam viderunt Pontificem hoc sibi assumere, ut dispensare possit in voto cœlibatûs: viderunt illum de facto Græcis Sacerdotibus permisisse conjugale commercium cum uxoribus quas ante ordinationem duxerant. Negant igitur de jure divino esse hanc continentiam Sacerdotum, nè Papa contra jus divinum (quod nefas est) egisse videatur. Hisce igitur explosis, alii dicunt hoc decretum de annectendo cœlibatu sacris ordinibus non quidem propriè Divinum esse, sed tamen esse Apostolicum, & in tota Ecclesia ab ipsis temporibus Apostolorum observatum. Sic Bellarminus aliíque permulti. Sed hoc etiam impudentissimum commentum est, utì mox audietis. Tertia sententia est, usum conjugii jure positivo & merè humano interdictum fuisse Sacerdotibus. Quod iniquissimum decretum Syricius primò conatus est obtrudere toti Ecclesiæ. Id apud Gratiani Glossatorem in confesso est; qui antiquitatem hujus decreti à tempore Syricii arcessit: atque ante Syricium omnes Sacerdotes potuisse contrahere affirmat. Ab aliis etiam Pontificiis idem passim asseritur. Sed illud adjungendum est, hoc decretum per occidentalem Ecclesiam, à quocunque sancitum, minimè fuisse observatum,

Aquin. 2. 2. quæst. 88. artic. 11.

Bellarm. de Cler. 1. 18.

Bellarm. ibid.

Decr. part. 1. dist. 84. cap. Cùm in præterito.

uſque dum impius ille & inſanus Hildebrandus, reclamantibus Epiſcopis Italiæ, Germaniæ, Galliæ, per vim & tyrannidem illud grave jugum Sacerdotibus impoſuit. Vide Baron. anno 1074. Jam verò quarto in loco, inter hoſce ipſos Papiſtas, qui agnoſcunt hoc decretum de cœlibatu ſive perpetua continentia Sacerdotum, eſſe humanum, adhuc quæritur, an tale ſit quod hiſce noſtris temporibus expediat abrogari nécne. Communior ſententia, quæ non audet praxi Eccleſiæ Romanenſis ſe opponere, ſtatuit hoc decretum æquiſſimum & utiliſſimum eſſe, atque nullo modo relaxandum: Sed prudentior, penſitatis incommodis & ſcandalis quæ ex hoc coacto & impuro cœlibatu Romanenſium oriuntur, ex uſu Eccleſiæ fore defendit, ſi penitùs abrogetur. Sic Panormitanus, *Credo pro bono & ſalute eſſet animarum, ut volentes poſſint contrahere.* Sic Polydorus, è Republica Chriſtiana fore ait, ut tandem aliquando jus publici matrimonii Sacerdotibus reſtitueretur. Sic Eraſmus, ſic Caſſander, ſic ipſe Pontifex Romanus Pius ſecundus, qui apud Platinam profitetur, Sacerdotibus magnâ ratione ſublatas nuptias, majori tamen nunc reſtituendas videri. Hiſce tot vertiginoſis ſententiis Papiſtarum nos unam hanc eandémque veriſſimam opponimus, Cœlibatus non eſt Divino, Apoſtolico, aut ullo tandem jure annexus ſacris ordinibus, nec potuit annecti Eccleſiaſticâ autoritate; ac proinde dicimus hoc decretum Papale fuiſſe ab initio irritum, impium, & ipſo jure nullum. Probatur

De cler. Conjug.

Primò, Quia ſi Divino aut Apoſtolico jure niteretur illud jus, aut ex veteri aut novo Teſtamento petendum eſſet: vetus Sacerdotum matrimonia confirmat; novum non modò permittit, ſed accuratè deſcribit, quales debeant eſſe Sacerdotum uxores, ac [a] qualiter illos oporteat liberis ſuis & familiæ præeſſe. Porrò, conjugium in omnibus [b] *honorabile* agnoſcit Scriptura; atque notam Diabolicæ hæreſeos illis inuſſit, qui [c] matrimonium prohibere conantur. Denique ipſe Apoſtolus ſe [d] mandatum de colendo cœlibatu non habere agnoſcit.

[a] 1. Tim. 3. 4.
[b] Hebr. 13. 4.
[c] 1. Tim. 4. 3.
[d] 1. Cor. 7. 2, &c.

Secundò, Si jure Divino, aut Apoſtolicâ traditione, votum continentiæ annexum fuiſſet ſacris ordinibus, cur Eccleſia orientalis (etiam Epiſcopo Romano approbante) conjugatos Sacerdotes perpetuò retinuit? Credibile non eſt tot ſanctos Epiſcopos Apoſtolicæ traditioni tam protervè contravenire voluiſſe: nec dici poteſt, quòd traditio Apoſtolica permiſit quidem conjugatos admitti in Presbyteros aut Epiſcopos, ſed eâ lege, ut poſt ſuſceptos ordines ſacros à conjugali conſuetudine abſtinerent: nam hoc doctrinæ Apoſtolicæ è diametro adverſatur, quæ in genere monet omnes conjugatos, nè ex conſenſu alter alterum debito conjugali defraudet, niſi ad tempus ſolummodo, cùm jejunio & precibus vacandum eſt. Traditiones autem Apoſtolorum cum doctrina ſcripta eorundem nec debent pugna-

1. Cor. 7. 5.

re

re nec poſſunt. Atque hîc commemorare poſſem Cheremonem, Spiridionem, Syneſium, aliôſque quamplurimos Epiſcopos conjugatos, & in ipſo Epiſcopatu conjugio utentes. Socrates clarè affirmat, *In oriente non paucos, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreâſſe.* Atque Nazianzenum à patre jam Epiſcopo fuiſſe genitum teſtatur ipſe Gregorius Nazianzenus in carmine de vita ſua. Hiſce antîquior Clemens Alexandrinus oſtendit, neque Diaconis, neque Presbyteris ademptum fuiſſe ſuo tempore uſum conjugii. Athanaſius etiam clarè docet hoc licuiſſe vel Epiſcopis: *Multi* (inquit) *ex Epiſcopis matrimonia non inierant, Monachi contrà parentes liberorum facti ſunt; quemadmodum viciſſim Epiſcopos filiorum patres, & Monachos generis poteſtatem non quæſiviſſe animadvertus. Sic enim licet, &c.* Auguſtinus denique, Apoſtolicorum errorem perſtringens, obiter oſtendit, Catholicam Eccleſiam habuiſſe Monachos & Clericos quamplurimos qui conjugio utebantur.

Lib. 5. cap. 21.

Strom. 3.

Epiſtola ad Dracontium.

Tom. 6. de hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſ. 40.

Tertiò, Si matrimonium interdictum fuiſſet Sacerdotibus autoritate Apoſtolicâ, quæro, Unde tot Sacerdotum filii in Eccleſia occidentali ad Romanum Epiſcopatum promoti? Bonifacius primus, patrem Presbyterum habuit, ut teſtatur Platina. Sic Agapetus Sylverius, alíque permulti, eodem autore. Atque nè quis ex illicito concubitu eos ſuſceptos opinetur, audiat Gratianum: *Cùm ex Sacerdotibus nati, in ſummos Pontifices legantur promoti, non ſunt intelligendi de fornicationibus, ſed de legitimis conjugiis nati; quæ Sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant.*

Decret. part. 1. diſt. 56.

Quartò, Quandoquidem pater, nec matrimonium, nec uſum matrimonii prohibitum fuiſſe Sacerdotibus jure Apoſtolico, non potuit Syricius, Calixtus, aut quivis alius annectere cœlibatum Miniſterio nexu inſolubili & neceſſario. Imò conſtat, quamvis hoc tentatum fuerit in Concilio Nicæno, fuiſſe tamen Paphnutii autoritate & gravitate rejectum. In aliis aliquot Conciliis, ubi Patres plus ſuis inventis deferebant quàm Scripturis, agnoſco hujuſmodi canonem de Sacerdotum continentia propoſitum & probatum fuiſſe. Sed ſi valeant illæ juriſconſultorum regulæ; *Leges inſtituuntur cùm promulgantur, firmantur cùm moribus utentium approbantur: Lex quandoque abrogatur contrariis moribus:* ſi, inquam, hæc valeant, certum eſt legem illam de cœlibatu Clericorum nunquam fuiſſe validam. Nam in ipſa Eccleſia occidentali vim legis univerſalis obtinere non potuit, donec Hildebrandus per vim & tyrannidem hoc jugum gementibus & reluctantibus Sacerdotibus impoſuit, ut antea eſt à nobis obſervatum. Quòd autem Bellarminus confidenter affirmat, hanc legem de perpetua Sacerdotum continentia niti æquiſſimo jure, Nos è contra affirmamus, hanc legem impiam & iniquam

Vide Socrat. lib. 1. cap. 8. & Soz. lib. 1. cap. 23.

Concil. Rom. Arel.

Apud Gratian. Decret. part. 1. diſt. 4.

quam esse, ac proinde à piis minimè curandam, quantumvis antiqua foret. Nam cùm libertas ineundi matrimonii sit de jure Naturæ, iniquissimum est hoc jure privare totum ordinem Sacerdotum. Nulla enim justa causa afferri possit, cur generatim cuicunque ordini hominum ad Ecclesiæ vel Reipublicæ constitutionem necessariorum potestas matrimonii ineundi auferatur. Respondet Bellarminus, Ecclesiam non prohibere ulli matrimonium absolutè; sed solùm requirere sub conditione hunc cœlibatum ab hominibus illis qui volunt Sacerdotale officium suscipere. Hoc hausit Bellarminus ex lacuna Glossatoris apud Gratianum. Sic enim ille, *Si quaris quomodo Ecclesia imponat alicui necessitatem continendi, cùm continentia sit res Voti, non Præcepti; dico quòd Ecclesia neminem cogit continere; sed in ordine quem dat potest imponere legem quam vult, sicuti quilibet alius in traditione rei suæ*, in distinct. 28. Sed uterque egregiè delirat. Nam si rex omnibus Jurisconsultis aut Mercatoribus matrimonium interdiceret, verè diceretur multos à matrimonio excludere, quamvis neminem ad mercaturam, vel Juris professionem cogeret; quia Respublica absque talium multorum opera non stat. Sic etiam & Pontifex multis millibus prohibet matrimonium, dum omnibus Sacerdotibus prohibet, sine quibus non stat Ecclesia. Porrò, sacri ordines, quamvis Ecclesiæ ministerio conferuntur, non tamen sic subduntur Ecclesiæ imperio, ut possit omnes ab illis arcere, quantumvis habiles & idoneos, qui naturali suo juri renuntiare nolunt. Denique, conditionalis prohibitio iniqua & illicita est, quando à promittentibus observari non potest absque peccato. Ut si Ecclesia decernat sacros ordines illis solis concedendos, qui priùs voveant se medicinæ usum nunquam in vita admissuros, quocunque morbo laboraverint. Non minùs peccant, qui decernunt neminem initiandum, ni priùs voveat se remedio matrimonii non usurum, licèt morbo incontinentiæ periculosissimè laboret.

Accedo ad illud quod ultimo in loco affirmavit Bellarminus, nimirum *non expedire hoc nostro seculo, ut relaxetur Papale illud decretum de cœlibatu Sacerdotum.* Si concedamus fuisse olim non iniquum aut impium illud decretum, tamen cùm toto mundo attestante votum illud jam vergat in perniciem animarum, aliquid de rigore canonum esset relaxandum: nam salus animarum suprema lex est, cui æquitas postulat ut cedant canones istiusmodi. Atque hìc nunquam satis mirari possum, rigidos istos canonum propugnatores in matrimonium iniquiores esse quàm in fornicationem. Canon est Concilii Neocæsarienſis, *Presbyter si uxorem duxerit ab ordine deponatur: quòd si fornicarius fuerit, extra Ecclesiam abjiciatur.* Quid jam Catones nostri Romanenses? *Presbyteros contrahentes matrimonium non ab officio sed ab arboribus suspendunt*, ut olim dixit Melanchthon; sed fornicantes

can. 1.

multò

multò tractant molliùs. Dicunt enim pro fornicatione neminem deponendum, *nisi in ea perduret, & ideo quia corpora nostra sunt fragiliora quàm olim.* Qui propter fragilitatem humanam censuerunt in causa fornicationis relaxandam esse canonum severitatem, quanto æquius fuit, ut propter eandem fragilitatem in causa matrimonii id facerent! Et fecissent proculdubio quibus aliquid æquitatis, pietatis, aut pudoris inest, nisi illi obstitissent qui sanctitatem & pietatem súsque déque habent. Quod de Pio secundo Pontifice Romano, de Abbate Panormitano, Polydoro, Erasmo, Cassandro suprà ostensum est. Deniq; quod obtendi solet, *pugnam quandam esse inter sanctimoniam officii Sacerdotalis & pollutionem commercii conjugalis,* impium planè & hæreticum est. Nam verissimè scripsit Cajetanus, *Nec ratione nec autoritate probatur quòd, absolutè loquendo, Sacerdos peccet contrahendo matrimonium—— Nec ordo in quantum ordo, nec ordo in quantum sacer, est impeditivus matrimonii.* Et aliquantò pòst, *Stando tantùm in his quæ à Christo & Apostolis habemus, Sacerdotium non dirimit contractum matrimonii, sive ante sive post ordinationem.* Quanquam non est credibile Pontificios in cœlibatu imponendo de sanctitate Sacerdotum cogitare; cùm dissimulare non possint, hunc Sacerdotum coactum cœlibatum totam penè nationem Papisticorum sacrificulorum libidinibus nefandis contaminâsse. Hinc Cassander scripsit, eò necessitatis rem apud Papistas propemodum redactam esse, *ut aut concubinarius aut conjugatus Sacerdos sit admittendus.* Ante illum Joannes Gerson, *Sic invaluit hoc malum* (loquitur de libidine) *ut jam major ratio sit tolerandi Sacerdotes fornicarios, quàm meretrices, nè deteriora flagitia admittant.* Quicquid igitur Pighius & Costerus deblaterant, *tolerabilius esse in Sacerdote si fornicationem admittat, quàm si ducat uxorem,* ego Cassandri verbis concludam, *Graviter ab illis peccatur, qui impuros quosvis concubitus potiùs dissimulant, & quodammodo probant, quàm ut humanæ constitutionis gratiam illis facerent, qui eam sine offensione divinæ legis observare non possunt.* Est itaque Sacerdotale matrimonium licitum, & Pontificale decretum de illo prohibendo illicitum, Antichristianum, & planè Diabolicum.

Gloss. in distinct. 82.

Opusc. Tom. 1. Tract. 27.

In Consult.

De vita Spirit. Lect. 4. Coroll. 14.

In Consult.

Quæstio XLIV.

Sancti non sunt invocandi.

SUperstitiosam illam Sanctorum invocationem, quam Papistæ invexerunt in Ecclesiam Dei, tres potissimùm ob causas rejicimus: Pugnat cum voluntate Dei revelata; Mediatoris officium infringit; Sanctorum deniq; conditioni repugnat.

I. Quod ad primum attinet, Illud ponimus tanquam solidissimum nostræ sententiæ fundamentum, *Omnia necessaria cultûs religiosi opera & officia ex voluntate Dei in verbo revelata ità pendere, ut quæ in verbo non fundentur, divinæ voluntati adversentur.* Deuter. 12. 32. QUOD PRÆCIPIO TIBI, HOC TANTÙM FACITO DOMINO: NEC ADDAS QUICQUAM, NEC MINUAS. Matth. 15. 9. Cui consonat illud Salvatoris, IN VANUM COLUNT ME, DOCENTES DOCTRINAS ET MANDATA HOMINUM. Quicquid igitur permittatur Ecclesiæ in ritibus adiaphoris, tamen in religiosi cultûs officiis (qualem volunt esse hanc invocationem suam Romanenses) Deus non requirit à nobis, imò non accipit in bonam partem, quod ut faceremus non præcepit nobis. De Trinit. lib. 5. Sic Hilarius, *Non potest Deus nisi per Deum intelligi: sicut nec honorem à nobis Deus, nisi per Deum, accipit. Quare honorandus esse non intelligitur, nisi ipse docuerit honorandum: Dei honorem per Deum docemur. Non est de Deo humanis judiciis sentiendum, &c.* Cui accedat illud Augustini, de consensu Evangel. 1. 8. *Deum sic colere oportet, quomodo seipsum colendum esse præcepit.* Et alibi, *Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit: non sit ergò mihi aliud te docere, quàm verba doctoris tibi exponere.* Mitto hujus generis innumera testimonia, quæ passim apud Græcos Latinósq; Patres occurrunt. Jam illud confidenter addo, Scripturas docere nos ut Deum adeamus in nomine solius Christi Mediatoris; non docere (nè leviter quidem innuere) ut Sanctos religiosâ oratione invocemus, & per illorum intercessionem aditum nobis faciamus ad Deum Patrem. Nullum extat in toto volumine Scripturarum mandatum, ut defunctos Sanctos invocemus: nullum exemplum vel unius pii viri, qui id unquam fecerit: nulla promissio gratiæ,

si

ſi id facere velimus: nulla pœna, ſi id facere recuſemus. Fatentur hoc ipſi Pontificii. Bellarminus concedit, ſub vetere Teſtamento hanc invocationem Sanctorum prorſus ignotam; ac rationem reddit, *Quia Patriarchæ & Prophetæ in carceribus inferni detinebantur.* Sine certamine igitur obtinemus, hanc invocationem Sanctorum, nec in Scripturis veteris Teſtamenti, nec in praxi Eccleſiæ Judaicæ ullum habuiſſe fundamentum. Veniamus ad novum Teſtamentum, & ad praxin Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ; videamus an indè diſcere potuerunt Papiſtæ, hanc invocationem Sanctorum, quam defendunt, divinæ voluntati convenire. Nota ſunt Scripturarum teſtimonia de Deo invocando per Chriſtum Mediatorem. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joann. 16. 23. *Per ipſum habemus acceſſum ad Patrem*, Epheſ. 2. 18. *Salvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro eis*, Hebr. 7. 25. Jam verò ut accedamus ad Deum, mediante hâc Sanctorum invocatione, neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis edocti fuimus. Ingenua eſt illa Banneſii confeſſio, *Orationes eſſe ad Sanctos faciendas, neque expreſsè neque involutè ſacræ literæ docent.* Rejicitur igitur inter farraginem eorum, quæ à traditionibus non ſcriptis dimanârunt: Fundandis autem operibus cultûs, ſive religionis, negamus non ſcriptam traditionem ullam ſatis validam eſſe; atque de hoc opere invocandi nominatim cum Auguſtino affirmamus, *Orare aliter quàm Dominus docuit, non ignorantia ſolùm, ſed culpa eſt.*

De Sanct. Beat. in Ord. diſp.

2. 2. *Quæſt.* 1. *artic.* 10.

Secundò, Illa quæ jam invaluit apud Papiſtas Sanctorum invocatio Mediatorium Chriſti officium obſcurat, violat, & auſu ſacrilego in ſervos ejus & conſervos noſtros transfert. Conſtat Chriſtum non modò Mediatorem *redemptionis* eſſe, ſed *interceſſionis:* apud Papiſtas autem *interceſſionis* officium Sanctis, ac præſertim beatiſſimæ virgini maximam ob partem imponitur. Nam cùm Chriſti prerogativa ſit, pro nobis coram Deo Patre ità apparere, ut virtute meritorum ſuorum à Deo placato omnia bona nobis impetret; Pontificii eo animo Sanctos invocant, quòd putent eorum meritis ſe non modò temporalia, ſed ſpiritualia beneficia impetraturos. Sic Halenſis, *Sancti invocantur à nobis propter noſtram inopiam in merendo, ut, ubi noſtra non ſuppetant merita, patrocinentur aliena.* Sic Lombardus, *Oramus ut intercedant pro nobis, id eſt, ut merita eorum nobis ſuffragentur.* Si Pontificii non alio animo peterent orationes Sanctorum defunctorum, quàm petere ſolemus à vivis, ut pro nobis orent (quamvis facti ſui probabilem rationem reddere nequirent) non violarent tamen Mediatorium Chriſti officium, neque illud in Sanctos transferrent. Aliud enim longè eſt, colere aliquem religioſæ invocationis actu; aliud, rogare, ut unà nobiſcum Deum invocet. Non facimus illum Mediatorem, quem deſideramus

2.

Part. 4. quæſt. 26. art. 5.

Lib. 4. diſt. 45.

comprecantem: ut facimus illos, quos religiosè invocamus, & quorum meritis conamur gratiam Dei in nos deducere & derivare. Quid tam proprium Chriſti, quàm Advocatum apud Deum Patrem adſtare populorum? Quid igitur Chriſto magis contumelioſum, quàm illi collegas dare in illo officio, quod ſolus debet obire? Sed dicunt Pontificii, ſe non collegas adjungere Chriſto in hoc opere Mediatoris; ſed ſubordinatos quoſdam mediatores ſubjungere, ab eo dependentes, per eum acceſſum ad Deum habentes, ejus denique gloriam hâc ſuâ ſubordinatâ mediatione promoventes. Sed fruſtrà & falsò hæc dicuntur omnia. Nam primò, quis illos juſſit ſub Chriſto inferiores quoſdam mediatores conſtituere? *Filius Dei factus eſt filius hominis, ut Mediator Sequeſtérque Dei & hominum eſſet, eáque quæ Dei ſunt nobis, & quæ noſtra ſunt Deo ſubminiſtraret.* Non eget inferioribus miniſtris ad hoc officium exercendum; non præcepit nobis ut talium operâ ad hanc rem uteremur; non patitur ipſum officium Mediationis, ut ab inferioribus miniſtris exerceatur. Qui pro nobis intercedit apud Deum ut Mediator, repræſentat Deo humanitatem pro nobis aſſumptam, eáque omnia quæ fecit ac paſſus eſt, ut nos reſtitueret in gratiam Dei. Hoc Sancti facere non poſſunt; non poſſunt ergò eſſe Mediatores vel ſubordinati; ſed *ille pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus verúſque Mediator eſt*; ut bene Auguſtinus contra Parmenianum, lib. 2. cap. 8. Porrò, quod obtendunt, hoſce ſubordinatos mediatores multùm facere ad honorem ſupremi Mediatoris amplificandum, id è contrà ſe habere docuit ipſa experientia. Nam ex quo cœpit hæc Sanctorum invocatio, Chriſti honor indies fuit minutus, tandémque ſolo nomine Mediatoris illi reſervato, quicquid ad honorem officii ſpectat, id penè totum in Sanctos & Sanctas tranſtulerunt. Ad honorem ejus, qui à Deo ipſo ſolennis Mediator inter Deum & homines conſtitutus eſt, duo videntur potiſſimùm ſpectare: Unum, ut omnes perſuaſum habeant, per hunc, tanquam per canalem, velle Deum miſericordiam & beneficentiam ſuam ad alios omnes derivare: Alterum, ut hunc Mediatorem maximè miſericordem, & ad opitulandum miſeris peccatoribus paratiſſimum agnoſcamus. Jam verò iſti Sanctorum invocatores, quod attinet ad externa Dei beneficia, ipſi Chriſto, in quo nobis immediatè ſuccurrat, nihil penè reliquerunt. Nulla regio, nullus ſtatus hominum, non habet peculiarem mediatorem; ad quem rectà tendit iſtorum invocatio, quoties à Deo aliquod obtinendum eſt. Nullus morbus, nullum ferè malum cogitari poteſt, cui depellendo non præfecerunt nominatim Sanctorum aliquem, ſicuti olim Gentiles divorum ſuorum. Hinc fit quòd in periculo naufragii, belli, morbi, aut mali externi cujuſcunque, vix unus è decem Pontificiis, liberationem à Deo autore ſperans, alium

Athanaſ. Orat. in illud dictum, Deus ex Deo.

Vide Aquin. Com. in 8. ad Roman.

alium Mediatorem imploret quàm Sanctum illum, cui præ cæteris hanc præfecturam demandatam opinetur. Sed fortaſſe, cùm opus eſt Mediatore ad ſpiritualia bona obtinenda, & mala declinanda, hunc honorem Chriſto deferent, ut illum rectà adeant. Nè illud quidem poteſt obtinere Chriſtus apud Romanenſes: imò quicquid ad miſericordiæ gratiæque divinæ diſpenſationem ſpectat, id officii à Chriſto in beatam virginem matrem ſuam divinâ voluntate tranſmiſſum fabulantur. Berthorius, lib. 19. Moralitatum, cap. 4. *Iſta*, inquit, *eſt veritas, quòd cùm regnum Dei in duobus conſtet, ſcilicet in juſtitia, & miſericordia, iſti Regina Paradiſi (ſcilicet Mariæ) dimidiam regni ſui partem, ſcilicet miſericordiæ diſtributionem, contulit Deus: igitur Regina dicitur miſericordiæ, &c.* Sed omnium audaciſſimè Bernardinus docuit, nullam gratiam venire de cœlo ad terram, niſi tranſeat per manus Mariæ: *A tempore* (inquit) *quo virgo mater concepit in utero Verbum Dei, quandam (ut ſic dicam) juriſdictionem ſeu autoritatem obtinuit in omni Spiritûs ſancti proceſſione temporali, ità quòd nulla creatura aliquam à Domino obtinuit gratiam vel virtutem, niſi ſecundùm ipſius piæ matris diſpenſationem.* In Officio quod vocant *Beatæ Mariæ*, ſic illam compellant, *Salve Regina, Mater miſericordiæ; vita, dulcedo, & ſpes noſtra, ſalve: Sub tuum præſidium confugimus, noſtras deprecationes nè deſpicias in neceſſitatibus: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, virgo glorioſa, &c.* Neque ſolam virginem fecerunt canalem gratiæ inter nos & Deum, ſed hoc privilegio reliquam etiam Sanctorum catervam donârunt. Sic Halenſis, *Divinorum chariſmatum ad nos per Sanctos fit deſcenſus: unde congruum eſt, quòd aſcenſus noſter ad Deum fiat Sanctis mediatoribus.* Cui adſtipulatur Archiepiſcopus Florentinus: *Lex*, inquit, *Deitatis eſt, infima per media ad ſuprema adducere: quantum verò ad dona gratiæ, Beati ſunt medii inter Deum & viatores: Divina igitur beneficia ad nos deſcendunt mediantibus Angelis, & animabus ſanctis.* De Chriſti igitur honore decerpunt plurimum, qui tot gratiæ canales, quot Sanctos, inter Deum & miſeros peccatores conſtituunt. Præ nimio igitur amore Chriſtum penè excluſerunt foràs. Secundò ſpectat vel maximè ad honorem Interceſſoris & Mediatoris, ut habeatur præ cæteris omnibus miſericors, ità ut miſeris pateant faciles ad illum aditus: nè tam durus & aſper ſit, ut ad hunc Mediatorem conciliandum alio opus ſit mediatore. Talem nobis commendant ſacræ Scripturæ, Jeſum Chriſtum Dei Filium: vox eſt ipſius Mediatoris, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. 11. 28. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio*, Joan. 14. 13. Eſt etiam Apoſtoli doctrina, *In hoc habemus fiduciam & acceſſum in confidentia, per fidem ejus*, Epheſ. 3. 12. *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem.*

Serm. 61. art. 1. cap. 8.

Part. 4. queſt. 26. artic. 5.

Part. 3. Tit. 3.

Hebr. 4. 14, 15, 16.

Non enim habemus Pontificem qui non posſit compati infirmitatibus noſtris — Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur: Duce ſcilicet & interceſſore ipſo Chriſto, non homine, non Angelo, non glorioſiſſimâ virgine. Quid verò noſtri Romanenſes? num hunc honorem Chriſto illibatum relinquunt, quando Sanctorum invocationem introducunt? Audite: *Chriſtus non eſt ſolus Advocatus, ſed Judex, quem vir juſtus, multóq; magis peccato inquinatus metuat adire: idcirco Deus providit nobis de Advocata, quæ mitis & ſuavis eſt, & in qua nihil invenitur aſperum:* ſic Antonius. Hinc Papiſtæ in templis ſuis (ut ſcribit Chemnitius) pingunt Chriſtum minitantem, & jacula in peccatores projicientem: homines autem perterritos faciunt confugere ad Mariam, quæ ut mediatrix ſe interponit, & jacula ejus repellit. Hunc igitur honorem ex Sanctorum invocatione nactus eſt Chriſtus Mediator, quòd minùs ametur, minùs quæratur, minùs miſericors habeatur ſervis ſuis. Non poſſunt hoc inficias ire ipſi Romanenſes. *Plerique noſtrûm magis afficimur circa Sanctum aliquem aliquando, quàm etiam circa Dominum:* ſic Halenſis noſter, part. 4. quæſt. 26. memb. 3. *Peccatores ad Sanctorum interpellationem quandoque magis animantur, quàm Judicis.* Denique confidenter aſſerit Jacob. de Valentia, *in hac peregrinatione noſtra non relinqui nobis aliud refugium in noſtris adverſitatibus, niſi ut recurramus ad virginem Mariam mediatricem, quæ iram Filii ſui placabit.* Sed hiſce Papiſtarum ſuperſtitioſis figmentis oppono illud Tertulliani, *Facilè ſemper impetratur quod Filius poſtulat;* de Pœnit. *Invocatio hominis nudi ad præſtandam ſalutem inefficax judicatur;* de Trinit. Vidiſtis ergò hanc Sanctorum invocationem, non modò voluntati divinæ in Scripturis revelatæ, ſed etiam honori ipſius Mediatoris repugnare.

Biel. in Can. Miſſ. lect. 30. *In Expoſit. Cautic. Mariæ.*

3. Ad ultimum noſtrum argumentum accedimus; atque affirmamus, religioſam hanc invocationem, quam Papiſtæ Sanctis exhibent, illorum conditioni (utcunque in ſumma gratia apud Deum & gloria ſint) non convenire.

Atque hîc illud imprimis animadvertendum eſt, Orationem propriè dictam eſſe, ex omnium Theologorum confeſſione, actum religionis ſive cultûs religioſi. Sic Thomas, *Manifeſtum eſt quòd oratio eſt propriè actus religionis.* Religio autem, ex ſententia omnium, virtus quædam eſt, quæ hominem inclinat, ut Deo debitum cultum & honorem exhibeat, tanquam omnium Creatori & Domino. Qui igitur invocationem religioſam Sanctis exhibet, eos in Dei ſolium extollit. Unde Apoſtolus, *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Multæ à Patribus afferuntur deſcriptiones religioſæ orationis, multæ à modernis Theologis; quibus omnibus Deus ſolummodo commemoratur ut invocandus, non Sancti, non Angeli. *Oratio colloquium eſt cum Deo,* ut vult Chryſoſtomus. *Oratio eſt petitio decentium à Deo,* ut habet

2. 2. Quæſt. 33. art. 3.

Rom. 10. 14.

Hom. 30. in Gen.

habet Damaſcenus. Nè plura accumulem, invocatio adeò peculiaris actus eſt cultûs Divini, ut paſſim in Scripturis pro toto cultu uſurpetur, atque ipſa Dei domus, *Domus orationis* nuncupetur. Conditio igitur Sanctorum, quæ creaturæ gradum non excedit, invocationem, quæ Creatori ſoli debetur, non poteſt admittere. Neque juvat Pontificios, ſi dicant ſe petere à Sanctis ſolummodo ut ſecum unà Deum invocent, eo modo quo Paulus ad Theſſalonicenſes, *Fratres orate pro nobis*: nam hujuſmodi interceſſionis petitio longè differt ab hac religioſa invocatione, quam Sanctis & vendicare ſolent Papiſtæ, & exhibere. Bellarminus hanc invocationem Sanctorum *Eximium adorationis genus* appellat. Azorius Jeſuita contendit, Sanctos non honorari eo ſolùm cultu quo viros virtute aut quâlibet aliâ dignitate præſtantes, ſed etiam divino cultu & honore, qui eſt religionis actus. Sed quo colore creaturis deferunt cultum Divinum, id eſt, ſoli Creatori debitum? Audite eundem: *Divinos cultus Sanctis non damus propter ipſos, ſed propter Deum, qui eos Sanctos efficit.* Parùm eſt: Deos efficiat oportet, Creatores efficiat, ſi Divinum cultum illis impendi velit: nam *qui alii Deo ſupplicat, & non Creatori, non orat illum ſed infamat. Quod colit ſummus Angelus, id colendum ab homine ultimo*, ut verè Auguſtinus.

Lib. 3. cap. 24.

Iſa. 56. 7.

1. Theſſ. 5. 25.

Lib. 1. de Beat. Sanct. in ord. diſp.

Azor. Inſtit. Moral. Tom. 1. lib. 9. cap. 10.

Ibid.

Tertull. adverſ. Marc. lib. 4.

Secundò, Invocatio non eſt ſolummodo actus Divini cultûs, ſed talis actus qui nullo inferiore reſpectu creaturæ poteſt exhiberi. Nam *invocans ſacrificium ſpirituale offert invocato, mentem ſcilicet ſuam quam ei per reverentiam ſubjicit, dum orando profitetur ſe eo indigere tanquam autore ſuorum bonorum*; ut verè Aquinas, 2. 2. quæſt. 83. art. 3. Tam igitur licuit Judæis Abrahamo tanquam Dei amico ſacrificare, quàm nobis Petro aut Paulo, tanquam Dei amicis, preces noſtras religioſas offerre. Hinc ſancti Patres orationem ſacrificiis ſolent conferre, & præferre. Clemens Alexandrinus vocat illam τὴν ἐνδον θεοῦ ἐν ἀνθρώπῳ. Tertullianus, *opimam & majorem hoſtiam.* Scripturæ etiam orationes fidelium pro ſacrificiis Deo gratiſſimis ubique agnoſcunt. Vocatur *oblatio munda*, Mal. 1. 11. Aſſimilatur *incenſo*, & *ſacrificio veſpertino*, Pſal. 141. 2. De hujuſmodi ſacrificiis eleganter Lactantius, *Sacrificium verum non eſt, quod ex arca, ſed quod ex corde profertur; nec quod manu, ſed quod mente libatur.* Si ergò ſacrificare creaturæ ſemper fuit illicitum, tum etiam religioſâ prece invocare creaturam impium & ſacrilegum eſt. Sed huic argumento adverſarii putant ſe poſſe ſatisfacere, diſtinguendo inter invocationem religioſam, quæ exhibetur alicui tanquam Autori beneficiorum quæ petuntur; & quæ exhibetur alicui tanquam Interceſſori, per quem id quod petitur facilius à Deo impetretur. Priori modo ſoli Deo preces religioſas offerre licet, poſteriori modo etiam Sanctis defunctis offerri poſſunt.

Strom. 7.

De opificio Dei, cap. 2.

possunt. Sed hæc facilè refelluntur: nam petere ab aliquo Sanctorum, sive vivo sive mortuo, ut unà nobiscum oret Deum pro impetrando aliquo beneficio, non est Sanctum religiosè invocare, sed illum ad religiosam invocationem Dei invitare. Si hoc tantùm faciunt Papistæ, falsò & ineptè contendunt religiosum cultum illis exhiberi. Multò veriùs & doctiùs Augustinus, *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Et alibi, *Nominantur à Sacerdote, non invocantur.* Uno verbo, quisquis à nobis religiosè invocatur, eâdem operâ Deus agnoscitur, & supra creaturam collocatur. Hoc firmissimo fundamento nixi Patres contra Arianos demonstrârunt, Christum esse verum Deum, quia religiosè à nobis invocatur. Cujus argumenti nervos incîdunt Pontificii, dum docent religiosum invocationis cultum etiam creaturis posse convenire.

De vera relig. cap. 55.

De civit. Dei, 22. 10.

Tertiò, Ea debet esse conditio illius quem religiosè invocamus, ut possit omnes omnium per totum terrarum orbem se invocantium status cognoscere, ac preces audire: ut possit etiam quo cordis affectu à singulis invocetur discernere, ac quid illis expediat, quid non expediat, dijudicare. Si horum quodvis facere nequeat, sæpe frustrà invocabitur, quandoque hypocritarum preces Deo commendabit, subinde noxia pro cultoribus suis à Deo postulabit. At prædicta omnia sunt Dei solius, non Sanctorum, non Angelorum privilegia. Psal. 65. 2. *O qui exaudis orationem, ad te omnis caro veniet.* Et 2. Chron. 6. 30. & 1. Reg. 8. 39. *Tu exaudies de cœlo, — & reddes unicuique secundum vias suas, quas nôsti eum habere in corde suo. Tu nôsti solus cor omnium filiorum hominum.* Solus ergò Deus à nobis invocandus est. Sed hîc non me latet, quantâ confidentiâ Papistæ asserant, hæc omnia esse Sanctis compertissima, vel per revelationes Angelicas, vel per revelationes Divinas, vel in speculo Trinitatis. De Christo Mediatore certum est, quòd omnium status, preces, cogitationes, & ipsa cordis intima desideria perspiciat: at tota Jesuitarum natio nunquam evincet, esse de fide, quòd Petrus, Paulus, vel beatissima Christi mater, videat facta, audiat vota, intueatur corda singulorum, à quibus invocantur. Inter orandum autem niti debet fides nostra Scripturarum fundamentis, non conjectantium insomniis. Apud Augustinum magna quæstio est, utrùm, vel quatenus, vel quomodo ea quæ circa nos aguntur noverint spiritus mortuorum. Alibi planè negat mortuos, etiam sanctos, scire quid agant vivi, etiam illorum filii. Alibi fatetur nescire quidem mortuos quid hîc agatur, sed dum hîc agitur: postea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt, vel ab Angelis, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt. Augustino accedat Nazianzenus, qui, quoties Rhetorum more compellat potiùs quàm invocat aliquem

In Psal. 108. enarr. 1.

De cura pro Mort. cap. 15.

Orat. 1. in Julianum, & Orat. in funere Gorgonii.

quem Beatorum, agnoſcit ſimul ſe dubitare an ab illis audiatur nécne. Neque ſufficit hac in re ad fidem Papiſtarum ſtabiliendam, quòd Sancti, quos invocant, fruantur viſione beatificâ, & lumine gloriæ perfundantur: Nam ut cum Scoto admittamus eſſe probabile, quòd Deus Beatis revelat orationes illis oblatas; tamen cum eodem tenebimus, non eſſe neceſſarium ex ratione beatitudinis, quòd Beatus videat orationes noſtras. Actus autem invocandi non debet ex probabilibus Scholaſticorum argutiis, ſed ex infallibilibus Scripturarum teſtimoniis procedere. Quanquam, ſi ab illis Sanctis diſcedamus quibus Scriptura exhibuit teſtimonium indubitatæ Sanctitatis, & ad illos accedamus quos Pontificum autoritas in album Beatorum retulit, cum doctiſſimo Mirandulano dicere auſim, *Sic canonizatos nemo de neceßitate fidei tenetur credere eſſe in gloria:* multò minùs virtute luminis gloriæ videre preces eorum, qui eos invocant per totum terrarum orbem. Verùm enimvero, quem ritè & religiosè invocamus, tenemur credere non modò eſſe in gloria, ſed *illius eſſe regnum, potentiam, & gloriam;* quod cùm nemini Sanctorum accommodari poteſt, nemo illorum à nobis invocari debet.

Lib. 4. diſt. 45. quæſt. 4.

Apolog. pag. 223.

Quæſtio XLV.

Ignorantia non excuſat Peccatum.

IGnorantia privationem ſive defectum ſcientiæ debitæ ineſſe quandoque deſignat; & ſic refertur ad peccatum *originale:* quandoque denotat ipſam negligentiam, vel incuriam, ſive contemptum ſciendi; & ſic pertinet ad *actuale.* Neutra excuſat peccatum: hoc eſt, non facit quin conſtringatur reatu, qui agit quod agere non debuit, licèt obtenebratus tali ignorantiâ; imò hæc ipſa ignorantia peccatum reputatur.

Non excuſantur, qui *originali* hâc ignorantiâ occæcati peccant; quia voluntario peccato primi parentis noſtri (quod toti poſteritati fuit imputabile) in haſce tenebras demerſi ſumus. Quod autem ex voluntario cauſatur, voluntarium in Moralibus reputatur. Hinc illud Apoſtoli, *Alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.* Hæc ignorantia, cui tam grave ſupplicium imponitur, quæ reatum peccati habere clarè evincitur, non poteſt peccatum indè ortum excuſare. Nam Patres communi conſenſu haſce innatas mentibus noſtris tenebras peccati originalis reatu haud vacare ſtatuerunt. Hieronymus, in Dialogis contra Pelagianos, *Volunt,* inquit, *elogia Scripturarum, etiam ignorantiam habere peccatum.* Auguſtinus hanc ignorantiam ante Baptiſmum reatu conſtringere non renatos exiſtimavit; poſt Baptiſmum (quamvis reatus tollatur) naturam mali culpabilis retinere judicavit. *An parvum malum eſt, per quod homo non percipit quæ ſunt Spiritûs Dei? Nunquid caret ignorantia malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala?* Bernardus denique ignorantiam, ſive noſtrî ſive Dei, *damnabilem* eſſe pronuntiat. Neque hîc dicat aliquis, hanc innatam ignorantiam non habere peccati reatum, quia jam penè neminem eſt naſci mente ſui & Dei cognitione plenè illuminatâ; nam rectè Aquinas, *Peccatum eſt, non ſolùm cùm non habet homo quod debet habere, ſed etiam cùm habet quod non debet habere.*

Imputatur

Epheſ. 4. 18.

Lib. 1. cap. 10.

Contra Julian. lib. 6. cap. 5.

Super Cant. Serm. 36.

Quæſt. diſp. de pecc. Orig. art. 2.

Imputatur igitur ad peccatum originale, tum quòd luce ſpirituali caret homo quam debuit habere, tum quòd tenebris obſitus eſt quas non debuit habere. Cùm igitur hæc *habitualis* ſive *originalis* ignorantia peccati naturam habeat, peccatum indè natum excuſare nullo modo poteſt.

Jam quod attinet ad illam quam vocamus *actualem* ignorantiam, Prima & peſſima illa eſt quæ adjunctam habet voluntatem non addiſcendi, & contemptum ſciendi, atque à Scholaſticis *ignorantia affectata* appellatur. Tales erant qui apud Jobum dicunt Deo, *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Hæc ignorantia non modò non excuſat, ſed aggravat peccata ignorantium: quia ex inſano peccandi amore, contra naturale deſiderium animæ, ſcientiam repellunt, ut liberiùs in peccatis volutentur. Ex vindicta talibus incumbente, quantum ſit hoc ignorantiæ affectatæ crimen, facile eſt colligere. *Hæc ſunt tabernacula iniqui, & iſte locus ejus qui ignorat Deum:* ſic loquitur Bildad poſtquam horribilem ſtatum deſcripſerat impiorum. *In flamma ignis vindictam dabit iis qui non noverunt Deum:* ſic loquitur Apoſtolus de illis qui lucem Evangelii repellunt obſtinatè. Tales ſolâ ſuperbiæ caligine tenebreſcunt: & *tantò magis excuſationem non poſſunt habere quia neſciant, quantò magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoſcant*; ut rectè Gregorius, Mor. 25. cap. 16.

Job 21.14.

Job 18.21.

2. Theſſ. 1.8.

Secunda illa eſt, quæ oritur ex negligentia addiſcendi; quando homines, aut labore deterriti, aut aliis curis abducti, minimè ſtudent ſcientiæ comparandæ, atque ſic ignari evadunt illarum rerum quæ vel credere vel facere tenentur. Hęc inſcitia peccantes non excuſat; quia intellectus eſt debitor ſuæ operationis in vero inquirendo, ſive in iis quæ ſpectant ad fidem, ſive in iis quæ ſpectant ad vitam piè agendam. Talis igitur ignorantia, quia eſt voluntaria neglectio debitæ operationis, peccati rationem habeat eſt neceſſe. Quòd autem ſcientia & ſtudium comparandæ ſcientiæ cadant ſub præcepto divino, in dubium vocari nequit. *Jubetur ut habeamus intellectum, ubi dicitur,* NOLITE ESSE SICUT EQUUS ET MULUS, QUIBUS NON EST INTELLECTUS. *Jubetur ut habeamus ſapientiam, ubi dicitur,* SI QUIS VESTRÛM INDIGET SAPIENTIA, POSTULET A DEO. *Jubetur ut illi comparandæ invigilemus, ubi dicitur;* POSSIDE SAPIENTIAM, QUIA AURO MELIOR EST: ET ACQUIRE PRUDENTIAM, QUIA PRETIOSIOR EST ARGENTO. Qui igitur peccat ex ignorantia, ignorans, ex incuria diſcendi, quæ ſcire tenebatur, non indè excuſatus evadit, ſed peccato tam omiſſionis quàm commiſſionis obligatus. Peccati reus tenetur, quatenus omiſit facere quod debuit in ſcientiæ acquiſitione; quia talis omiſſio voluntaria cenſetur, ſaltem indirectè. Reus etiam cenſetur, quatenus, per ignorantiam talem, fecit

Auguſt. Epiſt. 95.
Pſal. 31.9.

Jac. 1.5.

Prov. 16.16.

actum quem non debuit; quia ignorantia voluntaria transmittit rationem voluntarii ad actum indè consequentem. *Multa*, inquit Bernardus, *scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi: & quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem.* Epist. 77.

Tertia illa ignorantia est, quæ per accidens sequitur præviam aliquam actionem voluntariam. Sic ebrii peccant ex ignorantia, in quam tamen ignorantiam voluntariâ vini ingurgitatione inciderunt. Hæc ignorantia peccatum sequens non excusat: imò (ut vult Philosophus) duplices pœnas merentur, quia penes illos fuit non inebriari ab initio, unde causa ignorantiæ processit. Quod de illis rectè intelligitur, qui ipsâ ebrietate delectantur. Sed quamvis non delectentur ipsâ ebrietate, sed per imprudentiam vino superati in peccatum ignorantes inciderint, non tamen potest hæc ignorantia peccatum admissum excusare. *Lot nescivit in concubitu filiarum quid fecerit, & inebriatus ab eis non habet crimen conscientiæ* (ut loquitur Hieronymus;) *& tamen error in vitio fuit.* Quamvis ergò gravius peccatum illud sit, quod oritur ex malitia, & contemptu legis divinæ, quàm quod consequitur ex ignorantia prædicta; tamen ignorantia hæc non tollit ab actione mala peccati rationem, nec proprio aliquo suo effecto diminuit aut extenuat peccatum. Proprius effectus ignorantiæ est, excludere conscientiam mali admissi ab animo agentis: non autem tangi conscientiâ mali perpetrati; per se malum & vitiosum est, nec facit quicquam ad extenuationem peccati commissi. Sed secundarius & quasi accidentalis effectus ignorantiæ est, excludere malitiam, sive contemptum, ab animo agentis: & hoc sensu diminuit peccatum, id est, ostendit esse minus, quàm si ex certa scientia & destinata malitia oriretur. Atque hinc est, quòd qui peccant ex ignorantia, faciliùs veniam impetrent, quàm qui ex scientia: *Misericordiam consecutus sum* (inquit Apostolus) *quia ignorans feci.* Hinc etiam fit, quòd si non obtineant veniam, tamen mitius inveniant supplicium: Qua de re bene & appositè Augustinus, *Gravius peccat homo sciens quàm nesciens, nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem.* Paulò pòst, *Illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, sed fortassis ut mitiùs ardeat.*

Lib. 3. cap. 5.

Dialog. adversus Pelag. lib. 1. cap. 10.

1. Tim. 1. 13.

De Grat. & lib. arb. cap. 3.

Postremò, est quædam ignorantia, quam Schola vocat *invincibilem*; quæ intelligitur tam de ignorantia *juris* quàm *facti*. Invincibilem autem definiunt, quando operans adhibuit omnem sufficientem diligentiam ad cognoscendum, & tamen non potuit se ab ignorantia expedire. Circa hanc diversimodè philosophantur Scholastici. Alii dicunt hanc prorsus excusare peccatum, quia facit nè sit omnino voluntarium. Atque hîc affertur

exemplum

exemplum Jacobi concumbentis cum Lea, quæ uxor ejus non fuit: quem concubitum, propter hanc ignorantiam invincibilem, omni peccato caruisse affirmant. Alii tamen aliter statuunt, atque in his primum locum tenet Gulielmus Parisiensis, qui expressè docet, nullam ignorantiam excusare totaliter à peccato, *quia ubi est invincibilis ignorantia quoad nos, Deus succurret, nisi culpâ nostrâ ejus opem à nobis avertamus.* Supponit ergò doctissimus vir, hanc ignorantiam, quam vulgò vocant *invincibilem*, potuisse vinci & superari, nisi culpa aliqua agentis impedimentum objecisset; ac proinde non excusare à peccato actum illum qui ex hujusmodi ignorantia sequitur. Quæ sententia probabilis est, & facit maximè ad providentiam Dei celebrandam. Scio hanc sententiam à modernis Pontificiis tanquam improbabilem rejici: sed videtur illam approbâsse Hieronymus, qui, nullâ adhibitâ distinctione, ex Scripturis conatur docere, errorem & ignorantiam esse peccatum: videtur etiam Augustinus, qui clarè asserit, Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dici peccata, *quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.* Quinetiam alibi, *Si homines à Deo peterent sapientiam quomodo & quantùm res tanta petenda est, Deus eam daret affluenter.* Est itaque culpanda quælibet ignorantia, quâ homines præcipitantur in peccata, quia ex defectu nostro in sapientia desideranda originem ducit.

De leg. cap. 21.

Vide Vasq. in 1.2 disp. 124.

Dialog. adverſ. Pelag. lib. 1. cap. 9, 10.

De lib. arb. lib. 3 cap. 19.

De Nat. & Grat. cap. 17.

Quæstio XLVI.

Sancta Ecclesia Catholica quam credimus, ex solis constat electis.

POntificii ubique crepant, Ecclesiam Romanensem esse Ecclesiam Catholicam; nec alios quàm Romanenses esse verè Catholicos. Atque hoc facillimè defendere possunt Papistæ, postquam novam Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ definitionem excogitârunt. Sic enim Bellarminus, *Una & vera illa Ecclesia Catholica, est cœtus hominum ejusdem Christiana fidei professione & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Romani Pontificis.* Ex qua definitione patet, ad constitutionem Catholicæ Ecclesiæ tria solummodo requiri: externam professionem fidei, externam communionem Sacramentorum, & externam subjectionem ad Romanum Pontificem. In quibus hæc externa reperiuntur, etiamsi nullam virtutem, nullum internæ gratiæ donum possideant, etiamsi reprobi, scelesti, aut hypocritæ extiterint, sunt tamen vera Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ membra autore Bellarmino. Nos è contrà statuimus, fieri quidem Christianos membra particularium Ecclesiarum, putà Romanæ, Anglicanæ, aut Gallicanæ; fieri etiam Catholicæ Ecclesiæ membra (ut ità dicam) *præsumptivè*, per externam professionem, communionem, & subjectionem sub legitimis Pastoribus: non fieri tamen *verè* membra Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ quam credimus, nisi interno gratiæ dono sanctificentur, & interno Spiritûs vinculo Christo Capiti conjungantur. Ad hanc igitur Sanctam Catholicam Ecclesiam, quæ mysticum Christi corpus efficit, negamus impios, hypocritas, aut ullos spiritualis vitę expertes pertinere, qui internâ fide, charitate, sanctificatione destituuntur. Negavit hoc doctissimus Augustinus, qui tales omnes in membris Antichristi numerandos censet: *Si amas & amplecteris peccata tua, contrarius es Christo. Intus sis, foris sis, Antichristus es: intus sis, foris sis, palea es.*

De Eccl. Mil. 3. 2.

Ibid.

In Epist. Joann. Tractat. 3.

Sed

Sed quare foris non es? Quia occasionem venti non inveniſti. Negare denique hoc debuit (niſi ſecum pugnare maluiſſet) ipſe Bellarminus: Quod quatuor argumentis ex eodem Bellarmino petitis apertè demonſtrabo.

Qui in Eccleſia Chriſti eundem locum tenent quem mali & putridi humores habent in corpore humano, illi non ſunt *partes* Eccleſiæ, ſed *peſtes:* At omnes improbi & hypocritę, qui deſtituti ſunt fide, ſpe, & charitate, ſunt ſicut capilli, ungues, aut mali humores in corpore humano, fatente Bellarmino: Talis igitur modus exiſtendi in Eccleſia, non probat homines eſſe *membra* Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, ſed *ulcera.* Sic certè Auguſtino viſum eſt, qui de talibus non veretur affirmare, *Sive intus verſari videantur, ſive apertè foris ſint, quod caro eſt caro eſt, quod palea eſt palea eſt.* Quinetiam alibi docet, Eos qui neſciente Eccleſiâ propter malam pollutámque conſcientiam damnati ſunt à Chriſto, jam in corpore Chriſti non eſſe, quod eſt Eccleſia. Imò ipſe Bellarminus, extra ardorem contentionis, ſuffragatur nobis & Auguſtino: *Chriſtiani* (inquit) *illi qui fidem habent ſine charitate, quique confitentur ſe nôſſe Deum, ſed factis negant — hi ad columbam non pertinent, niſi ut membra arentia & mortua, vel (ut loquitur ſanctus Auguſtinus) ad Eccleſiam pertinent numero, non merito.* Ridiculè igitur contendit Adverſarius, hujuſmodi homines eſſe vera membra Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ.

Argum. 1.
Vide Bellar. de Eccl. 3.2.

Lib. 1. *de Bapt. cont. Donat. cap.* 17.

Cont. Creſc. lib. 2. *cap.* 21.

Bellar. de Gemitu Columbæ, lib. 1. *cap.* 2.

Qui ſunt vera membra Eccleſiæ Catholicę militantis, habent veram communionem cum Eccleſia triumphante. Nam *Eccleſia triumphans* (ut rectè Bellarminus) *unita eſt, imò potiùs una eſt cum militante, adeò ut nemo poſſit velle ſeparari ab una, quin ſeparetur ab altera.* At certiſſimum eſt, Impuros omnes, & hypocritas, quamcunque profeſsionem extrinſecùs induant, pertinere ad Eccleſiam malignantium, atque alieniſſimos eſſe ab Eccleſia triumphantium, imò etiam militantium, niſi velimus eam Eccleſiam militantem vocare, quæ contra Chriſtum ſub Diabolo militare decrevit. Hoſce omnes à corpore Eccleſiæ ſanctæ excluſit Hugo de Sancto Victore, qui hunc in modum Eccleſiam definivit, *Eccleſia ſancta corpus eſt Chriſti, uno ſpiritu vivificata, & unita fide unâ, & ſanctificata.* Excluſit etiam Auguſtinus, idque indignabundus, contra iſtos qui contrariam ſententiam audent ſuſtinere: *Non exiſtimo* (inquit) *quenquam ità deſipere, ut credat ad Eccleſiæ unitatem pertinere eum qui non habet charitatem.* At ità deſipit Bellarminus, atque nos erroris inſimulat, quia nolumus cum eo hac in re deſipere.

Argum. 2.

De Sacr. fid. lib. 2. *part.* 2. *cap.* 2.

Cont. Creſc. 1. 29.

Nihil eſt verè & formaliter illud quod eſſe dicitur appoſito termino diminuente, ſed æquivocè ſolummodo, & nomine tenus: ut homo mortuus, non eſt homo verus, ſed cadaver. At Bellarminus ipſe, improbos, & hypocritas Chriſtianos, non obſtante externâ profeſſione & unione cum Eccleſia, negat eſſe membra

Argum. 3.

Bellar. de Eccl. Mil. 3. 9.

membra viva corporis Christi, affirmat esse arida & mortua; & tamen (quod omnem stultitiam superat) mordicus tenet esse membra verissima corporis Christi: Atque hâc distinctione se

Ibid. tueri conatur; *Non sunt vera membra corporis Christi, quantum attinet ad rationem membri: sed sunt verissima membra in ratione instrumenti.* Monstrum distinctionis, flagro dignius quàm refutatione! Nam quis membrum sine ratione membri potest intelligere, aut ex sola ratione instrumenti membrum constituere? Detur mihi in hunc modum distinguere, & quidvis tuebor. Si dixero simiam esse verissimum hominem; in promptu est hæc defensio Bellarminiana: Non est verus homo, quantum attinet ad rationem humanitatis; sed est verissimus homo, quantum attinet ad rationem animalitatis. Sed scire debuit egregius hic disputator, neque specificam cujuscunque rei naturam, subductâ formali ejus ratione, remanere; neque communem rationem generis posse propriam speciei naturam constituere.

Argum. 4. Quos ipsa Ecclesia nunquam agnosceret pro membris, aut partibus suis, si nôsset quales revera essent; hosce proculdubio ipse Christus, qui omnia novit, pro veris corporis sui mystici

De Eccl. Mil. lib. 3. cap. 10. membris non agnoscit. Sed, teste ipso Bellarmino, *Si Ecclesia posset dignoscere impios, incredulos, & hypocritas; eos aut nunquam admitteret, aut casu admissos continuò excluderet.* Quis igitur negaverit, ipsum Christum omniscium & omnipotentem hujusmodi impios & incredulos à communione corporis sui mystici (quæ est illa Sancta Catholica Ecclesia quam credimus) penitus submovere, & excludere? Qui autem excluduntur ipso Christo Judice, sunt omnium ab Ecclesia exclusissimi. Huc fa-

Contra Gresc. 2. 21. cit illud Augustini, *Omnia ista monstra absit omnino ut in membris illius columbæ unicæ computentur: absit ut intrare possint limites horti concluſi, cujus ille custos est qui non potest falli.* Unde Cypri-

De dupl. Martyrio. anus, *Tales interdum tolerat Ecclesia; sed quid prodest non ejici cœtu piorum, si merueris ejici? Fruſtrà miscetur cœtui Sanctorum in templo manufacto, si submotus est à consortio Dei, & ab universo corpore mystico Christi.* Non sunt ergò verissima membra Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ (ut falsò contendit Bellarminus) qui submoti sunt à consortio Dei, & corpore Christi. Sed mittamus Bellarminum, atque Scripturas adeamus, quæ clarè docent, Sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ Christi corpus mysticum appellatur, ex solis electis, vocatis, justificatis, & sanctificatis constare.

Primò, Quia Ecclesia Sancta Catholica in petra ædificatur,

Matth. 16. 18. adeò ut contra illam nè inferorum quidem portæ possint prævalere. Hoc proprium est electorum, & fidelium, nam impii omnes & hypocritæ in arena fundantur, à Satana superantur, & tandem in infernum demerguntur. Absit ergò ut pertineant ad corpus Christi mysticum, quod non potest habere membra damnata.

damnata. Quid ergò impedit, quin concludamus cum Auguſtino? *Si in petra eſt Eccleſia, illi qui ſuper arenam ſunt, quia extra petram ſunt, profectò extra Eccleſiam ſunt.* De Bapt. contr. Donat. 6. 24.

Secundò, Quia Chriſtus non ſolummodo caput eſt vivum, ſed vivificum, & ſalvificum totius corporis ſui. Sic Apoſtolus, ad Coloſſ. 2. 19. *Totum corpus per commiſſuras & compages ſuppeditatum & compactum, augeſcit augmento Dei.* Sic ad Epheſ. 5. 23. Chriſtus vocatur *Caput Eccleſiæ*, & *Servator corporis ſui*. Jam verò ſoli electi fideles vivificantur & ſervantur; impii verò in peccatis ſuis vivunt, moriuntur, damnantur: non ergò ex impiis, ſed ex ſolis electis conſtat hoc corpus Chriſti myſticum, quod Sancta Catholica Eccleſia appellatur. Nec credo Papiſtas poſſe vel unum Patrem proferre, qui impios & damnandos, propter externam ſolummodo communionem, & fidei Chriſtianæ profeſſionem, inter vera membra Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ (quam vocamus myſticum Chriſti corpus) reponendos judicavit. E contrà Irenæus docet, Deum introducere Abrahamum & ſemen ejus, quod eſt Eccleſia, in regnum cœlorum, per Chriſtum Jeſum. Soli electi in regnum cœlorum introducuntur: ſoli ergò conſtituunt Eccleſiam Chriſti verè & univocè dictam. Clemens Alexandrinus multò expreſſiùs, *Una eſt vera Eccleſia, in cujus catalogum referuntur ii qui ſunt juſti ſecundùm propoſitum.* Adhuc planiùs, *Eccleſia eſt ἀθροισμὸς τῶν ἐκλεκτῶν.* Facile eſſet ex aliis Patribus & Scholaſticis innumera teſtimonia coacervare; ſed brevitati ſtudendum eſt. Contr. Hæreſ. lib. 4. cap. 18. Strom. 7.

Tertiò, Quia Eccleſia Sancta Catholica, non modò σῶμα, ſed πλήρωμα Chriſti dicitur, ad Epheſ. 1. 23. Jam cogitate apud vos utrùm membra mortua & putrida rectiùs dicantur complere corpus cui agnaſcuntur, an corrumpere & deformare. Certè doctiſſimus Auguſtinus putavit ſpecioſam columbam, id eſt, Sanctam Catholicam Eccleſiam, tali membrorum peſte non ornari aut compleri, ſed turpari; quia illa multitudo improborum, Eccleſiæ adjacet forinſecus, & ſuper numerum; ad quam Eccleſiam verè pertinet certus Sanctorum numerus prædeſtinatus ante mundi conſtitutionem. Quandoquidem igitur ſoli pii & fideles perficiunt hoc corpus Chriſti, impii autem & infideles potiùs inficiunt, manifeſtum eſt ex impiis hoc corpus non conſtare. Tetrum ergò illud, tabidum, & cadaveroſum corpus, quod maximam ob partem ex mortuis & putridis membris coaleſcit, licèt vicarium illud Caput ſibi unire haud dedignetur; verum tamen Caput viva membra ſolummodo tanquam ſua agnoſcet & amplexabitur. Vide Aug. de Bapt. contr. Donat. 5. 27.

Quartò, Simulac quis verum membrum Corporis Chriſti efficitur, filius Dei conſtituitur: *Quotquot eum receperunt, dedit iis poteſtatem filios Dei fieri*, Joann. 1. 12. *Adoptavit nos in filios per Jeſum Chriſtum*, ad Epheſ. 1. 5. Jam verò conſtat, infi-

deles, impios, & hypocritas, quantumvis adhæreſcant particulari alicui Eccleſiæ per externam communionem, manere tamen filios Diaboli, membra Antichriſti: ac proinde ex talibus Eccleſiam Sanctam Catholicam non conſtare, ſed ex ſolis fidelibus qui Chriſto Capiti per Spiritum Chriſti uniuntur. Quod Spalatenſi extorſit illam veram confeſſionem, quæ finem imponet huic diſputationi noſtræ: *Nemo* (inquit) *reprobos habere locum in Eccleſia Catholica veraci & veraciter, licèt locum habere poſſunt in Eccleſia Catholica præſumptivè. De qua ſola Eccleſia præſumptiva intelligendæ ſunt & Scriptura & Patrum aſſertiones, ſiquæ in Eccleſia mixtim ponunt bonos & malos.*

De Repub. Eccleſ. lib. 7. cap. 10. numer. 32.

Quæſtio

Quæstio XLVII.

Nec Petrus, nec Pontifex Romanus conſtitutus fuit à Chriſto Eccleſiæ totius Monarcha.

BEllarminus non *ſimplicem errorem*, ſed *perniciosam hæreſin* eſſe affirmat, negare hunc monarchicum beati Petri primatum à Chriſto fuiſſe inſtitutum. Sed quicquid de Petri monarchia obtendit, id tantùm intendit, ut Romanos Pontifices in hoc ſolio monarchico ſupra univerſalem Eccleſiam ſedere patiamur. Pro Petri monarchia ſtabilienda non tam ſoliciti eſſent Romanenſes, niſi Romanum Pontificem Petro ſuccedere in hac Eccleſiaſtica monarchia ſomniâſſent. Nos autem fatemur, tum ex Scripturis tum ex Patribus multa afferti poſſe, quæ Petro quandam honoris prærogativam adſcribere videantur. Primus maximam ob partem inter Apoſtolos recenſetur: ſolus ferè reſpondit nomine omnium Apoſtolorum, quando aliquid in commune ab illis quæritur: à Patribus *Dux*, *Princeps*, *Caput Apoſtolorum* ſubinde appellatur. Sed ex hiſce aliiſve quibuſcunque titulis & prærogativis quę Petro tribuuntur, nihil aliud colligi poſſe affirmamus, quàm obtinuiſſe illum præſidentiam ſive primatum quendam, quoad ordinem, inter alios Apoſtolos; non poteſtatem ſive juriſdictionem, quoad imperium, ſuper omnes Apoſtolos. Hic ordinis primatus (abſque quo in nullo cœtu negotia rectè expediri poſſunt) Petro delatus fuit, non jure divino, ſed vel ratione ætatis, ut putabat Hieronymus, vel (quod potiùs arbitror) ratione indolis; quia fuit acerrimus & fortiſſimus Apoſtolorum, atque ad propulſanda pericula & negotia expedienda paratiſſimus. Jam verò quòd ex tali primatu ordinis primatum monarchicum Petro affingunt Papiſtæ, enndémque

De Pontif. Rom. lib. 1. cap. 10.

Vide Bellarm. de Pont. Rom. 2. 2.

ad Pontifices Romanos transmittunt, nullam habet vel speciem veritatis, atque perspicuè refellitur hisce argumentis.

Primò, Quia ipse Christus (quem putant monarchiam Petro Petrique successoribus hisce verbis promisisse, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. 18) ostendit nihil tale sibi in mentem venisse, Matth. 20. 25, 26, &c. Ubi Apostolis talem primatum somniantibus, non dicit, Petro Petríque successoribus hanc monarchiam designavi, sed monet neminem illorum debere hujusmodi dominatum in cæteros exercere. Quid quòd ipsa lux veritatis, & communis Patrum sententia, cogit agnoscere, hanc petram, super quam ædificatur Ecclesia Catholica, non esse Petrum, sed Christum? Super Christum ædificatur Petrus, ædificantur reliqui Apostoli, ædificatur tota Ecclesia Dei. Innitatur Petrus quàm proximè huic petræ; sic etiam & cæteri Apostoli: vocetur fundamentum, quia doctrinam Evangelicam prædicando fundavit Ecclesiam; sic etiam duodecim Apostoli duodecim sunt fundamenta. Sed fac Petrum esse ipsam petram, qui sic sustinet totam Ecclesiam, ut portæ inferorum adversus eam non possint prævalere (quod nemo sanus affirmare ausit;) quid hoc ad monarchiam? quid ad monarchiam Pontificum Romanorum? Aliud est, sustentare domum, aliud monarchico imperio domum gubernare. Neque Pontifices externâ hâc suâ & monarchicâ gubernatione vel unum Ecclesiæ membrum tueri possunt contra portas inferorum; qui, non obstante hâc suâ monarchiâ, ab inferis ipsi absorpti sunt, aut saltem absorberi possunt. Miseret me profectò Ecclesiæ Romanæ, cujus petra (vel ipsis fatentibus) in imum inferorum barathrum potest decidere.

Ephes. 2. 20.

Apoc. 21. 14.

Secundò, Quia pro hac monarchica potestate Petri nihil afferre possunt, quod pro omnibus Apostolis non perinde valeat. Affertur illud, *Tibi dabo claves regni cælorum: & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis, &c.* Sed hisce verbis negamus contineri potestatem monarchicam: negamus etiam ad solum Petrum pertinere: nam Petrus personam Ecclesiæ tum sustinuit; unde cæteris Apostolis perinde promittuntur claves, atque ipsi Petro. Denique, si soli Petro claves promissæ fuissent, soli etiam traditæ fuissent. At omnibus fuisse ex æquo traditas, patet Matth. 18. 18. *Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo, &c.* Et apertiùs Joannis 20. 22, 23. *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittentur iis, &c.* Claves ergò non soli Petro, aut principaliter, sed ex æquo omnibus Apostolis dantur, & communiter. Nè autem quis opinetur *clavium* vocabulo monarchicum quiddam subesse, cùm Petro promittuntur; vocabulis autem *ligandi* & *solvendi* aliquid minus contineri, cùm ea potestas, omisso *clavium* vocabulo, cæteris Apostolis demandatur; habemus ipsum Bellarminum confitentem, claves hoc loco promissas fuisse omnibus Apostolis, fuisse etiam datas,

Matth. 16. 19.

Matth. 16. 19.
Matth. 18. 18.

Joann.

Joann. 2. 21. Quod etiam Hieronymo visum est, qui disertis verbis affirmat, *Cunctos Apostolos claves regni cœlorum accepisse.* Si ergò claves faciant Monarcham, en duodecim Ecclesiæ Monarchas à Christo institutos! Denique hîc etiam illud inculcandum, Quid claves Petri ad monarchiam? Quid faciunt claves omnibus Apostolis datæ, ad solius Pontificis Romani monarchiam erigendam? Affertur etiam & illud, *Pasce oves meas*, Joann. 21. 15, 16, 17. Unde universale regimen totius Ecclesiæ soli Petro commissum argumentantur. Sed non minùs latè patent illa verba, quæ omnibus Apostolis dicta sunt, *Docete omnes gentes*, Matth. 28. 19. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marc. 16. 15. Nam virtute hujus mandati pascere potuerunt oves Christi ubicunque inventas, idque potestate non à Petro, sed à Christo immediatè derivatâ. Sic Augustinus, *Cùm dicitur Petro, ad omnes dicitur*, PASCE OVES MEAS. Cui adde & illud, *Petrus Pastor, & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores.* Frustrà igitur & ineptè monarchiam quærunt in uno solo Pastore, nisi tot Monarchas agnoscere velint, quot Pastores universalis Ecclesiæ à Christo constitutos vident. Sed si verum agnoscere velimus, in illis verbis, *Pasce oves meas*, nec Petro, nec cuiquam nova aliqua potestas, nedum monarchica, donatur: sed monetur Petrus, monentur reliqui omnes, ut Pastorale officium, quod illis antea fuit demandatum, sedulò exequantur. Citiùs ex pumice aquam, quàm ex hac monitione expresserit monarchiam Bellarminus.

In Psal. 38.

De Agone Christi. cap. 30.

Tract. 47. in Joann.

Tertiò, Patet cæteros Apostolos non fuisse Petro subditos, tanquam Monarchæ universali totius Ecclesiæ, quia in omnibus ut pares & æquales sese gesserunt, nec Petri potestatem hanc supremam ullo obsequii genere agnoverunt. Primò, quod ad ipsum jus attinet monarchicæ potestatis super cæteros Apostolos, id planè nullum in Petro fuisse, in confesso est apud Patres, imò apud saniores Pontificios. Quid expressius illo dicto Cypriani, *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quòd Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia monstretur?* Chrysostomus in eadem planè sententia fuit, qui scribit, *Paulum, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce,* ἀλλ' ἰσότιμος ὢν αὐτῷ, *sed honore par esset illi, tamen ascendisse velut ad majorem, &c.* Si Petrus Monarcha fuisset inter Apostolos, læsæ Majestatis rei fuerunt, qui subditos huic suo Monarchæ potestate pares & æquales proclamârunt. Sed ipsos Romanenses audiamus. Franciscus de Victoria ponit hanc conclusionem, *Apostolos omnes habuisse æqualem potestatem cum Petro, & ad omnes actus ad quos Petrus habuit.* Ante eum Joannes Gerson docuit, *Nullam esse potestatem in Papa, quæ posit in aliquid, in quod nulla altera potestas Ecclesiastica potest.* Cusanus denique defendit, *Papam non esse*

Cypr. de unit. Eccl.

In 1. ad Galat.

Relect. de Potest. Eccles.

De Potest. Eccles.

De Concor. Cathol. cap. 13.

univerſalem Epiſcopum, ſed ſuper alios primum; & ſacrorum conciliorum, non in Papa, ſed in conſenſu omnium, vigorem eſſe fundatum. Hi omnes, utcunque primatum ordinis concedant Petro, & Pontificibus Romanis, monarchiæ tamen Eccleſiaſticæ nervos planiſſimè inciderunt. Videtis Petrum non fuiſſe de *jure* Monarcham ſuper cæteros Apoſtolos; videamus an de *facto* ſeſe ſubjecerint tanquam Monarchæ ſuo. Præcipuum obſequium quod huic monarchicæ Petri cathedræ debetur, juxta Pontificiorum ſententiam, illud eſt, quòd omnes alii Paſtores doctrinam ſuâ hujus ſummi Pontificis infallibili judicio ſubmittere & conformare teneantur. Oſtendant ergò Apoſtolos formam doctrinæ ſuæ à Petro accepiſſe, aut Petrum pro ſupremo ſuo Judice in rebus fidei agnoviſſe. Nihil tale proferre poſſunt, & nos Pauli exemplo contrarium probare poſſumus. Ad hæc, ſupremus Eccleſiæ Monarcha ordinat, deponit, dirigit, judicat, punit ſibi ſubjectos Paſtores, prout ſibi viſum eſt expedire. At nemo Papiſtarum tam ferreâ fronte eſt, qui audet aſſerere, Petrum aut ordinâſſe Apoſtolos reliquos, aut potuiſſe eoſdem deponere, judicare, aut punire, ſi quid ſecùs quàm oportuit admiſiſſent. Ipſum Petrum acriter à Paulo reprehenſum legimus, ſine omni ſubjectionis ſignificatione: at nunquam legimus, ullum Apoſtolorum, ulla in re, à Petro fuiſſe ità tractatum, ut indè poſſimus vel leviſſimam hujus ſupremę poteſtatis ſuſpicionem colligere. At eſt unde contrarium colligamus. Nam cùm Jacobus, Cephas & Joannes dextras dederunt ſocietatis Paulo & Barnabæ, ut hi inter Gentes, ipſi inter circumciſos Apoſtolatu fungerentur, neminem horum pro ſupremo Eccleſiæ Monarcha ſe geſſiſſe manifeſtum eſt. Hîc etiam illud urgendum; Ut fuerit Petrus ſpiritualis totius Eccleſiæ Monarcha, quomodo conſtabit hanc monarchiam jure divino ad Pontifices Romanos eſſe devolutam? Papiſtę jus ſucceſſionis ex facto Petri arceſſunt, quem dicunt jubente Domino ſedem ſuam Romæ collocâſſe. Quàm hîc incerta omnia! Petrum fuiſſe unquam Romæ, non Scripturę, ſed hiſtoriæ affirmant: Chriſtum apparuiſſe Petro Româ exeunti, juſſiſſe ut rediret in urbem, prædixiſſe quòd ibi eſſet crucifigendus, non Prophetarum aut Apoſtolorum aliquis, ſed Hiſtoricorum, nobis narravit. Denique (quod caput controverſiæ eſt) plenariam Petri poteſtatem ad ejus urbis Epiſcopos in qua moreretur eſſe devolvendam, atque illis ſolis quaſi clavo trabali perpetuò affigendam, nè Hiſtoricorum quidem fide nititur, ſed Pontificiorum ineptis conjecturis, & infirmis ratiunculis. Unde ipſe Bellarminus tandem labaſcit, & tantùm non fatetur hanc monarchiam Romani Pontificis jure divino haud innixam: *Obſervandum eſt*, inquit, *licèt fortè non ſit de jure divino, Romanum Pontificem, ut Romanum Pontificem, Petro ſuccedere; tamen id ad fidem Catholicam pertinere.* Si fortè non ſit de jure

Galat. 1. 16, 17, &c.

Galat. 2. 11.

Galat. 2. 9.

Bellarm. de Pontif. Rom. 2. 32.

De Pontif. Rom. lib. 2. *cap.* 12.

jure divino, fortè etiam non pertinet ad fidem Catholicam, fortè etiam adversatur fidei Catholicæ. Nam (quicquid obtendatur Bellarminus) non magis deducitur ex Scripturis, jure divino debere Episcopum Romanum aut quenquam alium succedere Petro in præfectura totius Ecclesiæ, quàm Paulo, Joanni, Jacobo, aut cuivis Apostolorum, qui (ut antea demonstratum est) parem cum Petro in universalem Ecclesiam potestatem obtinuerunt. Nunquid credibile est, hunc articulum fidei (ut volunt Papistæ) tam apprimè ad salutem Ecclesiæ necessarium, ab omnibus sacris Scriptoribus fuisse prætermissum? Nunquid probabile est, Romani Pontificis summam in omnes Ecclesias potestatem niti jure divino, & nè nomen quidem Romani Pontificis, aut ullam mentionem hujus Romanæ prærogativæ in sacris literis extare? Hisce argumentis ad extremum addo Bellarmini confessionem, qui hanc Petri supremam in reliquos Apostolos potestatem non potuit ullo modo asserere, absque manifestæ contradictionis implicatione. Sic enim loquitur, *Summa potestas Ecclesiastica non solùm data est Petro, sed etiam aliis Apostolis.* — *Sed Petro ut ordinario Pastori, cui perpetuò succederetur: aliis verò tanquam delegatis, quibus non succederetur.* Et cap. 11. *Omnes fuerunt Capita & Pastores Ecclesiæ universæ,* — *sed tamen ità ut Petrus esset Caput eorum, & ab illo penderent.* Denique cap. 12. *Omnibus collata fuit summa potestas, sed ut Legatis, non ut Pastoribus ordinariis, & cum quadam subjectione ad Petrum.* Sed quis potest intelligere, in Apostolis fuisse summam potestatem, & subjectam sive subordinatam potestatem; cùm summa & alteri subjecta contradictoriè opponantur? Præterea, quis capiat, solum Petrum fuisse ordinarium Pastorem, reliquos omnes Legatos? Quæro cujus Legati fuerint. Non Petri. Nam passim se à Christo missos testantur. At ipse Petrus non fuit minùs Legatus Christi, quàm cæteri Apostoli; nec cæteri minùs à Christo constituti Pastores, quàm ipse Petrus. Postremò, unde probabit Bellarminus, Christum voluisse ut Petro succederet in hac monarchia Ecclesiastica Papa Romanus, reliquis autem Apostolis nemo succederet? Hæc omnia pro libidine & commodo Papistarum finguntur, & nullo interim Scripturæ testimonio confirmantur. Quòd si Concilia velimus inspicere, & quid illi decreverint contra Pontificum Romanorum voluntatem animadvertere; facilè patebit nunquam fuisse pro supremis Ecclesiæ universalis Monarchis agnitos. Non à Nicænis Patribus, qui hunc Monarcham in ordinem redegerunt, & intra limites propriæ suæ jurisdictionis, non minùs quàm alios Patriarchas, manere voluerunt. Non ab Africanis in Concilio Milevitano, qui appellationes ad hunc Monarcham sub pœna excommunicationis à suis fieri vetuerunt. Non à Patribus in 5. & 6. generali Concilio congregatis, qui duos Romanos

De Pontif. Rom. l. 9.

Romanos Monarchas, Vigilium ſcilicet & Honorium, cum decretis ſuis & dogmaticis Epiſtolis anathematizârunt. Si percurramus ſingula Eccleſię ſecula, nullum extare arbitror, in quo non extat publicum aliquod Eccleſię teſtimonium hujus Romanæ Monarchiæ ſpretæ & meritò oppugnatæ. Sed in Conſtantienſi Concilio & Baſileenſi id ipſius Romanæ Eccleſiæ conſentientibus ſuffragiis fuit definitum, quando docuerunt Papam tam in fide quàm in moribus errare poſſe; & decreverunt, in utroque illum Concilio generali ſubeſſe oportere; & pro hæreticis cenſuerunt illos omnes, qui huic decreto repugnarent. Hæretici igitur omnes Papiſtæ, qui hunc ſuum Pontificem Eccleſiæ univerſali non ſubeſſe, ſed inſtar Monarchæ præeſſe oportere, arctè tenent, obſtinatéque defendunt.

Quæſtio

Quæstio XLVIII.

Censura Ecclesiastica non tollit vincula officiorum.

PEr Censuram in genere nil aliud intelligunt Canonistæ, quàm pœnam Ecclesiasticâ potestate impositam, quæ peccantes usu quorundam spiritualium bonorum privare solet. Tria sub hoc nomine comprehendi docent; Interdictum, Suspensionem, & Excommunicationem. Interdictum fertur contra Regnum, Civitatem, aut Ecclesiam; uno verbo, contra totum aliquod collectivum: Suspensio fertur contra singularem personam, sed Clericum: Excommunicatio promiscuè contra quoslibet, sive Clericos sive Laicos. Non est præsentis instituti accuratiùs inquirere, quomodo ista tria conveniant inter se, quomodo distinguantur; quia quæstio quam in manibus habemus propriè respicit solam excommunicationem. Nam cum suspensis & interdictis posse alios communicare in communis vitæ officiis, non negant ipsi Romanenses. Ad excommunicationem ergò quod attinet; aliquando designare solet leviorem illam censuram, quæ arcet peccatorem solummodo à liminibus Ecclesiæ, & communione corporis & sanguinis Domini: aliquando illam graviorem, quæ separat excommunicatum ab omni consortio fidelium, & *Anathematizatio* appellatur. De excommunicatione minore (quam *abstentionem* appellare licet) in confesso est, per eam non solvi vincula officiorum; sed, eâ non obstante, posse fideles cum talibus in officiis humanis ad hanc communem vitam spectantibus liberè communicare. Tota controversia circa majorem excommunicationem versatur, quæ non modò à perceptione Sacramentorum, sed ab omni consortio fidelium separare excommunicatos judicatur. De tali excommunicato fertur vulgaris ille versiculus, *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*. Quo docemur, non oportere nos signa aliqua specialis benevolentiæ aut reverentiæ excommunicatis exhibere; non res sacras illis impertire, aut cum illis sacra participare; non denique

Sylvest. in verbo Censura.

Vide Gratian. caus. 11. quæst 3. cap. Ad mensam.

denique in vita communi civile commercium cum illis retinere. Eſt enim quaſi duplex vinculum excommunicationis: unum quod ligat excommunicatum, nè communicet cum fidelibus; alterum quod ligat fideles, nè communicent cum excommunicato. Hinc Apoſtolus vetat *commiſceri*, vel *cibum ſumere* cum talibus, 1. Cor. 5. 11. *Nè commercium habeatis cum eo, ut eum pudeat*, 2. Theſſ. 3. 14. Hîc autem animadvertendum eſt, ex recepta Theologorum ſententiâ, hanc determinatam prohibitionem communicandi cum excommunicatis, niti jure poſitivo & Eccleſiaſtico, non naturali aut divino. Nam Chriſtus Dominus nunquam per ſeipſum immediatè inſtituit, ut Eccleſia uteretur tali pœnâ, determinando modum ejus: ſed *determinatio cenſurarum in particulari, prudenti judicio Eccleſiæ relicta fuit*, ut rectè Suares de Cenſuris, diſp. 2. aſſert. 2, & 3. Hinc colligit Sylveſter, Papam diſpenſare poſſe quoad communicationem cum excommunicatis; quia hoc vinculum contrahitur à jure poſitivo. Atque idem etiam poteſt Concilium generale, quod in Concilio Conſtantienſi factum agnoſcunt Papiſtæ: atque ipſe tenor decreti extat apud Sotum, 4. Sent. diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. Cùm enim ſecundùm jura communia & antiqua fideles tenerentur vitare omnes excommunicatos, prohibitio hæc coarctata eſt ad publicè denuntiatos, & notorios percuſſores Clericorum. Unde infert Suares, ſecluſâ prohibitione Eccleſiæ, non eſſe per ſe malum communicare cum illa perſona quæ excommunicata eſt. Atque hanc ob cauſam eadem Eccleſia quæ interdixit fidelibus omnem communicationem cum excommunicatis, tam in humanis quàm divinis, quod attinet ad externa communis vitæ officia, hanc prohibitionem reſtrinxit ad commercium indebitum & voluntarium. Nam quando vinculum juris divini, naturalis, aut civilis, obligat nos ad officia illis præſtanda, non liberamur ab hiſce vinculis virtute excommunicationis latæ in illos. Dicunt quidem Decreta generatim, *Cum excommunicato neque orare, neque loqui, neque veſci licet: Excommunicatos nullus recipiat, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut oſculo communicet, nec Ave eis dicat: nam qui ſciens excommunicatis communicaverit, ſimili excommunicationi ſubjacet.* Sed re meliùs perpenſâ obſervatum eſt, hæc edicta obſervari non poſſe, ſine ingenti multorum incommodo. Tandem ergò, expreſſo jure, quaſdam perſonas ab excommunicationis cenſura eximendas ſtatuerunt, quamvis cum excommunicatis communicarent. Audite ipſum Decretum; *Apoſtolicâ autoritate ab Anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, filios, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos ſervientes, & omnes alios qui non adeò curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & eos qui ignorantes excommunicatis communicant.* Ortâ autem poſtmodum controverſiâ, utrùm virtute hujus decreti perſonæ prædictæ

In verbo Excommunicatio, *ſect.* 5.

Diſp. 2. *ſect.* 2.

Gratian. cauſ. 11. *quæſt.* 3.

Gratian. cauſ. 11. *quæſt.* 1. *cap.* Quoniam.

licitè

licitè tantùm poſſent communicare cum excommunicatis maritis, dominis, parentibus, &c. an ad hoc inſuper ex neceſſitate tenerentur: Reſpondet Innocentius tertius, *teneri quidem ad familiare obſequium, & per conſequens ad communionem ſine qua illud nequeunt exhibere.* Sed unum eſt, in quo nec Gregorio nec Innocentio aſſentimur, nempe quod haſce exceptiones in indulgentia Papali fundatas exiſtimant: licita enim eſt hujuſmodi cum excommunicatis communicatio, ex intrinſeca exceptione fundata in lege naturali aut divina; imò debita & neceſſaria, ob bonum Naturæ ſeu Perſonæ, ſive Papa eam permittat, ſive prohibeat. Canoniſtæ ſolennes & legitimas exceptiones hoc verſiculo complectuntur, *Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.* Atque ob has cauſas ſtatuunt, licere uxori communicare cum marito ſuo, ſervis cum domino, liberis cum patre, non obſtante excommunicatione. Quod æquiſſimum eſſe, hiſce rationibus ſuademus.

Decret. Gregor. lib. 5. Tit. 39. de Sent. excommun. cap. Inter alia.

Primò, Eccleſia non poteſt privare excommunicatum, niſi illis bonis, quorum particeps fuit mediante miniſterio Eccleſiæ: At jus paternum in liberos nititur jure naturali & divino, jus herile in ſervos nititur jure civili & politico, par ratio eſt mariti: Ergò nullus horum incurrendo excommunicationem amittit jus ſuum naturale aut civile in alios, nec poſſunt hoc prætextu debita officia illis denegari. Nam cùm excommunicati privantur communicatione cum fidelibus, id intelligendum eſt de communicatione tali, in quam Eccleſia jus & poteſtatem habet. Arceat igitur à ſacris excommunicatos; inhibeat uxores, filios, ſervos, nè cum maritis, parentibus, aut dominis, juſtam ob cauſam excommunicatis, in perceptione Sacramentorum ſocientur: ſed nè officia præſtent in vita communi, ad quæ divino & humano jure ſunt obligati, non poteſt ulla Eccleſiaſtica poteſtas impedire. *Præceptum* ſiquidem *inferioris poteſtatis non obligat ad obedientiam, quando contrariatur præcepto ſuperioris.*

Durand. lib. 2. diſt. 39. quæſt. 5.

Secundò, Si dicamus hæc vincula ſolvi interveniente excommunicatione, Eccleſia puniet innocentem cùm nulla juſta ſubſit cauſa pœnę infligendæ. Nam excommunicato ſervo, innocens dominus privaretur ejus operâ & obſequio: excommunicato patre, innoxii liberi ejus ſubſidio, innoxia uxor ejus ſolatio privaretur. At hoc repugnat æquitati, & ipſi ſcopo excommunicationis, quæ lata eſt, non in nocumentum fidelium, ſed in pœnam contumacium.

Tertiò, Si hæc mutua vincula officiorum per cenſuram Eccleſiaſticam rumperentur, ſæpiſſime ex crimine ſuo commodum reportarent excommunicati; quod eſt à ratione alienum. Non liceret enim domino uti obſequio famulorum, non patri liberorum, ſi modò excommunicationis vinculo eſſent innodati. Per culpam igitur & excommunicationem hoc commodi habebunt,

Lessius de Jure & Justitia.

quòd à debitis obsequiis & laboribus immunitatem consequentur. Est autem æquè absurda hęc, ac quorundam Canonistarum sententia, qui debitorem excommunicatum non teneri ad solvendum arbitrantur, quamdiu subjacet excommunicationi. Nam si ità res se haberet, multi decoctores excommunicationem beneficii loco haberent. Quod debitoribus, idem patribus aut filiis, maritis aut uxoribus excommunicatis, ex hac censura Ecclesiastica commodum accederet, si ejus virtute mutua officiorum vincula illico tollerentur. Tenentur ergò excommunicati cum aliis commercium habere, quatenus ad implenda debita eorundem officia necessarium est: permittitur fidelibus illorum operâ uti, quatenus necessitas aut magna utilitas postulat.

Postremò, Hisce omnibus illud addo, Excommunicationis censuram facere aut declarare hominem indignum usu spiritualium bonorum; usu verò civilis communicationis, aut rerum temporalium, neque posse absolutè privare, nec privatum declarare. Hinc ipsi Canonistę (ut præhabitum est) civilem cum talibus communicationem non esse intrinsecè malam concedunt, sed malam quatenus prohibitam, prohibitam autem quatenus ratio æquitatis patitur eam prohiberi. Sed hîc quæri potest, nunquid prædictæ exceptiones illo versiculo comprehensæ, *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse,* sicuti jubent uxores, filios, & servos, ità etiam & subditos, non obstante excommunicatione, Regibus suis parere, debita obsequia persolvere, & communicationem in negotiis civilibus cum illis retinere. Duo hoc in loco sunt nobis ostendenda: Iniquitas Pontificum Romanorum in Imperatores, Reges, & Principes excommunicatos, dum hoc prætextu solvunt subditos illorum ab officiis humano & divino jure debitis: Æquitas eadem prędictarum exceptionum, etiam quoad Reges & Principes; quorum subditos ad omnia civilia obsequia illis exhibenda (non obstante excommunicatione) probant ac tenent obligatos. Atque hîc nihil dicam de vanissimis ac superbissimis decretis Nicolai, ac Gelasii, quæ extant apud Gratianum, distinctione 96. Nam licèt removeant Imperatorem à gubernaculo Ecclesiæ, & subjiciant eum Papæ excommunicandum; non tamen illum à clavo Reipublicę avellunt, non subditos excommunicati Imperatoris à fidelitate & obsequio absolvunt, non denique dominio & sceptro spoliant excommunicatum. Sed Hildebrandus longiùs processit;

Gratian. Caus. 15. quæst. 6.

Nos (inquit) *sanctorum nostrorum prædecessorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolicâ autoritate à juramento absolvimus: & nè illis fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Legimus Imperatorem per Sanctum Ambrosium ob grave peccatum à sacris abstentum; sed abstenti subditos à fidelitate absoluros non legimus. Debuit Gregorius illos suos

sanctos

ſanctos prædeceſſores nominare, debuit illam Apoſtolicam (quam crepat) autoritatem ab Apoſtolorum ſcriptis derivare: Non fecit, non potuit; iniquiſſimum igitur hoc decretum flocci faciendum. Innocentius tertius Gregorii inſaniam ſuperavit in decreto ſuo de Hæreticis: ubi dominos temporales, qui ſuam terram purgare neglexerint ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprovinciales Epiſcopos, excommunicationis vinculo innodandos ſtatuit: & ſi ſatisfacere contempſerint, eorum vaſallos per Pontificem Romanum à fidelitate ſua abſolvendos, terrámque illorum Catholicis donandam, quieam exterminatis hæreticis abſq; ulla contradictione poſſideant, &c. Huic ſuccinit Gregorius nonus, cujus eſt illud, *Abſolutos ſe noverint à debito fidelitatis dominii, & totius obſequii, quicunque lapſis manifeſtè in hæreſin aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur adſtricti.* Si igitur hiſce Pontificibus fides adhibenda ſit, ſimulac Papæ libuerit hæreſin Principi alicui aut populo impingere, poteſt mediante excommunicatione Principem ſubditis, populum terris ſuis ac bonis omnibus ſpoliare & privare. Poſtremò, nè quis dicat, Pontifices Romanos limites ſpiritualis ſuæ poteſtatis excedere, dum temporalibus bonis eos ſpoliant quos ſpirituali tantùm gladio percutere debuerunt; Bonifacius octavus trabali clavo utrumque gladium affigit cathedræ Pontificali, ac novum fidei articulum Chriſtianis ſub neceſſitate ſalutis credendum proponit hiſce verbis, *Porrò, ſubeſſe Pontifici Romano, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceßitate ſalutis.* Non puduit Jeſuitas defendere hanc tyrannicam Pontificum poteſtatem in Reges & Imperatores. Suareſius ſolus nunc prodeat in medium, ex quo diſcamus reliquorum ſententiam. Sic ille, *Tria ſunt quæ pertinent ad Dominium & ſubjectionem: Forenſis juriſdictio, Obligatio obedientiæ ſeu fidelitatis, & Dominium regni ac populi cum tributis & ſervitiis illi reſpondentibus. Juriſdictio forenſis per excommunicationem ſuſpenditur: Obligatio fidelitatis poſt ſententiam declaratoriam tollitur: ad tertium verò quod attinet, non ceſſat communicatio inter Principem & ſubditos, vi cenſuræ & per ſe.* Videri vult ſatìs molliter tractare Principes excommunicatos: ſed animadvertite ſtultitiam ſimul & perfidiam Jeſuiticam. Quid ſtultius quàm imaginari, ſuſpensâ juriſdictione ex parte Principis, & ſoluto fidelitatis vinculo ex parte populi, aut poſſe Regem ſervitia quæ ad dominium regni ſpectant exigere, aut populum vinculo fidelitatis ſolutum, velle eadem exhibere? Stultè igitur illa ſeparantur, quæ divulſa conſiſtere non poſſunt. Sed videte etiam fraudem Jeſuitæ: *Non abſolvuntur ſubditi à juramento fidelitatis, niſi poſt ſententiam declaratoriam. Excommunicatio per ſe, & vi cenſuræ, non privat Principem dominio ſuo, & ſubditorum obſequio.* Quid hoc juvat Principem, cùm ſtatim addat, *Per ſe quidem*

Decretal. Gregor. lib. 5. Titulo 7. de Hæreticis, cap. 13.

Ibid. cap. 16.

Extrav. Commun. lib. 1. Tit. 8. cap. Unam Sanctam.

hoc non facit, ſed interdum de hæreticis & ſimilibus hoc in jure diſponitur, & in ſententia ſpecialiter exprimitur: Quando talis effectus excommunicationi adjungitur, non eſt effectus ipſius excommunicationis, ſed ſpecialis pœna ſimul cum excommunicatione impoſita? Quid refert ad ſententiæ iniquitatem, utrùm excommunicatio per ſe privet Principem dominio ſuo, an per aliud? utrùm directè id faciat Pontifex, an indirectè? vocabula hæc Scholæ ſapiunt argutias, Principum non levant miſerias. Ad ſententiæ etiam declaratoriæ expectationem quod attinet, non minùs doloſè agit cum Principibus Jeſuita: *Contingere* (inquit) *poteſt ut quamvis Princeps ſecularis hæreticus vel ſchiſmaticus ſit, & rebellis Eccleſiæ, Eccleſiæ Paſtores non poſſint vel non audeant ſententiam declaratoriam contra illum proferre; & tunc cenſent aliqui licitum eſſe ſubditis ab eorum obedientia omnino recedere, ex quadam ratihibitione, ſeu tacita Eccleſiæ conſenſione: de qua ex magnitudine periculi & aliis circumſtantiis ſatis præſumitur hoc eſſe conforme voluntati ejus.* Plura non addo: ſatis perſpectam habere poteſtis ex illis quæ allata ſunt, Paparum & Papicolarum in Reges & Principes iniquitatem: id jam reſtat, ut oſtendamus eâdem æquitate & neceſſitate teneri ſubditos ad communicandum & obſequendum Principibus ſuis, licèt excommunicatis, quâ uxores maritis, liberi parentibus, aut ſervi dominis adſtringuntur.

Primò, Quicquid impedit quò minùs ſolvatur vinculum officiorum inter prædictas perſonas, à pari valet ut non ſolvatur inter Reges & ſubditos. Nam Rex mariti, Reſpublica uxoris locum tenet: Rex pater patriæ eſt, ſubditi filiorum inſtar habentur: Rex denique in regno ſuo ſupremus dominus eſt, ſubditi ingenuorum ſervorum locum occupant. Quandoquidem igitur communicatio cum excommunicatis in rebus humanis ſeu civilibus jure tantùm Eccleſiaſtico prohibita eſt, mutuorum autem officiorum præſtatio tam ex parte Regum quàm ſubditorum jure divino nitatur; neque debet, neque poteſt cenſura Eccleſiaſtica hoc vinculum diſſolvere. Qui in cauſa uxorum, filiorum, & ſervorum, hujus communicationis æquitatem & neceſſitatem obſervârunt, ac lege ſanxerunt, nullâ ratione Reges & ſubditos ab ejuſdem legis beneficio excludere debuerunt. *Suarez.*

Secundò, Quod ad ipſum Regem ſpectat, per excommunicationem non liberatur ab officio & cura regendi populum ſibi commiſſũ. Sicuti enim qui ex officio tenetur docere, & non poteſt per alium ſatisfacere ſuo muneri, in gratiam boni communis (quod ſemper jus ſuum exigit) poteſt hoc munus non obſtante excommunicatione exercere: ità etiam & Rex, qui ex officio tenetur gubernare, neque poteſt, abſque ſuo ingenti periculo, & ſubditorum maximo incommodo, vel ad tempus ſe hâc poteſtate abdicare, in gratiam boni publici & poteſt & debet officium ſuum Regale obire. Canoniſtarum regula eſt, *Dominum teneri de damnis* *Emanuel Sa, Aphor. in verbo* Dominus.

damnus, quæ cùm potuit non impedivit in ſuo dominio. Si ergò Rex bruto Papalis excommunicationis fulmine perterritus, à gubernanda Republica abſiſteret, & ipſa interim (quod vitari non poteſt) aliquid detrimenti caperet, ipſe coram Deo & hominibus illius damni reus teneretur.

Tertiò, *Injuſta ſententia nullum alligat apud Deum, nec apud Eccleſiam,* ut verè Gregorius, apud Gratian. cauſ. 11. quæſt. 3. cap. *Non debet.* Sic etiam ante eum Gelaſius, *Si injuſta eſt ſententia, apud Deum, & ejus Eccleſiam neminem poteſt gravare. Non opus igitur ut eâ quis ſe abſolvi deſideret, quâ ſe nullatenus perſpicit obligatum.* Jam ut demus, ſententiam excommunicationis juſtam eſſe, quà Regem aliquem arcet à perceptione Sacramenti, aut ingreſſu Eccleſiæ; tamen, quà privat dominio & removet à clavo Reipublicæ, eſt manifeſtè injuſta, & ipſo jure nulla. Quid juris habet Papa ad Regem externo aliquo ſupplicio coërcendum? Quid habet excommunicatio commune cum privatione bonorum temporalium? Regum eſt, corporalem irrogare pœnam; Sacerdotum, ſpiritualem inferre vindictam. *Extra territorium jus dicenti impunè non paretur*, ut volunt Juriſconſulti. Egreditur autem territorium poteſtatis ſuæ Pontifex Romanus, quando illum dominio & ſceptro privat, atque obſequio ſubditorum, quem privare tantummodo potuit communione ſacrorum & ſpiritualium bonorum. Cenſura igitur Eccleſiaſtica non privat Regem officio ſuo Regali, nec arcet à communicatione civili cum ſubditis ſuis, abſque qua officium hoc impleri nequit.

Ibid. cap. Cui eſt.

De populo jam videamus an propter Papalem excommunicationem, adde etiam & ſententiam declaratoriam de ſubditorum à fidelitate abſolutione & Regis depoſitione, teneantur officia ſubditorum illi denegare.

Primò, Si jus divinum ſpectemus, illud obſequia ſubditorum requirit in rebus omnibus juſtis & licitis, nec excuti hoc jugum permittit ex eo, quòd, interveniente aliquo Regis graviori peccato, à Sacerdote excommunicetur. Chriſti ipſius mandatum eſt, quod Vicarius ejus non poteſt infringere, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, Matth. 22. 21. Pauli doctrina eſt, quam Pontifex Romanus non debet contemnere, *Admone illos, Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedientes, &c.* ad Tit. 3. 1. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi, &c.* 1. Pet. 2. 13. Neque poſſunt ullo colore hiſce Scripturis hanc exceptionis clauſulam apponere, *Niſi ſit hæreticus, Niſi ſit ob contumaciam in aliquo mortali crimine excommunicatus.* Regis etenim *poteſtas non amittitur niſi amiſſo eo in quo fundatur:* Non fundatur autem in fide ejus aut ſanctitate, nec in participatione rerum ſacrarum: Amitti ergò hæc poſſunt, ſalvo dominio ex parte Regis, ſalvo obſequio & fidelitatis vinculo ex parte ſubditorum. *Generale pactum eſt humanæ ſocietatis, obedire*

Gerſon, part. 3.

obedire Regibus, inquit Augustinus: non adjunxit, nec subintelligi voluit, *Tantisper dum à juramento fidelitatis Pontifex Romanus eos absolverit.* Imò sit malus, sit hæreticus, sit apostata: *Rex semper honorandus, si non propter se, at tamen propter ordinem.* August. quæst. vet. & nov. Test. quæst. 35. Nam *qui regnum dedit Constantino Christiano, ipse dedit apostatæ Juliano,* August. de Civit. Dei, lib. 5. cap. 21.

Secundò, Ut jus divinum mittamus, jure humano & Ecclesiastico tenentur subditi Regibus suis obedire & succurrere, si opus sit, non obstante excommunicationis censurâ. Rectè Suares, *Si excommunicatus nostrâ ope, auxilio, aut defensione indigeat, nè grave damnum aut injuriam patiatur, aut in corpore, aut in fama, aut in temporalibus bonis, illi possumus subvenire. Quod adeò verum est, ut juxta receptam doctorum sententiam, si quis Clericum excommunicatum percutere aggrediatur, & alius, cùm commodè possit, illi non subveniat, seu nocumentum non impediat, in excommunicationem incurrere censeatur.* Hæc ille. In causa Regis excommunicati (præsertim cùm huic censuræ privationem dominii insuper adjungit Pontifex Romanus) hæc omnia concurrunt: Periclitatur de bonis temporalibus, de fama, de vita: maximè tum indiget defensione subditorum. Si igitur Principem suum pro viribus non defendant, multò graviore anathemate digni sunt, quia Domino suo, & Uncto Domini, cùm possunt, non propulsant injuriam, quàm si excommunicatum aliquem sacrificulum percuti, spoliari, aut interfici paterentur.

De Censuris, d. sp. 15. sect. 3.

Tertiò, Quando inter ipsos Canonistas agitatur hæc quæstio, *Utrùm excusentur vasalli dominis excommunicatis communicantes,* agnoscunt hac in re Doctores dubios pendere, & in diversas sententias secedere. Prima est negantium, secunda ambigentium, tertia distinguentium; scilicet quòd dominos suos vitare tenentur quando aggravatur sententia, & præcipitur nè obediant; secùs verò excusantur illis communicantes. Sylvester ipse sic dirimit controversiam: Dicit dominos excommunicatos non posse agere, vasallos tamen teneri ad debita reddenda, & in hoc licitè communicare dominis suis, etiam ea solvendo in propria persona. Si ergò valeant illa Theologorum pronuntiata, *Inter opiniones dubias semper eligenda est tutior, Rationabiliter in dubiis favorabiliori parti semper adhærescendum est;* tum profectò Regi communicandum & adhærescendum est, quicquid Pontifex Romanus irâ aut odio in Regem percitus, decreverit in contrarium. Sed huc etiam accedit & illud, quòd, patentibus Pontificiis, ob vitandum grave detrimentum quod moraliter timetur per externam coactionem, fieri potest absque peccato id quod per censuram Ecclesiasticam prohibetur. Non enim obligat cum tanto rigore, ut cum periculo mortis, damni, aut gravis infamiæ servanda sit. Jam quis tam cæcus, ut non videat hæc omnia mala

Sylvest. Titulo Excommunicatio, sect. 5.

Ibid.

Miranda. apolog.

Suares de Censuris disp. 6. sect. 5.

subditis

ſubditis immittere, ſi Regibus excommunicatis communicare recuſent, in rebus ſaltem civilibus & politicis? Periclitatur enim, ſi id facere detrectent, illorum fama, dum rebelles judicabuntur periclitantur bona, dum ob rebellionem fiſco addicentur: periclitatur vita, dum ob proditionem capite plectentur. Tanti támque multiplicis damni metus ex parte populi planè enervat omnem obligationem cenſuræ Pontificiæ, quantumvis ex parte Regis juſta habeatur.

Poſtremò, (quod rem extra dubium ponit) dico Regem non poſſe à Pontifice excommunicari, illâ excommunicatione quæ major vocatur, & idem cum anathemate reputatur. Minor autem excommunicatio, ſeu à ſacris abſtentio, nunquam tranſit in tertiam perſonam: Nam excommunicatis hac minore excommunicatione participantes nullam ſententiam indè incurrunt, vel peccatum. Sic Sylveſter, ſic omnes Theologi & Canoniſtæ. In additionibus ad Aquinatem citatur Gloſſa Auguſtini in Matth. 13. quæ dicit, quòd Princeps & multitudo non eſt excommunicanda. Radulphus Ardens docet hanc excommunicationis majoris ſententiam ferri poſſe in privatas perſonas, ſed non in Principes. At quid fiet, Pontifice in caput Regis talem ſententiam detonante? Tanquam impia, & ipſo jure nulla, ſecurè contémnetur. Nam (ut litem haud intendamus Pontifici de ſua in ſpiritualibus monarchia) in temporalibus conſtat, *Reges eſſe in ſuis regnis ſolo Deo minores*, ut loquitur Tertullianus: Non poteſt ergò Regem aut imperio ſuo in temporalibus, aut ſubditorum obſequio, per excommunicationem ſpoliare: Quia temporalibus privare, eſt temporalis poteſtatis actus; quia Regem privare temporalibus, eſt ſuperioris poteſtatis actus: At Pontifex nec temporalem exercet poteſtatem in excommunicando, nec Rege ſuperior eſt in pœnis temporalibus infligendis. Concludimus, ſententiam excommunicationis in Reges latam non tollere illam civilem communicationem quæ eſſe debet inter eos & ſubditos ſuos; quia fertur contra tenorem Regalis privilegii, contra intentionem Chriſti, qui delegavit Sacerdotibus hanc poteſtatem excommunicandi: quia denique continet multos intolerabiles errores contra leges divinas & humanas.

Quæſt. 22. artic. 5.

Homil. in dominic. 1. poſt Paſch.

Ad Scapulam.

Vide Sylveſt. Tit. Excommunicatio, *ſect. 2.*

Quæſtio XLIX.

Non datur omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem.

AD ſenſum quæſtionis quod attinet, Is judicatur ſufficienti auxilio ad ſalutem inſtructus, qui Dei dono obtinuit eam gratiam ſupernaturalem cujus ope poſſit liberè operari omnia quæ ad conſequendam ſalutem requiruntur: qualia ſunt, ad Deum ſe convertere, in Chriſtum credere, reliquáque ſine quibus nulla ſalus aut parabilis aut ſperabilis miſeris peccatoribus. Porrò, nè nimis arctare videamur ſufficientem Dei gratiam, fatemur eos qui nondum conſecuti ſunt tale auxilium quo poſſint immediatè ea facere quæ commemoravimus, dici tamen oportere ſufficienti auxilio donatos, ſi acceperint vel illud auxilium ſupernaturale, quo mediante ſit penes eos liberè aliquid operari, unde juxta legem à Deo poſitam prædicta omnia certò & infallibiliter conſequantur. Qui neutrum obtinuerint, eos conſtat nec proximè nec remotè, nec mediatè nec immediatè auxilium ſufficiens ad ſalutem accepiſſe. Denique, & illud obſervetis velim, Nos in hac theſi noſtra haud inficias ire, In cauſis univerſalibus à Deo inſtitutis (quales ſunt, mors Chriſti, prædicatio Evangelii, inſtitutio Sacramentorum) reconditum eſſe theſaurum gratiæ in ſe ſufficientis ad ſalutem omnium; ſed illud ſolummodo defendere, Deum neque teneri, ut ex hoc theſauro ſufficientem gratiam impertiat omnibus & ſingulis mortalibus; neque per providentiam ſuam de facto procurare ut ea omnibus impertiatur. Hiſce prælibatis, veritatem ſententiæ noſtræ demonſtrare conabimur, Primò, in Paganorum infantibus: Secundò, in ipſis Paganis, qui ad ætatem adultam pervenerunt: Tertiò, in aliquibus, qui intra Eccleſiæ ſepta vivunt, non ſunt tamen viva membra Eccleſiæ, ſed *habent ſe ad Eccleſiam, ut mali humores ad corpus*, utì loquitur ipſe Bellarminus.

De Eccleſ. Milit. 3. 2.

1 Ordiamur ab infantibus Paganorum, de quibus (reſervatis tamen Deo arcanis ſuis) ex catholicæ Eccleſiæ ſententia pronunciare

ciare possumus, eos ordinariè supernaturali & salutiferâ gratiâ esse destitutos. Neque enim solummodo nascuntur *filii iræ*, sed à fœdere gratiæ prorsus alieni, & hâc ratione *immundi* censentur, & damnabili originalis peccati reatu constricti moriuntur. Huc facit illud Prosperi, *Parvuli nullas adhuc habentes proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur, alii siquidem assumuntur hæredes, alii transeunt debitores.* Quibus hoc debitum originale non fuit relaxatum, illis neque auxilium sufficiens ad salutem obtinendam fuit communicatum. Ipsi Pontificii, qui acerrimè pro hac universali gratia pugnare solent, hîc tamen labascunt, & ultro nobis largiuntur, Parvulos Paganorum filios, qui moriuntur cum solo peccato originali, nihil auxilii supernaturalis recepisse in seipsis. Sic Bannesius. Vasques etiam hoc argumento persuasus ingenuè fatetur, aliquibus infantibus media ad salutem sufficientia à Deo nec data, nec provisa fuisse. Si quis hîc obtendat, gratiam sufficientem fuisse prædictis infantibus in Adamo, aut in majoribus suis quibuscunque olim provisam & datam, atque ob eorum demerita fuisse illis jam denegatam; is prorsus aberrat à scopo quæstionis. Neque enim quæritur, utrùm gratia salutifera hisce infantibus denegetur nullâ causâ demeritoriâ interveniente, quod nemo asserit; sed utrùm negetur nécne: Si vel unus ex infantibus sit, cui in propria persona Deus non dederit gratiam sufficientem ad salutem, nos vincimus, & causâ cadunt adversarii.

Ephes. 2. 3.
1. Cor. 7. 14.
Epist. ad August. de Reliq. Pelag.
Bannesius, in 1. quæst. 23.
Vasques disp. 96. in 1. part. Summæ Aquin.

Ab *infantibus* ad *adultos* Paganos transeamus; quos auxilium sufficiens ad salutem nemo dixerit accepisse, nisi acceperint quicquid necessarium est ad volendum & operandum ea sine quibus salus obtineri nequit. Quæro igitur quomodo sufficienti auxilio instructi sint ad verè pœnitendum, qui se in peccatis suis mortuos esse (qui est primus gradus ad pœnitentiam) nè per somnium quidem cogitârunt: Quomodo ad credendum in Christum Mediatorem, qui utrùm sit talis Mediator nécne, nondum vel famâ & auditione acceperunt: Urgeo etiam illud Paulinum, *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, de quo non audierint?* Quod si quis gratiam salutiferam, tamque sufficientem absque Christo hisce Paganis datam asserat, audiat quid ei insusurret Augustinus, *Qui cuiquam salutem promittit sine Christo, nescio utrùm ipse salutem habere possit in Christo.* Dicent adversarii, Tales revera non habere auxilium sufficiens proximè & in actu ad credendum, & salutem acquirendam; habere tamen remotè & in potentia; quatenus habent in sua potestate aliquid facere, quod si fecerint, cognitionem Christi, fidem in Christum, ipsamque salutem indubiè consequentur. Dent ergò clarè explicatum, quid hoc tandem sit quod Paganus quilibet, sedens in tenebris & umbra mortis, jacens sub misera servitute peccati & Diaboli, possit pro libero suo arbitrio operari, unde infallibiliter

2.
Rom. 10. 14.
De verbis Apost. Serm. 14.

liter Evangelium, fidem, & salutem à Deo obtineat; nos herbam illis porrigemus, & gratiam æquè latè patere ac naturam agnoscemus. Sed hîc miserè perplexantur, dum ad miseras naturæ reliquias se recipere, & ex illarum bono usu gratiam salutiferam, tanquam ex pûmice aquam, exprimere conantur. *Si Paganus quivis* (inquiunt isti) *fecerit quod in se est, si lumine naturæ rectè aut saltem minùs malè utatur, Deus ei revelabit Christum, ac largietur gratiam, ac fidem, cæteráque omnia ad salutem necessaria.* Verùm hæc facilè refelluntur, atque imprimis ipsâ experientiâ. Proferant ab orbe condito vel unius Pagani exemplum, qui cognitione Christi, & luce Verbi divini prorsus destitutus, bono usu naturalium hanc gratiam salutiferam ad se pertraxerit. Hoc cùm fecerint, bono jure expungunt illud Paulinum, *Vocavit nos vocatione sanctâ, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia.* Talis etenim Paganus ex suis operibus ad participationem gratiæ salutiferæ vocatus verè dicatur. Deum autem non uti hâc regulâ in gratiæ Evangelicæ dispensatione observavit Apostolus, 1. Cor. 6. 11. Ephes. 2. primis decem versiculis, & alibi passim in Epistolis suis. Observavit etiam August. de pecc. mer. & remiss. lib. 1. cap. 22. Verissimè Alvares, cujus est hæc conclusio, *Nulla lex fuit unquam statuta de dando auxilio gratiæ facientibus totum quod in se est ex facultate naturæ; neque Christus morte suâ meruit, aut mereri voluit talem legem.* Verùm sumatur, Deum legem sibi dixisse, quâ teneatur dare gratiam suam libero arbitrio & lumine naturali bene utentibus, ac gratiæ suæ obicem nullum opponentibus: Quis unquam potuit bene uti libero arbitrio, per Filium Dei nondum liberatus? Quis in media corruptione potuit alii domino quàm corruptori suo, id est, Diabolo, inservire? Quis denique potuit non perpetuos peccatorum suorum obices divinæ gratiæ opponere? *Quamdiu fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.* Hæc est conditio omnium Paganorum, quibus Christus non affulsit. Volutantur in peccatis, alii subtilioribus, alii crassioribus; sed omnes vivunt *secundum seculum mundi hujus*, omnes parent *Principi cui potestas est aëris.* Non est itaque somniandum, quenquam istorum posse bono usu naturalium gratuita bona ad se, sive ex pacto, sive ex congruo, pertrahere. Ob hunc ipsum errorem Pelagiani olim anathema meruerunt: *Pelagianis non immeritò anathema dicimus* (inquit Augustinus) *qui sunt inimici sunt gratiæ Dei quæ venit per Christum Dominum nostrum, ut eam dicant non gratis, sed secundum meritæ nostra dari: tantámque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum decidit sua est homo, ut eo bene utendo dicant hominem mereri gratiam, cùm nemo bene illo uti possit nisi per gratiam, quæ Deo gratis miserante donatur.* Satis hoc argumentum versavimus.

Aliud desumi potest ab ipsa rei æquitate. In omnibus siquidem Paganis Deus satis justam causam conspicit, cur ab illis influxum

2. Tim. 1. 9.

Disp. 56. pag. 251.

Luc. 11. 11.

Ephes. 2. 2.

Cont. 2. Epist. Pelag. lib. 1. cap. ultimo.

fluxum gratiæ ſuæ perpetuò inhibeat. Nam ut de actualibus illorum peccatis nihil dicam, intuetur eos univerſos originalis peccati contagione & reatu involutos. Nulla autem promiſſione tenetur de gratia illis omnibus & ſingulis indulgenda. Quid igitur cauſæ dicere poteſt quilibet Paganorum patronus, cur Deo liberum non ſit eos quos voluerit omni ſupernaturali gratiâ deſtitutos relinquere? In illis ſiquidem quæ pendent ex libera Dei voluntate, ſolet Deus tam negando gratiam ſuam oſtendere quid illi liceat ex *juſtitia*, quàm conferendo eandem gratiam indicare quid illi complacitum ſit facere ex *miſericordia*. Palàm exercuit Deus hanc libertatem ſuam, quando per multa ſecula paſſus eſt gentes in tenebris & morte jacere, atque (ut loquar cum doctiſſimo Patre) *extra gratiam ſuam degere*. Quia igitur ex parte Dei nulla eſt obligatio ad dandam gratiam cuiquam, & ex parte hominum ſemper reperitur cauſa demeritoria nè detur, ipſe Bellarminus non dubitat affirmare, Nullam iniquitatem fore in Deo, etiamſi aliquibus, imò omnibus hominibus auxilium ſufficiens ad ſalutem negaret. Sed Thomas longiùs progreditur, & agnoſcit auxilium gratiæ divinæ quibuſdam hominibus non dari, in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis. Si quis auſit hac de re cum Deo argutari, nos cum Apoſtolo ab eo quæremus, Quis prior dedit Deo, ut quaſi ex lege teneatur illi retribuere? aut, Quis vetabit Deum nè miſereatur cujus vult, & cujus non vult, non miſereatur?

Ultimò, perpendamus qualis ſit ea gratia, quam hominibus abſque Chriſto viventibus, ab Eccleſia alienis, à pactis promiſſionis extraneis, ſpem non habentibus, promiſcuè datam defendunt; & facilè patebit non poſſe dici auxilium ſufficiens ad ſalutem. Sit mentis illuminatrix, ſit voluntatis monitrix, ſit excitatrix liberi arbitrii ad bonos aliquos actus; tamen, vel ipſis adverſariis fatentibus, non eſt bonæ voluntatis creatrix; quod eſt gratiæ Chriſti proprium inſigne, ut multis in locis docuit Auguſtinus. Quis igitur audet aſſerere illam gratiam eſſe ſufficientem ad convertendum & ſervandum peccatorem, quæ proprio *Gratia Chriſti* dici nequeat, quæ abſque fide & bona voluntate conſiſtit, quæ nec regenerat homines, nec bonos à malis ipſâ donatione diſcernit? Quid, quod contra Pelagianos definitum eſt, *Gratiam Dei non dari omnibus hominibus*, nonne apertè evincit, hanc univerſalem gratiam, quam omnibus hominibus datam defendunt, non eſſe gratiam Dei appellandam, atque idcirco ad humanam ſalutem non ſufficere?

Sed miſſis Paganis, diſpiciamus pauliſper, an omnibus, qui externâ profeſſione adhærent Eccleſiæ, detur auxilium ſufficiens ad ſalutem. Hîc autem præmoneo, non eſſe controverſiam nullam de ſufficienti gratia in Adamo omnibus ejus poſteris quaſi donata, neque de ſufficientia gratiæ in Chriſto. Chriſti quid enim incluſæ;

Proſp. ad cap. Gall. Sententiâ ſuper object. decima.

De Grat. & lib. Arb. l. 4.

2. 2. quæſt. 2. art. 5. Reſp. ad 1.

Rom. 11. 35. & 9. 18.

Ephes. 2. 12, 13.

Vide Auguſt. lib. de grat. Chriſti.

Auguſt. Epiſt. 107.

3.

inclusæ; neque de sufficientia divinæ administrationis, ad Deum ab omni injustitiæ specie vindicandum, hominesque impios ab omni justa excusatione arcendos: sed hæc omnibus in confesso positis, id unum quæritur, an sufficiens gratia, non ad actum quemcunque supernaturalem, sed ad actum fidei salutiferæ producendum, & salutem eam operandam, omnibus & singulis personis in Ecclesia externa viventibus communicetur. Tale auxilium non esse commune omnium, hisce rationibus suadetur.

Deuter. 29. 4.

Primò, Scripturæ videntur reclamare. De quibusdam in Israelitica Ecclesia viventibus pronunciant; *Jehova non dedit eis cor ad intelligendum, nec oculos ad videndum, nec aures ad audiendum.* De Phariſæis ſic loquitur ipſe Chriſtus, *Non eſt datum vobis nôsse mysteria regni cœlorum.* Unde autem homines naturâ cæci, duri, & incredduli, cor molle & fidele habere poſſunt, ſi cœlitus ab eo non detur, à quo

Matth. 13. 11.

Jac. 1. 17.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum eſt, descendens à Patre luminum.

Præclarè Auguſtinus, *Fides inchoata & perfecta donum Dei eſt; & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare.* Sed dicent, Omnes in Eccleſia viventes, ſaltem ſub hac conditione, *ſi ipſi voluerint*, poſſe à Deo accipere cor intelligens, molle, & fidele. Hoc perinde eſt, ac ſi dicerent, omnes poſſe à Deo accipere bonam voluntatem, ſi eam habeant antequam acceperint. Aliter nos docuit ipſe Chriſtus; *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Aliter Apoſtolus, *Deus eſt qui dat nobis & velle & perficere.* Aliter doctiſſimus Fulgentius; *Deus qui voluntatem præparat, ipſe eam donat. Quam ſi Deus per ſuam gratiam homini non dederit, nunquam poteſt homo in Deum velle credere.* Frustrà igitur ſuſpendunt fidei habendæ poſſibilitatem à conditione humanæ voluntatis ante fidem acceptam Deo ſefe ſubjicientis, cùm Deo parere, & Bonum velle exercere, ſit non datæ fidei conditio, ſed jam datæ fidei probatio.

Joann. 6. 44.

Phil. 2. 13.

De verit. prædeſt. lib. 1.

Secundò, Specialis Dei miſericordia, in Scripturis tantopere celebrata, univerſalis gratiæ Patronos refellit. Nam illud imprimis obſervandum eſt, quo fine hanc univerſalem gratiam ſtabilire conentur; nimirum, ut fidem faciant hominibus, Deum nullius converſionem & ſalutem ex ſpeciali miſericordia præciſè intendere, ſed eâ lege hanc ſufficientem gratiam omnibus adminiſtrare, ut efficacia gratiæ & ſalutis à libero unuſcujuſque arbitrio deinceps dependeat. Si hanc ſententiam amplexemur, ruit illud Paulinum, *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei, non Dei cujus vult miſeretur, & quem vult indurat:* Ruit illud Auguſtini, *Nam poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtrà illius miſereatur Deus, ſi homo nolit.* Uno verbo, ex hac ſententia, in ipſa gratiæ adminiſtratione non magis Deus miſerentis ſervatorum, quàm perditorum ſed ſervari

Rom. 9. 16, 18.

Lib. 1. ad Simp. queſt 11.

vati meliùs utendo gratiâ ſufficiente, quàm perditi, eam per liberum ſuum arbitrium ſibi efficacem reddiderunt.

Denique, hujus ſententiæ autores innumera alia incommoda coguntur admittere, quæ fides catholica non admittit. Primò, Deum in efficacis gratiæ donatione expectare humanas voluntates, & ab illis dependere. Secundò, Ipſam Chriſti gratiam, quæ revera facit ut faciamus, ex iſtorum ſententia, ſub conditione tantùm agit; facit nimirum ſi nos facere velimus. Tertiò, Maximam gloriandi anſam relinquit hominibus etiam irregenitis; dum, quod minus eſt, Deo tribuit, ſufficientis gratiæ ſubminiſtrationem; quod majus eſt, illorum arbitrio relinquit, efficacem nempe eorundem converſionem. Facile eſſet multò plura congerere; ſed nolo tumultuariâ hac meâ operâ vobis tædium creare.

FINIS.

Quæstio L.

Ecclesia Romana injustè calicem Laicis ademit.

TRidentini Patres eos omnes anathemate suo feriunt, qui negant Ecclesiam Romanam justis rationibus adductam, benedictum calicem Laicis ademisse. Nos bruta hæc fulmina haud pertimescimus; ac, non obstante istorum decreto, hoc ab Ecclesiasticis Prælatis injustè, impiè, & sacrilegè factum, justis rationibus firmísque argumentis inducti, intrepidè affirmamus.

Argum. 1. Ab institutione Christi.

Prima ratio (quam Pontificii Achillem nostrum, neque id injuriâ, vocare solent) petitur ab institutione Domini nostri Jesu Christi, qui solus habet claves excellentiæ, &, pro omnipotente sua potestate, elementis visibilibus & signis corporalibus invisibilem & spiritualem gratiam per modum *pacti* annectit. Jam verò hic supremus Ecclesiæ & Sacramentorum Dominus sacram cœnam sub duplici specie instituit, sub duplici administravit, sub duplici perpetuò administrandam sanxit, tam *instituto* quàm *exemplo*. Expressa ejus verba habemus apud tres Evangelistas; quæ seriò considerata vim legis obtinebunt apud omnes pios & morigeros Christianos, sive in Sacerdotum sive in Laicorum ordine censeantur. De calice (de quo solo nunc quæritur) sic Matthæus; *Accepit calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes.* Matt. 26. 27. Marcus in eandem sententiam; *Accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes.* Marc. 14. 23. Lucas denique, post distributionem benedicti panis, protinus addit; *Similiter & calicem, dicens, Hic est calix novi Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Luc. 22. 20. Quibus verbis clarè indicat, sanguinem in calice effusum ad eosdem pertinere, ac quos sanguis in cruce effundendus pertinet. Hoc argumentum ab institutione & praxi ipsius instituentis, in eas angustias conjecit Romanenses, ut coacti fuerint concedere, sumptionem utriusque speciei necessariam esse ex parte Sacramenti, quòd institutum fuit sub duplici specie: sed cavillantur, non esse tamen necessariam ex parte omnium sumentium, sed sufficere ut ab aliquibus, scilicet Sacerdotibus, integrè sumatur. Sed seipsum de- *Bellarm. De Euch. lib. 4. cap. 23.*

ſtruit hæc Bellarminiana diſtinctio. Non enim Sacramenta inſtituuntur propter ſe; cùm ſint res corporales, rationis ac proinde gratiæ ſpiritualis quoad ſe incapaces: ſed propter homines rationis compotes, & gratiæ per Sacramenta participes. Cùm igitur ſumentium causâ fuerint inſtituta Sacramenta; quod ex parte Sacramenti eſt neceſſarium, habet hanc ſuam neceſſitatem in ordine ad eos omnes quibus jus eſt ad Sacramenta percipienda. Porrò, ipſa Chriſti verba, *Bibite ex hoc omnes*, ex parte Sumentium proferuntur, non ex parte Sacramenti; & reſpiciunt illos omnes pro quibus ſanguis Chriſti fundendus. Qui igitur cum Bellarmino excipere audet aliquos ritè accedentes à benedicti calicis participatione, eâdem operâ defendat eoſdem à beneficio fuſi ſanguinis excipiendos. Denique, cùm Pontificii fateantur, aliquos, ídque virtute inſtitutionis, teneri ad participationem ſub utraque ſpecie; tenentur ipſi oſtendere nobis duplicem cœnæ Dominicæ inſtitutionem: unam quæ neceſſariò obligat Sacerdotes ad utramque; aliam quæ præſcribit, aut ſaltem permittit Sacerdotibus, ut populum Dei univerſum à calice participando excludant. At unica ſolummodo & uniformis ſacroſanctæ Euchariſtiæ inſtitutio hactenus Eccleſiæ innotuit: quæ ſi vim habet obligatoriam, aut omnes ex æquo obligat, aut nullos. Qui igitur, non obſtante Chriſti inſtitutione, *aliquos* (nempe Laicos univerſos) excludunt à communione calicis, eodem jure hos *aliquos* excludere poſſunt à communione corporis: eóq; tandem res redibit, ut ſoli Sacerdotes participes eſſe teneantur cœnæ Dominicæ vi inſtitutionis; reliqui omnes ad eam admittantur ex favore & pro arbitrio Eccleſiaſticorum. Quod hîc obtendi ſolet, *Apoſtolos fuiſſe Sacerdotes, atque utramque ſpeciem accepiſſe quà Sacerdotes, non quà Fideles ſolùm*, frivolum eſt, & praxi Romanæ Eccleſiæ contrarium. Frivolum & vanum commentum: Quia calix eâdem ratione & reſpectu illis adminiſtratur quo panis antea fuit adminiſtratus: at panis non quà Sacerdotibus ſed quà Fidelibus datus fuit; quod agnoſcunt Papiſtæ, cùm panem non modò Laicis quibuſcunque, ſed etiam fœminis concedunt, quæ dignitatis Sacerdotalis ſunt prorſus incapaces. Sed contrarium etiam eſt hoc Bellarmini commentum Romanæ Eccleſiæ inſtituto ac conſuetudini receptæ. Nam ſi calix debeatur Sacerdotibus quà Sacerdotes ſunt; cur Clericis æquè ac Laicis denegatur, quando non ſunt conficientes? Apoſtoli in illa prima cœna, non erant Conficientes, ſed Recipientes tantúm: Chriſtus tamen ſub utraque ſpecie Euchariſtiam indicavit illis impertiendam. Papiſtæ autem, ut Chriſti inſtituto & exemplo in omnibus adverſentur, Laicos à plena & perfecta communione excludunt, eo prætextu quòd calix ad ſolos Sacerdotes ſpectet: mox & ipſos Sacerdotes excludunt, eo colore quòd virtute

Concil. Trid. ſeſſ. 21. (quæ eſt 3. ſub Pio IV.) cap. 2.

virtute institutionis necessariò spectet ad solum conficientem. Quod perinde est ac si dicerent, Quod nos volumus, ubique erit pro instituto Christi. Non sic animati fuerunt sancti Patres, quibus solitum est, formam administrationis in prima cœna ab ipso Christo institutam & observatam, loco regulæ, legis, sive inviolabilis mandati habere, & in omnibus quæ ad Sacramenti hujus essentiam pertinent religiosè observare. Antiquissimus Pater Justinus Martyr describens Dominicæ cœnæ celebrationem, narrat tam vinum quàm panem unicuique communicantium distributum, nullo discrimine Sacerdos fuerit aut non Sacerdos, modò baptizatus, vitæ integræ, & orthodoxæ fidei cultor fuerit. Atque eodem in loco (quod nostro proposito inservit) hoc factum dicit, quia Evangelistæ οὕτω παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, *ità tradiderunt præcepisse sibi Jesum.* Christi igitur institutionem & praxin ab Evangelistis consignatam, non nudæ narrationis sed confirmatæ legis vim habere indicavit. Sanctissimus Cyprianus in eadem fuit sententia; qui passim appellat Christi institutum & factum, *præceptum, mandatum, magisterium Ecclesiæ.* Audiamus ipsum loquentem: *Ab eo quod Christus præcepit & gessit, non debemus humanâ & novellâ institutione decedere. —Non observatur à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit nos quoque faciamus. —Si in lumine Christi ambulare volumus, à præceptis ejus non recedamus. —In sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est: id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit.* At Christus mandavit, *Bibite ex hoc omnes:* Hoc utique faciendum ab omnibus qui hanc cœnam Dominicam celebrant. Obducit Bellarminus, Cyprianum in illa epistola contra Aquarios pugnare, qui meram aquam populo bibendam loco vini obtrudebant: ad Pontificios autem, qui calicem omnino adimunt, non aquam ingerunt, nihil illorum quæ à Cypriano urgentur pertinere. Sed non potest ità elabi Bellarminus: nam utcunque contra Aquarios ea in epistola egit Cyprianus, argumenta tamen ejus quæ à Christi institutione mandatoria petuntur, tam Papistas quàm Aquarios refellunt. Illi rei aguntur violatæ institutionis, quia contra exemplum & magisterium Christi, loco vini benedicti cum aqua (ut putabat Cyprianus) miscendi, meram aquam fidelibus obtrudebant: hi non minore reatu constringuntur, quia contra illud idem Christi præceptum & exemplum, loco panis & vini in hoc Sacramento administrandi, solum panem populo dispensant, vinum penitus auferunt.

Apolog. 2. prope finem.

Epist. lib. 2. epist. 3.

Argum. 2. Ab Apostolorum & antiquæ Ecclesiæ praxi.

Post institutionis formam ab ipso Christo usurpatam, stabilitam, ac loco regulæ sive legis perpetuæ nobis commendatam, Ecclesiæ Apostolicæ ac primitivæ religiosa praxis, Christi instituto & exemplo ad amussim conformis, secundum argumentum

nobis ſuppeditabit. Nam quod Chriſto præſcribente & præeunte ipſi Apoſtoli retinendum & ſequendum duxerunt, quod Eccleſia Catholica ſupra mille annos ſanctè obſervavit, id Conſtantienſis aut Tridentini alicujus Concilii autoritate non potuit mutari, non debuit violari. At certiſſimum eſt, per multas annorum centurias, in publica & ſolenni Euchariſtiæ celebratione, calicem nunquam fuiſſe Laicis denegatum. Atque hoc non in Eccleſia ſolummodo Orientali, ſed in Occidentali, atque in ipſa Romana generaliter obtinuit. Pro Apoſtolis loquatur Paulus, quid à Chriſto acceperit, quid Eccleſiis obſervandum tradiderit, quod ſpectat ad hanc cœnam Dominicam ritè celebrandam. Inter cætera, calicem benedictionis non minùs quàm panem benedictum omnibus offerri, & ab omnibus fidelibus bibi oportere oſtendit. Nam de fidelibus in genere loquitur, cùm dicit, *Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.* De fidelibus, non de ſolis Sacerdotibus loquitur, cùm dicit ſe eandem formam Communionis tradidiſſe Corinthiis quam ab ipſo Chriſto accepit. Poſtremò, de omnibus fidelibus loquitur, cùm dicit quoſdam à Deo punitos quòd indignè tam de calice bibiſſent quàm de pane manducâſſent. Quæ omnia convincunt Euchariſtiam ſub utraque ſpecie fuiſſe omnibus fidelibus ex æquo communicatam in Eccleſia Corinthiaca.

Vide 1. *ad Cor. cap.* 10. *verſ.* 16, *&* 21. *Et cap.* 11. *verſ.* 23, *&c. uſque ad* 30.

Sed reſpondent quidam Pontificii (nam ſanioribus id diſplicet) hunc morem obtinuiſſe in Eccleſia Corinthiaca, ſed in Eccleſia Hieroſolymitana aliter factum. Opponunt igitur Jacobum ſub una ſpecie adminiſtrantem, Paulo utramque Corinthiis diſpenſanti. Nituntur autem quodam teſtimonio, in quo *fractio panis* tantùm commemoratur, nullâ calicis diſpenſati factâ mentione. Videtur ergò Jacobus ſub una tantùm panis ſpecie cœnam Dominicam in Eccleſia, cui præfuit, Hieroſolymitana adminiſtrâſſe.

Cajet. in 3. *Aquin. qu.* 80. *art.* 12.

Act. 2. 42, 46.

Imò non videtur, nè ipſis quidem Pontificiis, qui nobis Jacobi Liturgiam exhibuerunt: nam in ea clara mentio tam *calicis* quàm *panis* populo exhibiti. Sed nec illud conſtat inter Pontificios, utrùm prædicta verba ad panem Sacramentalem an ad panem Communem ſint referenda. Gloſſa interlinearis rem ſub dubio relinquit; Lyranus ad utrumque accommodat. Si concedamus (quod tamen non eſt adeò veriſimile) locum illum de ſacra cœna intelligi oportere; in promptu tamen reſponſio eſt: Sicuti in communi convivio ſub *panis* nomine Scriptura complectitur, per Synecdochen, id omne quod ad perfectam corporalem refectionem eſt neceſſarium; ità in hoc cœleſti convivio, id omne quod ad perfectam Sacramentalem refectionem eſt neceſſarium. Si Synecdochen in prædictis verbis admittant, periit tota vis argumenti: Si non admittant, ſequetur, non modò fideles Laicos, ſed ipſos Conficientes ſub una

Biblioth. Patr. tom. 1. *pag.* 19.

Gen. 43. 25.

ſpecie

ſpecie celebrâſſe & communicâſſe: quod Papiſtis ipſis ſacrilegii crimen eſt. Quinetiam ipſi Patres, qui hunc locum de coena Dominica interpretantur, nè per ſomnium quidem indè colligere voluerunt, Euchariſtiam fuiſſe tunc temporis ſub ſola ſpecie panis uſitatam: quod argumento eſt, illos ſub *panis* vocabulo integram Euchariſtiæ diſpenſationem, tam in bibendo quàm in manducando, ſitam intellexiſſe. Quid quòd fatentes habemus doctiſſimos Pontificios, ſiccam hanc populi fidelis communionem Antiquitati prorſus fuiſſe ignotam? Alfonſus à Caſtro; *Non eſt contra Evangelicam inſtitutionem, Euchariſtiam ſub utraq; ſpecie Laicis porrigere. Nam olim per multa ſecula ſic apud omnes Catholicos uſitatum eſſe ex multorum ſanctorum ſcriptis dicimus.* Caſſander, *Non puto demonſtrari poſſe, tetis mille ampliùs annis, in ulla Catholicæ Eccleſiæ parte ſacroſanctum hoc Euchariſtiæ Sacramentum aliter in ſacra Synaxi è meuſa Dominicâ fideli populo, quàm ſub utreque panis vinique ſymbolo, adminiſtratum fuiſſe.* Ipſum Concilium Conſtantienſe hoc agnoſcit: Cui obſtare non potuit quòd Chriſtus & primitiva Eccleſia ſub utraque ſpecie Euchariſtiam adminiſtravit: non potuit tamen non conſtare, quod ex ipſo canone manifeſtum eſt. Denique Joannes Baptiſta de Rubeis, in novo ſuo Rationali, hanc ingenuam edidit confeſſionem; *In Primitiva Eccleſia quotidie fideles omnes qualibet die corpore & ſanguine Chriſti communicârunt: & hoc patet ex ipſis Collectis quæ in vetuſtis populi recitantur.* Si *apud omnes Catholicos*, quod fatetur Alfonſus; ſi *tetis mille amplius annis*, quod affirmat Caſſander; ſi *quotidie omnibus fidelibus communio ſub utraque ſpecie conceſſa fuerit*, quod agnoſcit Baptiſta: perfrictâ fronte & pertusâ fide ſunt illi Papiſtæ, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam, Jacobi autoritate nixam, ſub una tantùm ſpecie Euchariſtiam fidelibus miniſtrâſſe deblaterant. Utcunque hæc clara ſunt, atque in confeſſo apud Pontificios Eccleſiaſticæ antiquitatis non ignaros, è modernis tamen nonnulli hoc argumentum à conſtanti praxi Apoſtolorum & priſcæ Eccleſiæ nobis eripere tentârunt, ſed conatu irrito.

Tit. Euchar. *pag.* 441.

Conſult. De ſacr. comm. ſub utraq; ſpecie, pag. 1027.

Lib. 2. *cap.* 8. *pag.* 49.

Primo in loco invaluiſſe dicunt, etiam apud priſcos Eccleſiæ Patres, ritum quendam aſſervandi & recondendi benedictam Euchariſtiam, etiam permittendi Laicis ut eandem domum auferre poſſent: Hoſce autem ritus in ſolo pane locum habuiſſe contendunt, propter pericula quædam quæ vino conſecrato in hac aſſervatione aut deportatione contingere potuerunt. Ad aſſervationem quod attinet, dum pro ea pugnat Baronius, hoc Papiſtarum argumentum prorſus expugnat. Sic enim ille, Annalium quinto; *Videmus ſacratiſſimam Euchariſtiam non ſub ſpecie panis tantùm, ſed etiam ſub ſpecie vini olim conſuevisſe reconditi.* Quod ſpectat ad ejuſdem Euchariſtiæ in domos privatas deportationem, Juſtinus Martyr docet tum *vinum* quàm *panem* ad

Ad annum 407. *pag.* 212.

Apolog. 2.

ægrotantium domos delatum, iiſque fuiſſe adminiſtratum. Gorgoniam non *corporis* tantùm ſed *ſanguinis* Domini antitypa domi ſuæ habuiſſe recondita teſtatur Nazianzenus. Sed fac in hiſce & hujuſmodi caſibus irrepſiſſe conſuetudinem aſſervandi aut adminiſtrandi Euchariſtiam ſub unica tantùm ſpecie; nunquid indè concludent Papiſtæ, calicem in publica & ſolenni cœnæ Dominicæ celebratione juſtè fuiſſe ademptum Laicis univerſis? Inſulſum profectò eſt, & tam à ratione quàm religione alienum, ad Lesbiam privatarum conſuetudinum regulam Dominicæ inſtitutionis legem & praxin Apoſtolicam incurvare. Conſuetudines aliquam vim habere poſſunt ubi lex deficit, aut ſaltem non officit & adversâ fronte repugnat: Sed propter conſuetudines temere introductas legem abrogare, iniquiſſimum eſt.

Orat. funebr. in laud. Gorgoniæ.

Secundò, Communionem ſub una tantùm ſpecie fuiſſe ab antiquis Patribus approbatam demonſtrare ſatagunt, cùm ab illa communione Laica quam pœnæ loco Sacerdotibus impoſitam legimus, tum ab infantium communione, quam Auguſtini ſeculo in uſu fuiſſe notiſſimum eſt. Sed utrinque claudicat hæc argumentatio. Nam Laica hæc communio, cujus mentio in Pontificum literis crebrò occurrit, non fuit (ut illi falsò opinantur) communio ſicca adempto calice; ſed communio extra cancellos ſive chorum inter Laicos, quod in pœnam admiſſi alicujus delicti Clericis imponi ſolebat. Nam *Sacerdotes & Levitæ ante altare communicabant, in choro Clerus, extra chorum populus.* Sed omnes etiam Laicos illis ſeculis ſub utraque ſpecie communicâſſe antea oſtendimus, idq; ex ipſorum Pontificiorum confeſſione. Porrò, ſi pœnæ loco hoc Sacerdotibus injunctum fuit, cur ad eam Sacerdotes & Clericos univerſos non-conficientes nullo præcedente delicto jam adegerunt? Imò, quâ fronte defendunt communionem ſub una ſpecie fuiſſe Sacerdotibus pœnalem, qui magnis clamoribus contendunt, *Non majorem utilitatem ſumi ex communione ſub utraque ſpecie quàm ſub una; Nihil ſpiritualis fructûs capi ex duabus ſpeciebus quod non capiatur ex una: Utiliorem eſſe populo Chriſtiano communionem ſub ſpecie panis tantùm, quàm ſub utraque ſpecie?* En gravem pœnam! quæ tantum abeſt ut privet Sacerdotes bono aliquo utili & deſiderabili (quod omni pœnæ convenire debet) ut eos adigat ad utiliorem communicandi rationem, & (ſi Papiſtis credimus) ad exprimendam reverentiam Euchariſtiæ debitam, multò magis accommodatam. Sed pluribus haud opus eſt: nam falli illos omnes qui Laicam communionem *calicis ſubductionem* interpretantur, Pamelius, Lindanus, Tapperus, ipſe * Baronius indicavit.

Concil. Tolet. 1.

Bellarm. De Euch. lib. 4. cap. 23.

Cajet. in 3. Aquin. qu. 80. art. 12.

**Tom. 3. ad annum 314. §. 88.*

Jam ad infantium communionem veniamus, quibus ſub una ſpecie adminiſtratam Euchariſtiam contendunt: atq; hinc Conſtantienſis

ſtantienſis & Tridentini Concilii canonem de calice Laicis univerſis adimendo, aliquid fulcimenti habere opinantur. Sed fruſtrà in mutilatæ Euchariſtiæ patrocinium adducunt hunc ritum, cui nec ipſi audent patrocinari; quia repugnat Apoſtolicæ regulæ, *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice illo bibat.* Unde iſta infantium communio (qualis qualis fuerit) jamdudum tam à Pontificiis quàm ab Orthodoxis fuit improbata & penitus rejecta. Huc accedit, quòd dum viguit mos dandi Euchariſtiam infantibus, non ſolum Panem nec ſolum Vinum, ſed utrumque illis impertiebant. Hoc patet ex epiſt. Auguſtini 23 & * 107 & * ex S. Hypognoſt. Patet etiam ex Indice expurgatorio, ubi ex Indicibus Frobenianis, & Annotationibus Eraſmi in Auguſtinum, hæc propoſitio delenda præcipitur, *Euchariſtia dabatur parvulis ſub utraque ſpecie.* Si igitur priſci Patres nè ipſis quidem fidelium infantibus dimidiatum Sacramentum præbere voluerunt, quantò minùs adultis fidelibus integram Euchariſtiam deſiderantibus & expoſcentibus? Denique, ſi aliquando ab aliquibus Euchariſtia fuerit ſub una ſpecie parvulis data, id non ſub panis ſed ſub vini ſpecie factum fuiſſe autumat Bellarminus. Quo igitur colore à particulari, extraordinaria, & parùm prudenter introducta conſuetudine infantibus calicem benedictum communicandi, ſtabilire conatur tyrannicam legem univerſis Laicis calicem adimendi?

1. Cor. 11. 28.

* ad Bonifacium.
* ad Vitalem.

Solent Papiſtæ alios quoſdam veteris Eccleſiæ ritus in cauſæ deploratæ ſubſidium advocare, ſed quos ſigillatim refellere non eſt neceſſe. Sufficit nobis, quòd in ſolenni & legitima Euchariſtiæ participatione tantum abfuit ut ſancti Patres populum benedicto calice fraudandum lege latâ ſancirent (quod Tridentini fecerunt) ut diviſionem hujus unius ejuſdémque myſterii ſine grandi ſcelere non poſſe provenire judicarent.

Orat. de Conſecr. diſtinct. 2. cap. Comperimus.

Inſtitutio Chriſti, & Eccleſiæ Chriſtianæ in obſervanda hac inſtitutione religioſa obſervatio pro nobis facit: Jam tertio in loco, quid ipſius Sacramenti perfectio requirat videamus. Atque hîc duplex perfectio venit conſideranda: una, quam *eſſentialem* ſive *integralem* vocare licet; altera, quam *ſignificativam* ſive *repræſentativam* vocemus: Utramvis harum lege latâ, quaſi de induſtria violare, nefas eſt. Ad priorem quod attinet, inter omnes ſanos Theologos conſtat, Formam à Chriſto præſcriptam, & Materiam ab eo in ſancta Euchariſtia adhibitam, ad eſſentialem hujus Sacramenti perfectionem complendam ſemper concurrere oportere. Nam ut in rebus naturalibus materia & forma ſunt eſſentiales partes rei conſtitutæ, quarum alteratrâ demptâ aut mutilatâ, rei ipſius integritas & perfectio violatur: ſic in Sacramentis divinis evenit, quarum alterutram qui ſuſtulerit, corruperit, aut mutilaverit, perfectionem Sacramenti ſartam tectam non conſervat. Jam verò neminî ignotum eſt,

Argum. 3. à perfectione ipſius Sacramenti.

non

non panem ſolum, neque vinum ſolum, ſed utrumque conjunctim eſſe hujus Sacramenti completam materiam: quæ elementa quamvis duplicem habent & diverſam rationem quoad ſe, tamen quod ad integritatem & perfectionem Sacramenti ſpectat, conſiderantur ut unum. Unde ſi in ipſo uſu ſive participatione, panis vel vinum abfuerit, integrum & perfectum Sacramentum non diſpenſatur à ſacerdote, non recipitur à populo. Sic Durandus, *Solam hoſtiam recipiens, non plenum ſacramentaliter recipit Sacramentum: quia ſub altera tantùm ſpecie non eſt completum Sacramentum.* Et qui novum Rationale nuper edidit, *Licèt in Sacramento Euchariſtiæ ſint diverſa materia & diverſa forma, & ſint multa materialiter, non tamen ſunt plura Sacramenta, ſed unum formaliter & perfectivè.* Hoc illi ab antiquis Scholaſticis didicerunt. Nam Bonaventura clarè aſſeruit, *ex duobus ſignis unum perfectum reſultare; cujus integritatis ratio completivè venit ab inſtitutione Divina, qui unâ inſtitutione hæc duo ſigna ordinavit*, &c. Aquinas etiam concedit, *ex parte ipſius Sacramenti convenire, quòd utrumque ſumatur*, ſc. panis & vinum; *quia in utroque conſiſtit perfectio Sacramenti.* Hiſce adde, quòd nuperi Papiſtæ, poſt ademptum Laicis calicem, coguntur fateri, Propter hanc quam urgemus Sacramenti perfectionem, *ſacrilegum eſſe illum Sacerdotem, qui, cùm celebrat hoc Sacramentum, ſumit panem & non ſumit calicem.* Neque juvat Pontificios, quod de integritate ipſius Chriſti ſub una ſpecie philoſophantur: Quæritur enim non de integritate corporis Chriſti, quod nullo hominum ſacrilegio diſcerpi poteſt aut mutilari, ſed de integritate ipſius Sacramenti, quod ſubducto calice imperfectum & mutilatum reddi in confeſſo eſt. Quis autem mortalium tantum habet imperii in Sacramenta Chriſti, ut, quod ex parte ipſius Sacramenti convenit, mutet in illud quod ex parte Sacramenti non convenit, & loco integri & perfecti Sacramenti ab ipſo Chriſto inſtituti, obtrudat Laicis univerſis Sacramentum imperfectum & integrali ſuâ perfectione dimidia ex parte ſpoliatum? Hactenus de *eſſentiali perfectione* Euchariſtiæ.

Jam ad *ſignificationis perfectionem* perpendendam veniamus. Receptum eſt apud omnes Theologos, Sacramenta ex inſtitutione ſignificare, nec ſignificare ſolummodo, ſed exhibere fidelibus res ſignificatas. Euchariſtia autem in eum finem inſtituta eſt, ut omnibus eam ritè participantibus ſignificaret & exhiberet perfectam animarum refectionem, neque hanc ſolùm, ſed expreſſam & vividam commemorationem corporis Chriſti in cruce fracti & dilacerati, ſanguinisque in eadem cruce pro nobis effuſi in remiſſionem peccatorum. Injuſtitiæ igitur rea eſt Eccleſia Romana, quatenus ſubtrahendo calicem Laicis, perfectam hanc animarum refectionem, quam Chriſtus omnibus ſuis dignatus

non eſt

Rational. lib. 4. cap. 54.

Baptiſta de Rubeis, lib. 1. cap. 23. pag. 63.

Lib. 4. d. 8. qu. 2.

Part. 3. qu. 80. art. 12.

Cajet. ibid.

eſt gratificari, nec ſignificat nec exhibet in Laicorum communione: Impietatis etiam in Chriſtum rea, quatenus effuſum ejus ſanguinem, quem in uſu hujus Sacramenti perpetuò voluit repræſentari, quoad Laicos omnes perpetuò vult obſcurari, & tantùm non abrogari & ſepeliri. De perfectæ refectionis ſignificatione & exhibitione ſic Durandus, *Hoc Sacramentum divinitus eſt ordinatum ad refectionem ſpiritualem, quæ per corporalem ſignificatur; nec eſt perfecta, niſi in ea proponatur aliquid ut cibus & aliquid ut potus.* Biel in eadem ſententia eſt: *Species* (ait ille) *panis & ſpecies vini habent diverſam & non unam ſignificationem, & contentam per ſe primò.* Imò nec unam operationem & efficaciam Sacramentalem: nam verè Tapperus; *Quamvis ſub utraque ſpecie totus ſit Chriſtus, operatur tamen ſecundùm earum ſignificationem, & utitur ſub una corpore tanquam inſtrumento, ſub altera ſanguine: & cùm Sacramenta conferant gratiam quam ſignificant, quando perfectior eſt ſignificatio, pleniorem oportet eſſe effectum.* Ante hos omnes Halenſis noſter; *Sumptio ſub utraque ſpecie, quem modum ſumendi tradidit Dominus, eſt majoris efficaciæ & complementi.* Qui ergò in communione Laicorum vinum ſubducunt, ſubtrahunt illis aliquid quod ad perfectam animarum refectionem ſignificandam & ſacramentaliter efficiendam ab ipſo Chriſto fuit ordinatum. Jam quod attinet ad commemorandam mortem Chriſti, quæ in ſanguinis ejus effuſione habuit complementum; quis non videt eam obſcurari, cùm ſanguinem ejus nè in Sacramento quidem effundi patiantur & diſpenſari ad reficiendas animas Laicorum? Quid ad hæc Pontificii? Nonnulli, nè Laicis imperfectam refectionem (contra Chriſti inſtitutum) obtruſiſſe arguantur, ſubtile illud *concomitantiæ* inventum obtendunt; affirmantes nec carnem Chriſti ſine ſanguine nec ſanguinem ſine carne reperiri poſſe uſpiam aut præberi. Hinc concludere ſolent, ſub ſola ſpecie panis communicantibus Chriſtum integrum, totum & perfectum exhiberi. Sed toto cœlo errant: non enim de naturali unione carnis Chriſti cum ſanguine jam quæritur, ſed de Sacramentali unione, ſignificatione, & perfecta operatione. Solus panis non habet Sacramentalem ſignificationem, non exhibitionem plenariæ refectionis, non perfectam commemorationem & repræſentationem ſanguinolentæ mortis; quam Chriſtus vivis coloribus exprimi voluit in vini effuſione, & ad ſolatium communicantium guſtari in vini conſecrati potatione. Quorſum igitur, cùm ſanguinem effuſum fidelibus jubentur dare bibendum, ſanguinem non ut effuſum, ſed ut incluſum, ejus loco ſubſtituunt? Cajetanus confugit ad perfectionem ſacrificii, *quod ſemper à Sacerdote ſub utraque ſpecie conficitur, & ab eodem ſub utraque ſpecie ſumitur. Populi autem communionem*, ait, *poſt conſummatum à Sacerdote ſacrificium & ſacramentum ſupervenire.*

Lib. 4. diſt. 7. qu. 1. pag. 693.

In 4. diſt. 8. qu. 2. pag. 171.

Tapp. apud Caſſ. de comm. ſub utraque ſpecie, pag. 1032.

Lib. 4. qu. 11. Memb. 3. pag. 225.

In 3. Aquin. qu. 80. art. 12.

Quod autem ſupervenit alicui rei poſt illius perfectionem, non eſt de concurrentibus per ſe ad illius perfectionem. Quod de perfecto ſacrificio commemorat, in ſacris literis nullum habet fundamentum. Chriſtus in cœna Dominica Sacramentum inſtituiſſe legitur, in repræſentationem ſacrificii mox ſecuturi, & perpetuam ejuſdem futuris temporibus commemorationem; at in ſacrificium ſe obtuliſſe alibi quàm in cruce, aut offerri deinceps ab aliis voluiſſe, non legitur. Quod autem de perfecto Sacramento addit à ſolo Sacerdote recepto, parùm ad rem facit. Diſputamus enim, utrùm ſicca communio quæ Laicis præbetur, habeat rationem perfecti Sacramenti necne. Reſpondet Cajetanus, Sacerdotem ſumere perfectum Sacramentum, quia ſub utraque ſpecie ſumit. Regerimus, Ergò populus ſumit imperfectum & dimidiatum; quia ſub unica ſolummodo ſumit. Ad extremum, quod Cajetanus ſubjunxit, *Populi communionem poſt conſummatum à Sacerdote Sacramentum ſupervenire, & proinde ad perfectionem ejus vel conſtituendam vel infringendam nihil momenti habere,* id planè nullius momenti eſt. Non cum Papiſtis litigamus de perfectione Euchariſtiæ quoad ſolum Conficientem, ſed quoad quemvis Communicantem. Utcunque igitur Sacrificulus (apud Romanenſes) ſemper ſibiipſi det perfectam Euchariſtiam, tum quoad ſignificationem, tum quoad repræſentationem, tamen aliis omnibus dat imperfectam; quod ſufficit ad iniquitatem Romanæ Eccleſiæ demonſtrandam. Ridiculum autem eſt quod ſomniaſſe videtur Cajetanus, *non poſſe dici imperfectam communionem Laicorum ſub una ſpecie, quia præceſſit perfecta communio ipſius Sacerdotis ſub utraque:* Nam ſicuti quæ ſupervenit imperfecta Laicorum communicatio non tollit perfectionem Sacerdotalis communionis; ità quæ anteceſſit Sacerdotis communio quantumvis perfecta, imperfectam quæ ſequitur Laicorum communionem nec ſanare poteſt nec ſupplere. Quicquid igitur argutentur Papiſtæ, populi communio apud eos dimidiata, decurtata, & imperfecta eſſe convincitur. Pro libidine autem Prælatorum ſtatuere, ut cœna Dominica, quam Chriſtus ſine diſcrimine inſtituit pro omnibus fidelibus perfectam & completam, Laicis non niſi detruncata & imperfecta miniſtretur; ab injuſtitia, ab impietate, à ſacrilegio nullus mortalium vindicabit.

Argum. 4. A Jure populi Chriſtiani.

Quartò ſic argumentari licet contra Canonem Conſtantienſem & Tridentinum de calice Laicis adimendo. Quod omnibus fidelibus ex æquo debetur, id non poteſt niſi per ſummam injuriam eripi univerſo ordini Laicorum. At calix benedictus eodem jure illis debetur quo Sacerdotibus; jure ſc. Divino, ab ipſo Domino & Servatore noſtro pro omnibus corporis ſui membris hujus Sacramenti capacibus conſtituto. Nam quilibet baptizatus, cùm ad eam ætatem pervenerit ut poſſit ſeſe probare, & parare ad hujus Divini Sacramenti perceptionem,

jus

jus habet illud poſtulandi, tam ſub ſpecie vini quàm ſub ſpecie panis; quia Chriſtus voluit totum ac integrum Sacramentum inter communia Eccleſiæ Chriſtianæ bona cenſeri, non inter peculia Sacerdotum. Officium diſpenſandi Euchariſtiam pendet ab ordine Sacerdotali, ac proinde à Laicis uſurpari non poteſt: at jus petendi & percipiendi pendet à baptiſmo, fide, & inſitione in Chriſtum; & proinde ad Laicos non minùs ſpectat quàm ad Eccleſiaſticos. Qui igitur à Sacramento ſanguinis Chriſti, quo remiſſio peccatorum fidelibus obſignatur, putant Laicos jure bono arceri poſſe; eodem jure poſſunt illos ab ipſo ſanguinis effuſi beneficio, imò è communione ſanctorum (quam in Symbolo profitemur) exturbare. Apud ſanctos Patres, jus populi Chriſtiani ad calicis participationem in confeſſo eſt. Cyprianus agnoſcit populum ad bibendum in Eccleſia calicem Domini *jure communicationis* admitti oportere. Chryſoſtomus, quoad perceptionem integræ Euchariſtiæ, tantum juris concedit aliis Chriſtianis quantum competit ipſis Sacerdotibus: Locus notiſſimus eſt, verba ſic ſe habent, *Interdum nec quicquam quidem inter Sacerdotem intereſt, & eos quibus præeſt: veluti cùm tremenda myſteria percipienda ſunt:* ὁμοίως γὰρ πάντες ἀξιοῦμεθα τῶν ἀγίων. Huic argumento & illud accedit, Quòd hoc jus Populi teſtamentariâ Chriſti ordinatione firmatum ſit & ſtabilitum: Teſtamentorum verò jura ſacroſancta haberi debent, nec poſt mortem Teſtatoris, pro aliorum libidine aut imperio poſſunt violari aut immutari. Sic ipſi Apoſtolo viſum, Gal. 3. 15. Et Juriſconſulti legatum inutile eſſe dicunt, quod in voluntate alterius relinquitur. Aut igitur tueri debent Papiſtæ, Chriſtum non reliquiſſe Chriſtiano populo hoc legatum ſanguinis ſui, aut fateri, ſacrum illud teſtamentarium jus à Tridentinis Patribus ſacrilego auſu violatum.

Ep. lib. 1. ep. 2.

In 2. ad Cor. Hom. 18.

Sed occurrit huic rationi noſtræ à Chriſti Teſtamento petitæ Bellarminus, reſpondendo, Hæreditatem Chriſtianis relictam non eſſe panem neque vinum, ſed corpus & ſanguinem Domini, quæ duo dantur tam ſub una quàm ſub duplici ſpecie. Hoc ergò ſolum intereſt; quòd Sacerdotes qui bibunt ex calice, accipiunt hæreditatem in duabus tabulis, populus qui non bibit, accipit illud idem in una tabula. Sed hæc differentia nullius eſt momenti, quod attinet ad participandam hæreditatem.

Bellarm. de Euch. lib. 4. cap. 27.

Sed fallitur Bellarminus: 1. Quòd fingit nos adeò fatuos, ut panem ipſum aut vinum opinemur eſſe hæreditatem fidelibus deſtinatam: imò nè corpus quidem Chriſti aut ſanguis eſt illa hæreditas, quæ promittitur adoptatis Dei filiis, ſed fruitio Dei in vita æterna, quæ nemini mortalium competit, niſi quatenus conjungitur & copulatur naturali Filio Dei. 2. In hoc etiam turpiter erravit Bellarminus, quòd ſenſit ſanguinem & corpus Chriſti ſolummodo in hac ultima cœna fuiſſe legatum fideli-

bus relictum. Reliquit revera Christus fidelibus corpus & sanguinem suum participandum, sed unà cum pretiosissimis involucris sive indumentis signorum visibilium. Ad legatarios itaque pertinent corpus, sanguis, panis, vinum, &c. quicquid illis Christus hoc suo testamento legavit. Nam si ipse legatarius non potest dividere legatum suum, & pro parte illud acceptare pro parte non; quantò minùs possunt servi Testatoris (quales se haberi volunt pontifices Romani) partem ejus legati quod Christus fidelibus dandum ordinavit unam concedere, alteram intercipere! Denique, quod obtendit Bellarminus, *rem esse nullius momenti, utrùm in Eucharistia corpus & sanguis Christi detur fidelibus sub una specie an sub duabus*, illud impingit tam in benignitatem quàm in prudentiam Christi. Proculdubio judicavit Servator noster, se lautiùs & benigniùs excepisse sacros convivas suos panem & vinum illis dispensando, quàm feciſſet siccum convivium illis exhibendo: pro sua etiam prudentia judicavit, ad finem hujus Sacramenti conducibilius esse, illud sub duabus, quàm sub unica tantùm panis specie fidelibus impertire. Nam cùm media adhibentur in ordine ad finem, non est sapientis inutilia media multiplicare: inutilia autem sunt quæ nullius momenti sunt ad finem promovendum. A blasphemia igitur non longè abest Bellarminus, quando calicis communionem floccifacit, & quasi rem nihili in communicatione Laicorum omitti posse statuit, imò lege latâ prohiberi. Fac non fuisse rem magni momenti hoc calicis legatum: si tamen jure Testamentario debetur omnibus fidelibus Christianis; injurius est qui rem parvi momenti legatario jus suum postulanti denegat, & multò magis, qui denegandum sub anathemate sancit. Quod de jure Laicorum urgemus, non est hæreticorum aut Lutheranorum singularis opinio; sed qui paulò æquiores fuerunt inter ipsos Romanenses, idem nobiscum senserunt. Christianus orbis hoc jus populi ad calicem agnovit in ipso Concilio Tridentino, quando Imperatoris, Regum, Principum oratores restitutionem calicis à Pontifice Romano & ab ipso Concilio efflagitarunt. Cassander scribit permultos atque optimos Catholicos summo desiderio potandi calicis fuisse inflammatos. Et Lorichius paulò acriùs; *Sunt pseudocatholici qui reformationem Ecclesiæ quoquo modo remorari non verentur: Hi nè Laicis altera species restituatur, nullis parcunt blasphemiis.* Tantum est de jure Laicorum ad calicem.

Consult. de comm. sub utraq; specie, pag. 1046. De Missa.

Argum. 5. A debito Sacerdotum officio.

Ultimum nostrum argumentum à necessario Sacerdotum officio petendum est; quia sancta mater Ecclesia Romana agnoscit tantummodo suam in administratione Sacramentorum autoritatem, officii interim & fidelitatis prorsus immemor. Sed qui *Ministri* constituti sunt verbi & Sacramentorum, non *Domini*, tenentur ex officio tam Sacramento hoc quàm verbo

pascere

paſcere animas fidelium, juxta Domini voluntatem, non ſuam. Atque ut in Evangelii prædicatione non eſt mundus à ſanguine populi, qui ſubterfugit iis annunciare *omne conſilium Dei* ad ſalutem eorundem revelatum; ità ſanguinis etiam reus eſt, qui in Euchariſtiæ adminiſtratione recuſat illis præbere omne illud pabulum quod fuit ab ipſo Chriſto ad animas populi ſui ſpiritualiter alendas ordinatum. Neque ſufficit dicere, Panem illis porrigimus, utcunque potum ſubducimus: Non enim fungitur fidelis diſpenſatoris officio, qui conſervos ſuos defraudat aliquâ parte ejus demenſi quod à Domino in uſum eorundem liberaliter conceſſum fuit & conſtitutum. Nam unuſquiſque ſicut accepit gratiam ità tenetur illam in alios adminiſtrare, ſi *boni diſpenſatoris* nomen cupit apud Deum hominéſque tueri. Injuſtus itaque eſt & invidus diſpenſator multiformis gratiæ Divinæ, qui, cùm à Chriſto acceperit duplicem alimoniam corporis & ſanguinis ſui in Euchariſtiâ fideli populo diſtribuendam, pro imperio alteram hujus ſpiritualis alimenti partem ſubducit. Aut igitur dicant Pontificii, per calicem benedictum nullum ſpiritualis gratiæ influxum in animas fidelium redundare; aut fateantur, dum medium hoc gratiæ intercipiunt, ſeſe peccare in honorem Dei & dilectionem proximi, atque idcirco iniquiſſimè & injuſtiſſimè agere. Quod hîc regerunt Pontificii, *Sacramentalem ſanguinis potationem non eſſe ad ſalutem fidelium abſolutè neceſſariam, ac per conſequens non neceſſariò illis diſpenſandam*, nullius momenti eſt ad injuſtitiam iſtorum obtegendam. Nam ſi quodvis medium gratiæ ſpiritualis ab ipſo Chriſto inſtitutum, hoc colore populo eripere liceat, quòd non ſit de abſolutè neceſſariis ad ſalutem; non calicem ſolum, ſed panem, imò baptiſmum ipſum poſſent Laicis adimere: externa ſiquidem Sacramenta in voto & deſiderio habuiſſe, ſufficit ad eorum ſalutem, qui ab eiſdem aut rei impoſſibilitate aut aliorum iniquitate impediuntur. Atque ſic calicis adempti injuriam manifeſtis argumentis probatam habuiſtis: Sed quia, hiſce omnibus non obſtantibus, Tridentini dicunt, Romanam Eccleſiam juſtis rationibus adductam Laicis calicem ademiſſe; proferamus in lucem juſtas iſtas cauſas, quas puduit ipſos Tridentinos palàm nominare. Sed extant apud Gerſonem, Bellarminum, alióſque.

Act. 20. 27.

1. Pet. 4. 10.

Part. 1. Contr. hæreſ. de Comm. ſub utraque ſpecie. Object. 1.

Prima & primaria cauſa ſumitur à periculo effuſionis, cui in magna communicantium multitudine benedictum vinum ſubjici eſt neceſſe. Unde Cajetanus, *Impoſſibile eſt (humano more de impoſſibili loquendo) fieri communionem tot populorum ſub utraq; ſpecie abſque effuſione ſanguinis ſub ſpecie vini. At huic periculo exponere ſanguinem Chriſti, eſt actus irreverentiæ, imò ſacrilegii, tam populo quàm rectoribus imputabilis.* Hoc Cajetanus vocat *ſolidum & præcipuum fundamentum conſuetudinis introductæ de populo*

In 3. Aquin. Quæſt. 80.

De sacr. Euch. lib. 4. cap. 24.

pulo communicando sub sola specie panis; atque idem agnoscit Bellarminus.

Solutio.

Concedo reverentiam magnam deberi etiam visibilibus signis propter illum cujus carnem vivificam & sanguinem pretiosum nobis repræsentant & spiritualiter exhibent. Do etiam, nec rectores nec populum crimine vacare, si irreverenter tractent hæc mysteria, aut reverentiam illis debitam præstare omiserint. Sed hisce concessis, respondeo, Cùm quæritur de reverentia quæ in usu sactæ Eucharistiæ sit adhibenda, absurdum esse ejus prætextu vrgere non-usum & subductionem calicis, quoad fidelem Christi populum universum. Reverentia Sacramenti posita est in religioso modo participandi, juxta voluntatem instituentis; non in necessitate abstinendi, juxta tyrannicam legem Ecclesiæ Romanensis. Reverentia oritur ex opinione supernaturalis & cœlestis gratiæ per Sacramenta ad fideles derivandæ; quod per se excitat & accendit ad participationem eorundem. Si quis ex reverentia recuset Sacramentum percipere, id per accidens est, quatenus se hîc & nunc ità malè paratum intelligit, ut non possit illud sumere nisi in animæ suæ nocumentum. Perpetua ergò benedicti calicis recusatio non reverentiam sed negligentiam populi arguit; perpetua ademptio non in prælatis reverentiam Sacramenti sed contemptionem populi demonstrat. Ad hæc falsum est, effusionem calicis benedicti non posse satis caveri in magna communicantium frequentia, nisi calice Laicis omnibus adempto & prohibito. Tertulliani seculo Christiani impleverant omnes Romani imperii urbes, insulas, municipia, castra ipsa: post Constantini ad Christianismum conversionem ingentes basilicæ stipatæ fuerunt Christianis ad Sacra confluentibus, atque Eucharistiam multò frequentiùs & devotiùs recipiebant quàm nunc dierum: ex vano tamen effusionis metu, aut ficto reverentiæ prætextu, nemo Laicos à calice arcendos judicavit. Si hæc effusio vini aliquando accidisset, esset inter casus inopinatos & rarò contingentes; propter quos leges nec solent nec debent mutari. Postremò, quod tantopere exaggerant Papistæ, *Irreverentiam & sacrilegium esse, si fortuito casu vinum benedictum in terram effundatur*, id non est illis concedendum. Si per contemptum aut incuriam hoc aliquando accideret, quisquis in causa esset gravi reatu constrictus teneretur: hoc tamen in detrimentum dignitatis corporis Christi aut sanguinis ejus non vergeret, ut fatetur Aquinas parte 3. qu. 80. art. 8. Quæro enim à Papistis quid illud sit quod pateretur aliquid indignum, si effusio calicis in terram contingeret. Non corpus, non sanguis Christi; nam quod immortale & impassibile est, ne attingi quidem potest per agens corporeum, multò minùs fœdari. Non vinum; nam (si Papistis ulla fides) vinum ibi nullum remanet, quod cadendo in terram, aut pereat, aut sordes

Apol. cap. 37.

Aquin. quæst. disp. de Luxur. art. 2. resp. ad 12 & 14.

aliquas

aliquas contrahat. Relinquitur ergò, Irreverentiæ crimen indè nasci, quòd vacuæ species in terram decidere permittantur. At ipse Christus (qui melius novit quid ad reverentiam sanguinis sui spectet quàm mille Patres Tridentini) permisit imò jussit has quas vocant panis & vini species in communicantium ventres demitti, locum (uti arbitror) templorum pavimentis haud puriorem. Sed cùm portentosæ hujusmodi ineptiæ ex portentoso transubstantiationis dogmate oriantur, nolo in illis refellendis diutiùs hærere.

Objectio. Communio sub utraque specie est minùs populo fructuosa quàm sub specie panis tantùm, ubi fervor & devotio Christianorum relanguit. Sed manifestum est non inveniri nunc dierum illum fervorem qui olim fuit in populo Christiano. Sicut igitur Ecclesia recognoscendo hanc imperfectionem & defectum Laicorum, providè & justè destitit à communione quotidiana quæ olim in usu fuit: ità propter eandem rationem justè destitit à communione Laicorum sub utraque specie, utpote quæ jam evasit infructuosa & periculosa communi populo. *Cajetan. in 3. qu. 80.*

Solutio. Si in hac mundi senecta deferbuit Christianorum devotio, est illa accendenda & acuenda spiritualibus Pastorum exhortationibus, non sopienda & magis refrigeranda iniquissimis decretis. Neque priscæ Ecclesiæ exemplum rectè obtendit Cajetanus: Nam utcunque illa, refrigerato populi fervore, non congregavit & admisit Laicos ad communionem quotidianam, quod in primitiva Ecclesia fiebat; nunquam tamen lege latâ & terrore pœnæ abegit populum à frequenti communione: at Papistica Ecclesia non destitit modò communionem dare Laicis quantumvis devotis sub utraque specie, sed terribilem Canonem edidit, & anathemate sanxit, quo omnes, extra unum sacrificulum conficientem, arcentur ab utriusque speciei communicatione, & cessâ ficâ jubentur esse contenti. Postremò, quisquis inter Laicos consecutus est illum devotionis gradum qui sufficit ut fiat ritè particeps corporis Dominici, ille satis idoneus est qui cum fructu fiat etiam particeps sanguinis Dominici. Nam (ut verè Halensis noster) *quisquis dignè recipit Sacramentum, intenditur in eo charitas motu vel habitu.* Gratia autem in hac priori sacramentali actu collata & aucta, reddit ad posteriorem magis sanctificatum & idoneum. Nè ipse quidem Cajetanus ausus est hoc negare: *Si quis inveniatur dispositus cum augmento spirituali, ità ut dignior sit suscipiendo sub secunda specie quàm fuit suscipiendo primam, recipit præcul dubio, sumendo calicem, spiritualem fructum Sacramenti, gratiam scilicet majorem aut intensivè aut extensivè. Et sic dispositi nullus unquam dubitavit utilius esse communicare sub utraque specie quàm sub altera tantùm.* Jam liceat mihi bonâ Cajetani venià subjungere, Neminem Laicorum ritè accipere panem benedictum, qui non indè consequatur

Lib. 4. qu. 11. pag. 307. b.

Ubi suprà, in 3. qu. 80.

tur aliquod ſpiritualis gratiæ augmentum: ad calicem igitur bibendum dignior & ſanctior accederet, atque ideirco nec infructuoſa nec periculoſa eſſet hæc utriuſque ſpeciei communicatio, ſed omnibus Laicis quibus panem cum fructu dedit Sacerdos, calicem cum majore dare potuiſſet.

Obiect. 3. Bellarm. lib. 4. de Euch. c. 24.

Multi abhorrent à vino, & vel naturâ abſtemii ſunt, vel educatione. Quid ergò illi facturi ſunt? nunquid abſtinebunt perpetuò à communione? At id non licet per Divinas leges. Videtur igitur Pontificiis, quòd propter tales licuit Concilio Tridentino legem ferre de calice omnibus Laicis generatim adimendo.

Solutio. Nihil iniquius aut ineptius excogitari potuit. Iniquum eſt, propter unum è millibus hominem abſtemium, univerſæ fidelium multitudini calicem à Chriſto donatum eripere. Ineptum eſt ità argumentari: Sunt pauculi abſtemii quibus difficile eſt ſtatuere quomodo Euchariſtia ſit adminiſtranda, ergò juſtè legem fixit Concilium Tridentinum, nè ulli Laicorum calix permitteretur. Aliquantò æquiùs egit Innocentius octavus, qui propter defectum vini apud Norvegios, non toti Europæ calicis uſum interdixit, ſed Norvegiis indulſit ut ſine vino ſacrificarent. Plus æquitatis oſtendiſſent Tridentini, ſi ad hoc exemplum abſtemiis permitterent, ut eo modo quo poſſent ad recipiendam Euchariſtiam admittantur; non autem ſanxiſſent, ut qui ſub utraq; participare & poſſunt & cupiunt, à calice excludantur. Certum eſt, non pauciores fuiſſe abſtemios priſcis ſeculis quàm hoc noſtro: nunquam tamen ità deſipuit Eccleſia primitiva, ut hoc arriperet pro cauſa Sacramentum mutilandi, & calicem etiam non-abſtemiis denegandi. Quanquam vix inter myriadas hominum vel unum reperire facile eſt, qui adeò abſtemius ſit ut tantulum vini libare non poſſit quantum ad inſtitutionem Chriſti retinendam ſufficiat. Narrat Halenſis, nonnullas perſonas qui nullum cibum corporalem retinere poterant, Euchariſtiam tamen bene retinuiſſe: Cur non expectent à Deo eundem favorem, qui calicem devotè ſitiunt; ut quamvis vinum alibi ſine nauſea guſtare non poſſunt, in menſa tamen Domini queant?

Bellarm. de Euch. lib. 4. cap. 24. ex Volater. lib. 7.

Parte 4. qu. 11. pag. 226.

Obiect. 4. De ſacr. Euch. 4. 24.

Quartum incommodum quod ſequeretur ex neceſſitate utriuſque ſpeciei, idem ferè eſt cum præcedente. Urget etenim Bellarminus, In multis regionibus eſſe ſummam vini penuriam, neq; abſque ingenti pretio emi poſſe: Si igitur calix omnibus injungatur participandus, oportet plurimos nunquam aut rariſſimè communicare. Atque inſtat in Japonenſibus.

Solutio. Reſpondemus, Non id in quæſtionem vocari, utrùm Japonenſes, aut quælibet aliæ nationes quibus impoſſibile eſt vinum parare in uſum Euchariſtiæ, rectè faciant ſub una ſpecie celebrando; ſed utrùm juſtè egerit Romana Eccleſia, ſub anathemate calicem adimendo Italis, Gallis, Germanis, Anglis, adeóque toti orbi Chriſtiano, propter defectum vini in Japonia. Neque tamen

verisimile

verisimile est, aut Japonenses, aut ullam nationem quæ commercium habet cum nostris Europæis, tantam vini penuriam pati, ut desit illis ad usum cœnæ Dominicæ. Quod autem de nimio sumptu causatur Bellarminus, sordidum nimis est, & responsione indignum. Neque rara communicatio turbare debet Pontificios, apud quos, semel in anno accepisse Eucharistiam, sufficit. Quamvis igitur concedamus cum Innocentio, casus necessitatis, multóq; magis impossibilitatis, excusare ab obligatione ad utramque speciem; quia præstat cœnam imperfectam habere quàm nullam: tamen nullâ æquitatis specie defendi potest lex de cœna Dominica mutilanda, ubi nulla impossibilitas servandi regulam institutionis, nulla necessitas ab illa discedendi, imò summa facilitas eandem ad amussim adimplendi.

Apud Bellarm. de Euch. 4. 24.

Ipse Deus sapientiam Ecclesiæ Romanæ, quæ sub una tantummodo specie Eucharistiam Laicis ministrat, signis & prodigiis comprobavit. Unde innuere videtur Bellarminus, quod Deo tantopere placuit, non posse justè cuivis pio displicere. Atque hoc in loco ex Halensi hujusmodi affert narratiunculam; Fuisse aliquando quosdam monachos apud quos usus erat unius speciei, qui cœperunt utramque speciem postulare: sed interim accidisse, ut, cùm Sacerdos inter sacrorum solemnia hostiam frangeret, totum patinæ concavum sanguine ex ipsa hostia profluente repleretur. Quo significare voluit Deus, frustrà illos tumultuari pro calice sanguinis, cùm sanguinem haberent in specie panis.

Object. 5. Bellarm. 4. cap. 24.

Part. 4. qu. 11. pag. 224. b.

Cum Gersone respondeo, Mundum senescentem pati phantasias falsorum miraculorum, ac proinde esse nunc habenda hujusmodi miracula valde suspecta. Imò ipse Halensis nos docet, hujusmodi prodigiis non esse valde confidendum, *quia hujusmodi apparitiones quandoque accidunt humanâ procuratione, & forte diabolicâ.* Neque improbabile est, in novam editionem Halensis hanc fabellam ab illis fuisse insultam, qui communionem sub una specie miraculo ornare cupiebant. Postremò, si operæpretium esset, ab hoc prodigio petere causæ nostræ confirmationem, dicere possemus, Deum significare voluisse, non sibi placere ut sanguis Christi venis inclusus per solam concomitantiam hisce monachis præberetur, sed velle ut effusus in calicem juxta Christi institutionem fidelibus communicaretur. Nam utcunque in corpore Christi naturali caro absque sanguine non reperitur; tamen in participatione Christi Sacramentali, seorsum caro, seorsum sanguis sumitur: quia corpus Christi non est Sacramentaliter sub specie vini, neque sanguis ejus sub specie panis; quod ipse Halensis non diffitetur.

Solutio. Part. 1.

Part. 4. pag. 227. b.

Sed hæc Cajetani & Bellarmini objectamenta leviuscula fuerunt: Sunt alia longè majoris momenti, quæ ex Gersonis tractatu desumemus, & brevitèr refellemus.

Cont. hæres. de com. Laic. sub utrag. specie.

Concessâ

Object. 1. Conceſsâ Laicis communione ſub utraque ſpecie, periculum eſſet nè induceretur falſa credulitas, quòd tanta eſſet Laicorum dignitas circa ſumptionem hujus Sacramenti, quanta eſt ipſorum Sacerdotum. At hunc perniciòſiſſimum errorem & ordini Sacerdotali injurioſum non niſi calicis ademptione ex animis Laicorum commodè evelli poſſe cenſuerunt Romanenſes.

Reſpons. Quicquid Sacrificuli Papiſtici ſibi adblandiantur, certiſſimum eſt, circa ſumptionem corporis & ſanguinis Chriſti æqualem eſſe Chriſtianorum omnium æqualiter fidelium dignitatem. Nam ordo Sacerdotalis adfert ordinatis poteſtatem *celebrandi* Sacramentum Euchariſtiæ, cujus dignitatis Laici non ſunt participes; at dignitatem *participandi* non adfert: Unde conſequitur, Laicum ad cœnam Dominicam accedentem cum majore fide, charitate, ac ſanctitate, digniorem eſſe qui ſumat carnem & ſanguinem Chriſti, non quovis ſolummodo è turba Sacerdotum, ſed ipſis Cardinalibus ac Pontifice Romano. Conditiones *externæ* nihil faciunt ad majorem aut minorem dignitatem circa ſumptionem hujus Sacramenti, ſed tota hæc dignitas aut indignitas pendet ab *internis*. Si Laicus quilibet, ſi mendicus fide magìs excitatâ & charitate magìs inflammatâ ad hanc menſam Domini acceſſerit, ræ ille dignior eſt qui indè ſumat Sacramentum carnis & ſanguinis Domini, quàm quivis Sacerdos aut Prælatus, qualicunque externâ dignitate fulgens & reſplendens.

Object. 2. Ex conceſſione calicis periculum eſſet nè populus exiſtimet quòd ſub utraque ſpecie ſumere Euchariſtiam ſemper fuit & nunc eſt res planè neceſſaria, ità ut perierint omnes qui aliter ſenſerunt, fecerunt, aut docuerunt, quíque jam aliter docent. Nè in hoc periculum incidant Laici, opinantur Sacerdotes calicem non poſſe illis denuò reſtitui.

Reſpons. Nullum in eo periculum eſt, ſi Chriſtiani apud ſe ſtatuant, fuiſſe & eſſe ſemper neceſſarium neceſſitate præcepti & debitæ obedientiæ, eo modo Euchariſtiam adminiſtrare & ſumere quo Chriſtus Dominus noſter in ipſa inſtitutione adminiſtravit eandem, & ſumendam præſcripſit tam exemplo quàm mandato. Quibus enim ſignis utendum ſit in Divinis Sacramentis, non pendet tanquam res adiaphora ab autoritate Eccleſiæ, ſed fundatur in Divina autoritate inſtituentis; cui parere nobis omnibus eſt neceſſe. Si igitur Deus ſub uno panis ſigno Sacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſet, Eccleſia hoc uno contenta eſſe debuit: Jam verò, cùm ſub duobus Deo viſum ſit hoc Sacramentum inſtituere, nobis neceſſarium eſt utrumque ſumere; illicitum, communicantes lege latâ ſive ab uno ſive ab altero excludere. Neque tamen, poſitâ hâc neceſſitate, protinus inferri debet, omnes aliter ſentientes, facientes aut docentes periiſſe. Multi in multis graviter errârunt; quos tamen qui damnatos pronunciaret, multò graviùs erraret ipſe. Neque omnes qui fecerunt

cerunt contra Chriſti inſtitutum ſub una ſolummodo ſpecie miniſtrando aut communicando, idcirco periiſſe & ſalute excidiſſe definiendum eſt. Nam ſi communi errore implicati, putârunt Sacerdotes Euchariſtiam ritè ſub una ſpecie Laicis poſſe præberi, erat ignorantiæ peccatum, quod apud Deum clementiſſimum non difficilem veniam ſolet invenire: ſi renitente conſcientiâ, metu anathematis aut mortis id fecerint, fuit peccatum infirmitatis, cujus quamplurimos pœnituiſſe in ipſo exitu, non eſt improbabile. Poſtremò, non eſt noſtrum, ſalutem abjudicare nè illis quidem qui hunc errorem de calice Laicis adimendo docuerunt & urſerunt. Steterunt illi aut ceciderunt Domino ſuo, qui ſolus novit quo animo hoc docuerint, & quomodo diſpoſiti è vita tandem exceſſerint. Nobis ſatis eſt ſtatuere, calicem Laicis per errorem & injuſtitiam Prælatorum fuiſſe ademptum, quid autem Deus ſtatuerit de hominibus ſic errantibus & iniquè agentibus, ipſi relinquendum eſt.

Ex conceſſione calicis poſſet populus in eam opinionem induci, ut exiſtimet Euchariſtiæ virtutem non eſſe principalius in ipſa conſecratione quàm in ſumptione. Metuunt autem Papiſtæ, nè multum detrahatur venerationi & honori ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ſi hæc opinio animis hominum inſideat. *Object. 3.*

Nihil periculi eſt in hac quam Gerſon tantopere improbat opinione. Virtus enim quæ ex inſtitutione & conſecratione accedit ſignis Sacramentalibus, non propter ipſa elementa, quæ gratiæ ſpiritualis non ſunt capacia, ſed propter homines, per modum *pacti* annectitur Sacramentis. Elucet ergò & exſerit vires ſuas virtus Euchariſtiæ, non quatenus ſolummodo conſecrantur panis & vinum, nec quatenus ſpectantur, circumſtantur, aut in vaſis aſſervantur; ſed quatenus conſecrata, & in ſpiritualem uſum fidelium præparata, ab iiſdem juxta Chriſti inſtitutionem participantur. Virtus Sacramentorum non recipitur ab ipſis ſignis Sacramentalibus, ſed ab ipſis communicantibus, ac proinde magis reſpicit ſumptionem quàm conſecrationem. Neque hâc opinione detrahitur quicquam honori Sacramentorum: propter hoc enim in ſumma veneratione habentur, quòd adhibita & percepta à fidelibus juxta Chriſti inſtitutum, ſunt quaſi vehicula & canales ad ſpiritualis gratiæ fluenta in homines derivanda. *Reſpond.*

Reſtat ultimum Pontificiorum argumentum, quod illis inſtar omnium eſt, & quo ſolo (ſi verum fateri vellent) prohibentur nè calicem Laicis reſtituant. *Sequeretur* enim (ut verè Gerſon animadvertit) *Eccleſiam Romanam hactenus non ritè ſenſiſſe de hoc Sacramento; & Concilia generalia in fide & bonis moribus errâſſe.* Nam Gerſone vivente Concilium Conſtantienſe decreverat, non obſtante Chriſti in contrarium inſtitutione, Euchariſtiam ſub una ſolummodo ſpecie Laicis communicandam. *Object. 4.*

Idem

Idem sensit, idem sanxit Concilium Tridentinum, & pro hoc decreto tuendo pugnat Ecclesia Romana usque in hodiernum diem.

Respons.

Sequeretur profectò quod Gerson pertimuit, sed cùm hoc verissimum sit, non debet Ecclesia Romana in æternum errare, ne fateatur sese errâsse. Nullum Concilium est, in quo non possit accidere, ut major pars aliquando vincat meliorem: quod in nupero Tridentino evenisse, ex historia illorum temporum satis liquet. Nam Seniores & Juniores Catholici malè introductam consuetudinem ad regulam primæ institutionis revocare cupiebant: reniteabantur autem potentiores & nequiores, qui Christi instituta Ecclesiæ Romanæ legibus cedere oportere judicabant. In tali autem casu Mirandulani consilium sequendum est; *Si pars major contra Divinas literas decernit quicquam, reliqui qui pauciores sunt contradicentibus, numero minori adhærendum est.* Denique magis solicita debet esse quælibet Ecclesia de Divina veritate, quam de propria autoritate tuenda. Monitore igitur Augustino, *si Ecclesia erraverit in provinciali aliquo concilio, debet illud autoritate plenarii emendari; si in plenario & generali erraverit, erratum prioris autoritate posterioris est emendandum.* Concludere itaque jam licet, Ecclesiam Romanam nec ab initio justis rationibus adductam ut Laicis calicem adimeret, neque justis ullis causis nunc impediram, quò minùs eundem injustè ademptum justè restituat.

Canon. lib. 3. cap. 5.

Vide Cassand. pag. 1039, & 1046.

Tom. 2. de Fide & Ord. credendi, theorem. 16.

Lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 3.

FINIS.

Imprimatur Cantabrigiæ per Thomam Buck.

RA. BROWNRIGG, *Procan.*

SAMUEL WARD.

THO. BAINBRIGG.

RICH. LOVE.